Gregory I, the Great, Saint, Pope

VITA

ET

REGULA SS. P. BENEDICTI

UNA CUM

EXPOSITIONE REGULAE A HILDEMARO TRADITA.

I.

S. GREGORII MAGNI DIALOGORUM LIBER SECUNDUS DE VITA ET MIRACULIS S. BENEDICTI.

CUM ANNOTATIONIBUS

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

S. GREGORII MAGNI

DIALOGORUM LIBER SECUNDUS

DE

VITA ET MIRACULIS S. BENEDICTI.

CUM ANNOTATIONIBUS.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

SS. P. N. BENEDICTO

EJUSQUE BEATISSIMAE SORORI SCHOLASTICAE

AD ANNUM SAECULAREM MONACHI METTENENSES.

PROLEGOMENA.

I. S. Gregorius Magnus, universalis ecclesiae caput et inter ejusdem doctores praecipuos connumeratus, in secundo dialogorum libro SS. P. Benedicti vitam ex professo (a 593. vel 594) scripsit, quam postmodum S. Zacharias papa († 752) graece vertit. Matthaeus vero Lauretus Hispanus, abbas S. Salvatoris de Castellis (a. 1616) atque Simon Milletius, S. Germani a Pratis religiosus, et Angelus de Nuce, abbas Casinensis (1668)*) annotationibus illustrarunt. Idem praestiterunt Mabillonius et Bollandus (resp. Henschenius) in Actis Sanctorum ab utroque editis, et Angelus Quirinus, episcopus Brixiensis Cardinalis.**) Desiderius, abbas Casinensis, i. e. papa Victor III., miracula S. Benedicti in Italia facta edidit. Antonius de Yepez vitam S. Patriarchae tomo primo annalium Ordinis S. Bened. intexuit. Plura extant toto opere Arnoldi Wion, quod »lignum vitae« inscribitur, et apud Trithemium de viris illustribus Ordinis S. Bened. — P. Thomas Erhard, monachus Wessofontanus, auctor est operis inscripti: »Gloria SS. Protoparentis Benedicti, seu vita, virtutes, prodigiose gesta et cultus Ss. Patriarchae« (a. 1719).

Inter historicos, qui fusius de S. Benedicto tractarunt, praeter Cardinalem Baronium numerantur Adrewaldus, monachus Floriacensis († 878) de translatione et miraculis S. Benedicti, Aimoinus († 1008) de gestis Francorum et de mira-

*) vid. Muratori script. rer. ital. T. IV.

**) Vita latino-graeca S. P. Benedicti. Venet. 1723.

culis S. Benedicti, Leo Marsicanus, Ostiensis episcopus (a. 1115), in chronico Casinensi, Petrus Diaconus, monachus Casinensis (a. 1140), de viris illustribus montis Casini.

Sermonibus vel homiliis Ss. Patrem honorarunt imprimis S. Odo, abbas Cluniacensis, Paulus Diaconus, S. Petrus Damiani. S. Bernardus, Guericus, abbas Igniacensis, Goffridus, abbas Vindocinensis Cardinalis, S. Bruno, episcopus Signiensis, S. Bruno, Carthusianorum institutor, Dionysius Charthusianus aliique multi.

Carminibus nostrum heroem celebraverunt Marcus, discipulus ipsius et monachus Casinensis, Paulus Diaconus, Casinensis monachus, S. Bertharius († 884), martyr et abbas. S. Aldhelmus quoque, episcopus occidentalium Saxonum, in opere de laude virginum S. Benedictum egregie commendat. Nicolaus Bravus, Ord. Cisterciens. et abbas Matritensis, hexametris versibus ejusdem Sancti vitam maxima elegantia descripsit. Angelus Saugrinus, abbas Congreg. Casinensis, totam S. Benedicti vitam epico carmine expressit et elegantissimis imaginibus aeri incisis decoratam edidit (a. 1587). Anno 1414 Mettenii in Bavaria monachus quidam regulam S. Benedicti latine et teutonice concinniter descripsit et initia singulorum capitum picturis formosissimis et delineationibus artificiosis exornavit, quae S. Patris Benedicti acta et facta ex dialogis desumta repraesentant. Regia bibliotheca Monacensis hunc codicem pretiosum asservat sub Num. 28. codd. cum pict. (olim cod. lat. 8201 [d]).

Hymnos de Ss. Patre concinnarunt Cyprianus (a. 760), monachus Casinensis sub Petronace abbate, Paulus diaconus mandante Carolo Magno, Petrus Venerabilis Cluniacensis, S. Alphanus, primus archiepiscopus Salernitanus († 1085). S. Nilus junior, cum Casinense invisceret coenobium, graecum in laudem S. Benedicti composuit hymnum, qui complectebatur omnia miracula, quae S. Gregorius M. refert. — Opus, quod inscribitur: »Vita et miracula Ss. P. Benedicti ad instantiam monachorum congregationis Hispaniarum aeneis typis delineata« (Romae 1596) quinquaginta continet effigies.

Novissime vitam S. P. Benedicti celebrarunt P. Petrus Lechner, monachus Schyrensis (Ratisbonae 1857), P. Carolus Brandes, monachus Benedictinus (Einsidlae 1858. vol. 1) et Comes Carolus de Montalembert in historia monachorum Occidentis (Ratisbonae 1856. vol. 2).

II. Quaerenti, quis fuerit ille Petrus diaconus, dialogorum collocutor, Arnoldus Wion*) respondet, ipsum fuisse natione romanum, professione monachum Ordinis S. Bened. in monasterio S. Andreae Romae a S. Gregorio aedificato et ab eodem papa diaconum Cardinalem creatum. Ast Joannes diaconus in vita S. Gregorii (II. 11) Petrum tanquam *clericum* et consiliarium opponit *monachis* in contubernio S. Gregorii viventibus. B. Zacharias papa eum romanae ecclesiae archidiaconum vocat, S. vero Gregorius M. fatetur, eundem sibi a primaevo juventutis flore amicitiis familiariter obstrictum fuisse.

Quod spectat ad dialogorum dedicationem, Paulus Diac. (de gest. Langob. lib. 4. c. 5) et Sigebertus (de scriptor. eccles. c. 41) scribunt, Gregorium librum illum Teudelindae, Langobardorum reginae, pro munere misisse, cujus lectione, ut addit Platina, praeferocem et indomitum viri sui Autharis animum ad religionem et mitiorem cultum redigeret.

Vita et actus, doctrina et exempla S. Benedicti tantae auctoritatis et ponderis fiebant, ut obortis subinde controversiis et difficultatibus una hujus Sancti vita et exemplo illustrissimi viri actiones doctrinasque suas defenderint. Ex quorum numero sunt S. Nilus jejunium die dominico observandum permittens, S. Petrus Dam. resignationem episcopatus petens, Gratianus, S. Thomas et S. Bonaventura multas quaestiones de vita eremitica et monastica decernentes, Reginaldus, S. Dominici discipulus, virga fratres percutiens, S. Amatus in specu latens et a ministro particula panis ex alto demissa nutritus, aliique plurimi.

---

*) Lignum vitae II 8 et V. 25.

Communiter effantur Sancti, Deum, quoties ecclesia magnis est agitata tempestatibus, non modo viros insigni sanctimonia praestantes coelitus ad illam juvandam misisse, sed etiam tale vocasse, qui religiosos ordines instituerent, ex quibus multae acies Sanctorum pro recta doctrina et pietate pugnantium prodirent. Exeunte saeculo quinto totus christianus orbis sub haereticorum principum dominatu constitutus erat, nec unus vere catholicus rex ulli provinciae vel terrae praeerat. Quaenam autem morum corruptela illo tempore orbem occupaverit, quot scelera grassata sint, vix ullo sermone explicari potest. In tam tetrae igitur noctis obscuritate, ut scribit Baronius, ejusmodi claritudo lucis affulsit, qua universus orbis illustraretur; S. Benedicti enim partu et vocatione tantus splendor emicuit, ut radios suos a solis ortu usque ad occasum, a septentrionibus in australem regionem longe lateque diffuderit.

Lubet, velut uno fasce colligere, quae S. Benedicti nomini a plerisque adjecta sunt epitheta et elogia. Apud S. Hildegardem *) Deus Pater coelestis testimonium perhibet. Benedictum esse quasi alterum Mosen (legislatorem). Deipara Virgo Maria apud S. Birgittam **) ita enuntiat: »Bonus ille abbas Benedictus ..... nihil praeposuit divinae caritati; .... ejus corpus erat quasi saccus terrae, in quo claudebatur ignis Spiritus S. .... Denique ejus anima erat quasi angelus, qui dedit ex se calorem magnum et inflammationem«. S. Beda (serm. de S. Scholastica) salutat eum doctorem dulcissimum doctorum. A Paulo Diacono (carm. de S. Bened.) nuncupatur fulgida lux saeculi, astrum mundi, flos paradisi. Stephanus III. papa sic allocutus est ipsum: ***) »Ave veri sponsi amice, ave doctor gentium, ave columna orthodoxiae, ave archimandrita oecumenice, sedem apostolicam protege.« S. Odo (serm. de S. Bened.) celebrat

*) Scivias lib. 2. vision. 5.

**) lib. 3. revelat. c. 20. et 21.

***) Anastas. bibliothec. in chron. M. S. Casin

eundem lucernam, stellam et solem, vocat eum angelum, ex cujus ore legem requirunt, domicilium Spiritus Sancti, principem Dei etc. Hugo Capet, Galliarum rex, filio suo venerationem S. Benedicti inculcans praedicare eum non dubitavit salutis aditum apud communem judicem, tranquillitatis portum, post carnis obitum securitatis asylum. S. Petrus Dam. (serm. de S. Bened.) eum appellat organum Spiritus Sancti. S. Bonizo Sutriensis ait: »Benedictus, monachorum apostolus, qui velut lucifer matutinus emicuit.« Goffridus, abbas Vindocinensis (serm. de S. Bened.) dicit eundem monachis a Deo tanquam apostolum et angelum destinatum. S. Vincentius Ferrerius ita loquitur: »Beatus Benedictus habuit scientiam infusam .... scivit plus quam Aristoteles vel Ptolemaeus, vel aliquis philosophorum etc. etc.« Apud Dionysium Carthus. (serm. 2. de S. Bened.) Benedictus indigitatur »potens in verbo et opere, faciens miracula multa et magna, immo maxima, soli omnipotenti possibilia.« Baronius Cardinalis Benedictum laudibus summis extollit, cum fuerit decus occidentalis ecclesiae, magnus catholici orbis splendor, tenuis surculus, ex quo praegrandium exortae sunt frugiferarum arborum silvae.

III. Prisci monachi oblatam etiam dignitatem sacerdotalem constanter respuerunt serioque admonuerunt, ad eam non esse aspirandum. Haec cum ita se habeant, verisimiliter videtur Benedictus a tanti honoris culmine abstinuisse. Revera saeculo demum sexto decimo nonnulli scriptores, v. g. Joannes Franciscus Brixianus, Perez, Yepez etc. sacerdotium ei adscribere coeperunt, dum antiquiores scriptores universi partim de hac re omnino taceant, partim diserte, uti Petrus Blesensis, Philippus bonae spei, S. Bonaventura, S. Petrus Coelestinus, Petrus Boërius aliique contrarium affirment, quibus postea accesserunt Dionysius Carthusianus, Bellarminus, Suarez et alii.

Rationes probabiles, ob quas fortassis magnus monachatus restaurator gradum sacerdotalem refugerit, sequentes afferri solent: 1. adamatae eique congenitae humilitatis studium,

2. desiderium imitandi veteres monachos et patres monachorum, quos sciebat a presbyteratus gradu suscipiendo vel maxime abhorruisse, 3. metus, ne suomet facto in subjectis intempestivum clericatus desiderium foveret, 4. instinctus forte divinus interius eum commonens, ne sacerdotii honorem capesseret aut ullatenus admitteret, uti similia leguntur de Theodoro abbate,*) de S. Francisco Seraphico aliisque.

Ex abbatiali dignitate sacerdotium S. Benedicti colligere fas non est, quia nulla lege vel consuetudine abbates ad suscipiendos ordines erant obstricti, immo satis constat, profecto plurimos fuisse abbates sacerdotali dignitate carentes. Illis scriptoribus, qui argumentum pro presbyteratu SS. Patris desumunt ab ejusdem praedicatione et a zelo, quem in convertendis paganis ostendebat, responderi potest, eum S. Spiritus inspiratione praedicandi munus suscepisse et idolorum cultum extirpasse. Similiter S. Franciscus sacerdotii honore non initiatus in Orientem profectus est, ut fidem Christi Saracenis praedicaret. Rogatus a Soldano, a quo missus esset, intrepide respondit, se a Deo altissimo esse transmissum. Unde Doctor angelicus**) tradit: »Divino judicio aliqui religiosi sunt reputati idonei, ut eis immediate a Deo praedicationis committeretur officium, sicut de Equitio monacho B. Gregorius narrat, item de B. Benedicto.«

Nec absolutio ab excommunicatione, quam duabus monialibus defunctis S. Benedictus impertivit, sacerdotium ejus probat; nam excommunicationem, quam vivis solummodo minatus fuerat, non proprie per sententiam tulit, sed per intercessionem mittendo oblationem, quae pro mortuis Domino offerretur. S. Benedictus, ut ait Bellarminus, extraordinario privilegio sibi collato a Deo ligatas tenere vel solvere animas earum potuit, quibus dum viverent, excommunicationis judicium fuerat comminatus.

*) Vitae SS. PP. VII. 33

**) Contra impugnant. relig. c. 4.

Forsitan non incongrue concludamus: Si Beatus Benedictus sacerdotio initiatus fuisset, procul dubio ad commendandam tanti viri dignitatem S. Gregorius id de eo expressisset, sicut in dialogorum libris de aliis, v. g. de Florentio, Severo, Stephano, Amantio, Sanctulo, Ursino etc. expressit. Sunt, qui Sanctissimo Patri ordinem diaconatus vindicant, sed lis adhuc sub judice est. Patroni sententiae illius, quae tenet, ex adventu et praedicatione S. Benedicti antiquum ecclesiae Casinensis episcopatum in abbatiam transmigrasse, quia exinde non ultra episcopi alicujus Casinensis fiat mentio, *clericatum* S. Benedicti supponant omnino oportet, quia laicus abbas neque dioecesin administrare neque jurisdictionem ecclesiasticam habere vel exercere potuisset (cf. Laureti chron. Cas. p. 24). Sanctorum tamen eminentia non dignitatibus, sed meritis expenditur.

P. Rupertus Mittermüller,
monachus Metteuensis. O. S. B.

VITA SS. P. BENEDICTI.

(secundum Wessofontanum codicem saeculo X. vel XI. scriptum.)

(Fol. 27. b. usque ad fol. 55.)[1])

Liber II. (dialogorum) de vita et miraculis venerabilis Benedicti Confessoris[2]) vel Abbatis monasterii, quod appellatur Arcis, provinciae Campaniae.[3])

Incipiunt Capitula:[4])

I. De capisterio fracto et consolidato.
II. De tentatione carnis superata.
III. De ampulla vitrea signo crucis rupta.
IV. De monacho vagae mentis ad salutem reducto.
V. De aqua quam in montis vertice ex petra produxit.

---

[1]) In regia bibliotheca Monacensi hic codex Wessofontanus membranaceus asservatur sub num. 38. codicum Wessobrunnensium, seu sub num. 22038. clm. Nunc primum comparatio facta est codicis Wessofontani cum nonnullis aliis codicibus ejusdem bibliothecae, id est, cum Frisingensi, Augustana et Ranshofensi.

[2]) Verbum »Confessoris« ortum esse videtur ex correctura apparente verbi »Conditoris«.

[3]) Eadem epigraphe praesignatur liber dialogorum secundus in codice bibliothecae Casinensis Langobardico charactere exarato et num. 85. signato, quem Angelus de Nuce publicandum selegit (cf. Muratori scriptor. rer. ital. IV. 185 n. 1.). Regiae bibliothecae Monacens. codex lat. 22277, Windbergensis autem 77, sic incipit: Vita et miracula s. Benedicti abbatis monasterii, quod dicitur arcrispum (??). Vetustissimus Marcus poëta tradit, castrum Casinum appellatum esse Arcem.

[4]) Codex Frisingensis mancus, quem regia bibliotheca Monacensis sub num. 93. cod. Frising. et 6293. cod. lat. servat quique ad saeculum *nonum* pertinere videtur, capitulorum distinctione et inscriptionibus omnino caret. Unde recte judicant, qui affirmant, capitum divisiones et inscriptiones seu argumenta et titulos minime S. Gregorio adscribenda esse. Eo magis adhaerendum est huic opinioni, cum titulorum, inscriptionum et divisionum varietas sit tanta, ut non solum varias

VI. De ferro ex profundo aquae ad manubrium reverso.
VII. De ejus discipulo qui super aquas pedibus ambulavit.
VIII. De infecto per venenum pane per corvum longius projecto.
IX. De ingenti saxo per ejus orationem levigato.
X. De fantastico coquinae incendio.
XI. De servo Dei parvulo fracto et sanato.
XII. De servis Dei, qui cibum contra regulam sumserunt.
XIII. De fratre Valentiniani monachi, ut supra.
XIV. De simulatione regis Totilae deprehensa.
XV. De clerico a daemonio liberato.[1])
XVI. De prophetia, quae de eodem rege Totila facta est.
XVII. De prophetia destructionis monasterii sui.
XVIII. De flascone sublato et per spiritum cognito.
XIX. De mappulis a servo Dei acceptis.
XX. De superba cogitatione pueri per spiritum cognita.
XXI. De ducentis farinae modiis famis tempore ante cellam inventis.
XXII. De fabrica monasterii terracinensis per visionem disposita.

---

lectiones describentium lapsusve calamorum, sed diversos auctores et redactiones praesupponere oporteat. (Exemplo sunt capita 3, 4, 6, 12, 15, 22, 23, 25). Caput quartum v. g. alii inscribunt: »De monacho vagae mentis ad salutem reducto,« alii: »De castigatione monachi vagi«. Caput duodecimum Haeftenus ita inscribit: »De monachis, qui extra cellam comederunt,« Mabillonius vero ita: »De servis dei, qui cibum contra regulam sumserunt.« Caput ultimum (i. e. 38.) secundum plerosque codices et editiones cum capite praecedente (i. e. 37) ita cohaeret, ut novum caput incipi vel superscriptio inseri prorsus nequeat. Caput enim tricesimum septimum his verbis clauditur: »In eo specu miraculis coruscat« (S. Benedictus); tricesimum dein octavum prosequitur rem inceptam his verbis continuando: »nuper *namque* est res gesta, quam narro.« Unde ipse Angelus de Nuce, abbas Casinensis, testatur, non semel tantum distinctiones et initia capitum in membranis Casinensibus discrepare a vulgatis (Muratori, scriptor. ital. IV. 186.)

[1]) Ex eo loco in codice numeri deficiunt capitulorum sequentium.

PRAEFATIO.[1])

Fuit vir vitae venerabilis gratia Dei Benedictus et nomine, ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile.[2]) Aetatem[3]) quippe moribus transiens nulli animum voluptati dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quod temporaliter libere uti potuisset,[4]) despexit jam quasi aridum

[1]) Annotationes ad vitam S. Benedicti magna ex parte Disquisitionibus Haefteni desumtae sunt.

[2]) De s. Tobia ait Scriptura: »Cum esset junior, nihil tamen puerile gessit in opere« (Tob. 1, 4.), et de S. Agnete praedicat S. Ambrosius (de virginit. lib. 1), quod infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa.

[3]) »aetate« cod. Frising.

[4]) »*quod* temporaliter vivere potuisset« cod. Frising. Editiones vulgate plerumque legunt »quo«.

mundum cum flore.[1]) Qui liberiori genere[2]) ex provincia Nursiae exortus,[3]) Romae liberalibus literarum studiis traditus fuerat.[4]) Sed cum in his multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi[5])

---

[1]) Ut sensus eruatur, verba textus, duce praesertim versione graeca, sic emendanda et transponenda videntur: »sed dum (aetate) tenera (*ἔφηβος*) adhuc esset, mundum cum flore, quo temporaliter (*temperanter?*) libere uti potuisset, (cf. Imitatio Christi lib. 3. c. 27. n. 4. Tribue talibus fomentis *temperate* uti etc.) jam quasi aridum despexit.« Concordant versus Alphani poëtae de S. Benedicto canentis: »Claret aetatis *teneris* ab annis moribus« etc. cf. Acta SS. O. S. B. T. I. p. 30.

[2]) Quadam traditione innixi nonnulli scriptores, qui post saeculum undecimum erant, S. Benedictum illustri Aniciorum progeniei adscripserunt ejusque parentes Eupropium et Abundantiam appellarunt. Adrewaldus, auctor saeculi noni, scribit (lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 1.): »Quantae dignitatis parentibus progenitus fuerit, testantur ruinae palatii eorum cum aedicula prope moenia Nursinae urbis sita. Tantae quippe magnitudinis perplexique operis ex fundamentis constitisse convincitur, ut quaelibet palatia potentissimorum superaverit regum.«

[3]) »ex provincia Nursia« cod. Augustanae eccl. N. 48. ad undecimum, ut videtur, saeculum pertinens (regiae biblioth. Monac. cod. lat. 3748). Similiter cod. Casin. Zacharias papa († 752) haec ita repraesentavit: *ὅστις δίκην ἑωςφόρου ἀστέρος ἐκ τῆς Νουρσίας χώρας τῇ τῶν Ῥωμαίων χώρᾳ ἀνέτειλεν.*« Plures tradunt, S. Benedictum die duodecimo Septembris mundo editum esse (a. 480).

Nursia (nunc Norcia), urbs Umbriae orientalis in Sabinis, sita est ad Apennini radices sub frigido coelo; hinc urbs frigida a Virgilio vocatur. Referunt annales (teste Antonio de Yepez ad an. 523 c. 5.), S. Benedictum in proeliis et obsidionibus pluribus, quas civitas Nursina sustinuit, sublimem in aëre apparuisse atro indutum cucullo, concivibus suis auxilia ferentem patriamque suam defendentem.

[4]) »traditus *a parentibus* fuerat.« cod. Casin. Romam missus est, quia illic liberalium disciplinarum praeprimis vigebant artes, optimisque legibus scholae dirigebantur. Unde inferes, puerum Benedictum ingenii vivacitate polluisse ejusque patrem nutrivisse spem, fore ut cultura studiorum filium suum tractandis reipublicae negotiis aptum redderet. Verum, qui ad majora eum destinaverat, Deus fecit, ut mundi vanitates fastidiret.

[5]) »In ingressu mundi,« graeca translatio »*ἐν τῇ τῶν μαθημάτων διατριβῇ.*«

posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia ejus attingeret, ipse quoque postmodum in immane praecipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo rebusque patris[1]), soli Deo placere desiderans sanctae conversationis habitum quaesivit. Recessit igitur scienter nescius[2]) et sapienter indoctus.[3]) Hujus ego omnia

[1]) Quaenam haec domus patris, quae res a S. Benedicto relictae, exponit Constantinus Cajetanus, abbas monasterii S. Baronti (dioecesis Pistoriensis), qui in epistola de collegio Gregoriano sic disserit: »In alma hac Urbe sanctissimi ipsius viri patricia et augusta Aniciana cunabula etiamnum venerabili paene confecta senio se conspicienda praebent in ejusdem nomine insignita S. Benedicti in Piscinula trans Tiberim ecclesia. Sed et in vetustis monumentis archivii Casinensis monasterii, cujus juris haec eadem ecclesia jam tunc erat, dicitur: »S. Benedictus sub monte Lycaonis,« quandoquidem monticulo cuidam juncta brevissimo spatio distat ab ea insula, quae in mediis Tiberinis fluctibus assurgens insula Jovis Lycaonia etiam appellatur. In hac Transtiberina regione et loco, Piscina dicto, olim superbissima et marmorea assurgebant palatia Anicianae familiae, quorum magnificentiam effossa hoc saeculo rudera passim demonstrant, quod confirmatur ex eo, quod contigua iis sit domus S. Caeciliae ex eadem familia oriundae, quae triduanas a Domino poposcit inducias, ut domum hanc suam consecraret ecclesiam. Has majorum suorum aedes S. Benedictus origine Romanus romanisque parentibus, Nursiae dominis, natus, ad literarum studia incumbens incolebat. Unde postea quaedam earundem aedium pars, ac ea forte (non praeter rationem dixerim), quae familiariter sancto Dei viro quotidie usui erat, primis illis temporibus a piis ipsius alumnis in ecclessiam conversa gloriosissimo ejus nomini consecrata fuit. Et quae hodie B. Virginis imago eleganter depicta a fidelibus in oratorio ipsi ecclesiae contiguo religiose colitur, ea esse circumfertur, quam adhuc puer idem Benedictus venerari consueverat, unde ipsum oratorium hodieque S. Benedicti oratorium denominatur. Itaque haec illa domus est, cujus hic meminit Gregorius: relicta domo rebusque patris.« — Haec porro domus conatu ejusdem abbatis Cajetani et beneficio Gregorii XV. erigendo Collegio sive hospitio Benedictinorum concessa est, ut ex ipsius pontificis diplomate constat. (cf. Bullar rom. edit. Aug. Taurin. 1867 T. XII. p. 537. n. XI.).

[2]) Alia lectio »scienter nesciens«.

[3]) Non minus acute quam graviter Graecus ita vertit: »*γινώσκων ὡς μὴ γινώσκων καὶ σόφος ὡς ἄσοφος.*« S. Petrus Dam. (epist. ad Ariprandum, sive opusc. 45. de sancta simplicitate scientiae inflanti

gesta [1]) non didici, sed pauca, quae narro, quatuor discipulis illius referentibus agnovi, Constantino scilicet reverendissimo valde viro, qui ei in monasterii regimine successit; [2]) Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi monasterio praefuit [3]); Simplicio, qui [4]) Congregationem illius post eum tertius rexit [5]); Honorato etiam, [6]) qui nunc adhuc [7]) cellae ejus, in qua prius conversatus fuerat, praeest. [8])

---

anteponenda) hunc locum illustrat dicens (c. 5.): »B. Benedictus ad literarum studia mittitur, sed mox ad sapientem Christi stultitiam revocatur, et quia scholam pia rusticitate mutavit, hoc descriptum reliquit in capisterio mulierculae, quod de se mundi sapientes exprimere nequeunt in mensa geometricae vel astronomicae disciplinae.« Sic ille.

Male hinc quidam inferunt, religiosis literarum studia esse deserenda; nam, ut optime annotavit Doctor angelicus (opusc. cont. impugnantes religionem c. 11.). »S. Benedictus non discessit a studio quasi scientiam horrens aut studium, sed saecularem vitam et societatem formidans.« Quae ex subsequentibus Gregorii verbis confirmans ita concludit: »Et ideo etiam nunc laudabiliter faciunt, qui saeculari vita studentium relicta ad religionem transeunt, in qua studio vacare possunt.«

[1]) »τὰ κατὰ θεὸν κατορθώματα.« versio graeca.

[2]) Constantinus († 560) erat immediatus successor in regimine monasterii Casinensis.

[3]) Valentinianus, seu Valentinus, a S. Benedicto coenobii Lateranensis primus abbas delectus esse traditur; ast Leo Marsicanus (chron. Casin. lib. 1. n. 2.) testatur, monasterium Lateranense a monachis Casinensibus post devastationem coenobii Casinensis demum esse constructum et Valentiniano commissum.

[4]) »Simplicioque, qui« cod. Augustan.

[5]) Simplicius immediate post Constantinum congregationem Casinensem gubernavit. cf. Paul. Diac. gest. Langobard. IV. 18.

[6]) Huic ipse S. Benedictus Casinum petens vices suas per omnia Sublacensia coenobia demandaverat, quod probatur ex pervetusto chronico MS. Sublacensi his verbis: »Secundo loco ejusdem monasterii et congregationis regimen tenuit Honoratus jam dicti Patris Benedicti discipulus, ex cujus sanctitate et opere coenobium Sublacense augmentandi materiam sumpsit.« Fuisse eum valde grandaevum patet; nam si tunc, cum dialogos scribebat S. Gregorius, anno scil. 594, monasterio adhuc praeerat eoque officio jam ab anno 529 perfunctus est, vel centenarius aut centenario proximus fuisse debet.

[7]) »qui nunc usque adhuc« cod. Casin.

[8]) Inferius, scil. c. 18. 26. 27. tres alios testes oculatos vel auritos, Exhilaratum, Peregrinum et Antonium allegat S. Gregorius.

Cap. I.

DE CAPISTERIO FRACTO ET CONSOLIDATO.

Hic itaque cum jam relictis literarum studiis petere deserta decrevisset, nutrix,[1]) quae hunc arctius amabat, sola secuta est.[2]) Cumque ad locum venissent, qui Effide[3])

Taceri non debet, Baronium (ad an. 581) verba illa »cellae ejus, in qua prius conversatus fuerat« ad coenobium Casinense et ad Valentinianum detorsisse; sed perperam, nam ipsa verborum series satis indicat monasterium Sublacense et S. Benedictum. Quemadmodum autem monasterium teste Cassiano (collat. XVIII. 10) etiam unius monachi habitatio nominari potest, ita cellae vocabulo non unius dumtaxat monachi habitaculum, sed integrum saepe multorum monachorum designatur coenobium, qua notione frequenter occurrit in scriptis S. Gregorii et in his praesertim dialogorum libris, ut hoc secundo c. 9. 12. 13. 21. 33.

Expedit, addere verba Aimoini in lib. 2. de gestis Francorum c. 22: »Tantis (Benedictus) effulsit miraculorum signis, ut nisi vir toto venerabilis orbe, papa videlicet Gregorius, ejus esset vitae relator simulque assertor eximius, profecto ab tam mirandis derogaretur actibus.«

[1]) Communiter nominant Cyrillam. Mirabitur quispiam, cur puero literis operam danti nutrix comes et directrix addita, et non potius paedagogus aliquis datus sit. Parentes id videntur fecisse, vel quod adhuc tenerae sanctus puer erat aetatis, quae septimum vix excedebat annum, vel quod pater Eupropius fidem nutricis tantam expertus fuerat, ut nemini potius quam illi curam carissimi pignoris demandandam esse putaret.

[2]) Recessum hunc ex divina inspiratione factum Goffridus Vindocinensis abbas (serm. de fest. B Bened.) commemorat et hunc actum ut insigne S. Patris N. in illa aetate paupertatis studium commendat. »Ibant, inquit, ambo tanquam mater et filius, donec ventum est ad locum, qui Effide dicitur. Quo in loco a quodam paupere viro pro Christi amore pauper Christi cum sua nutrice hospes suscipitur.«

[3]) Effide seu Efide legunt etiam codices Frising., August., Casin. Similiter cod. Ranshof. seu cod. lat. Monac. 12617, saeculo XII. exaratus). Econtra vetustissimus cod. S. German. (ad saec. VIII. vel IX. pertinens) habet »*Enfide*«, cui consentit S. Zacharias, qui verbo utitur »Ἐνφεῖδε«. Ab incolis vulgo appellatur Afile (vetus Aufidena?), in Latio triginta fere milliaribus italicis Roma distans, a sacro autem S. Benedicti specu et Sublacensi monasterio duobus. Ecclesiam autem S Petri, cujus hic fit mentio, oppido adjacere scribit Cajetanus. Hanc autem Roma discedens S. Benedictus, ab ipsa infantia (ut S. Hildegardis in vita S. Disibodi scribit) S. Spiritus gratia perfusus adiit,

dicitur, multisque honestioribus viris caritate se illic detinentibus in beati Petri[1]) ecclesia demorarentur, praedicta nutrix illius ad purgandum triticum a vicinis mulieribus praestari sibi capisterium petiit,[2]) quod super mensam incaute derelictum casu accidente fractum est,[3]) sicque ut in duabus partibus inveniretur divisum. Quod mox ut rediens nutrix illius invenit[4]), vehementissime flere coepit, quia vas, quod praestitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus et pius puer cum nutricem suam flere conspiceret, ejus dolori compassus ablatis secum utrisque fracti capisterii partibus sese cum lacrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens ita juxta se vas sanum repperit, ut in eo fracturae inveniri vestigia nulla potuissent. Mox autem nutricem suam blande consolatus ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quae res in loco eodem cunctis est agnita atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisterium ejus loci incolae in ecclesiae ingressu suspenderent,[5]) quatenus et praesentes et

---

a duobus etiam angelis, quos Cyrilla ejus nutrix videbat, comitatus, ut Callixtus auctor vetustissimus apud Petrum diaconum in registro S. Placidi ex archivo Casinensi tradit.

[1]) »in beati Petri apostoli« edit. Maurinorum.

[2]) Graecae originis esse videtur vox capisterium, a *χαπνίω* i. e. efflo, quia erat instrumentum ad efflandas paleas. Hodie ejusmodi ventilabra ex ligno plerumque fiunt, olim erant fictilia; non mirum igitur, si nutricis capisterium e mensa decidens sit confractum.

[3]) Graeca Zachariae metaphrasis narrat, a daemone honesti osore, e mensa dejectum atque ita confractum esse hoc capisterium. S. Isidorus Hispalensis (vel ejusdem interpolator) ait (de ortu et obitu Patrum c. 43.): »S. Joannes Evang. gemmarum fragmina in propriam reformavit naturam.« (cf. Migne patrolog. lat. T. 83. col. 1288.). Idem praestitit de scypho fracto S. Leo IX. papa, testante Victore III. (lib. 3. de mirac. S. Ben. c. 1.) et S. Nonnosus abbas de fracta lampade vitrea, uti narrat S. Gregor. M. dial. I. 7.

[4]) Consentiunt codd. Casin. et Frising. refragante tamen editione Maur, quae (cum cod. August.) habet »quod mox rediens nutrix illius ut ita invenit.« . . .

[5]) Ex hoc primo S. Benedicti miraculo S. Odo (serm. de S. Ben.) animos nostros excitat ad magnam de tanti Patris patrocinio concipiendam fiduciam. »Si enim, inquit, adhuc puerulus ita capisterium

futuri[1]) omnes agnoscerent, Benedictus puer conversionis[2]) gratiam a quanta perfectione coepisset.[3]) Quod annis multis illic ante oculos omnium fuit, et usque ad haec Langobardorum tempora super fores ecclesiae pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi huius perpeti, quam laudes, pro Deo laboribus fatigari,[4]) quam vitae hujus favoribus extolli, nutricem suam occulte fugiens[5]) deserti loci secessum petiit,[6]) cui Sublacus vocabulum est,[7]) qui a romana urbe quadraginta fere millibus distans frigidas atque

---

reparavit, ut ne scissura quidem appareret, nos qui vasa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati sumus, quia multas peccatorum scissuras incurrimus, per eundem medicum, qui jam suo regi sociatus est, reparari poterimus.«

[1]) »et praesentes et secuturi« cod. Casinens. aliique.

[2]) »conversionis« cod. Casin. concorditer cum Wessobrunn.

[3]) »Benedictus puer conversationis gratia a quanta perfectione coepisset«. codd. Frising. August. et Ranshof.

»conversationis gratiam a quanta perfectione coepisset« edit. Maur.

[4]) »plus appetens mala perpeti, quam laudes ab hominibus quaerere, pro Deo laboribus fatigari« cod. Casin.

»plus appetens mala perpeti, quam laudes, et plus pro Deo laboribus fatigari« ed. Maur.

»mala perpeti, quam laudari« nonnullae editt. dissentiente etiam versione graeca »ἐπαίνοις«.

[5]) S. Thomas (opusc. contra retrahentes ab ingressu religionis c. 9. et 13.) ex hoc loco probat, deliberationem de melioris vitae proposito non instituendam esse cum carnali necessitudine conjunctis puerosque perfectionis statum eligere posse et votis religionis obligari.

[6]) In ipsa pueritia stricte dicta id contigisse communis habet opinio, immo plerique consentiunt, anno aetatis suae decimo tertio vel quarto Benedictum hoc fecisse (a. 494). S. Odo (serm. de S. Ben.) ait: »Adhuc *tenerrimus* grandaevo animo eremi vastitatem subire ausus est.« Consonat S. Bonaventura scribens (hom. 20. in hexaem.) »Non multum studuerat ipse nec libros habebat, quia ipse decimo tertio anno mundum dimiserat.«

[7]) Sublacus (hodie Subiaco) in Latio seu Campania romana ad Anienem in territorio Aequicolarum sita est. Apud Plinium (lib. 3.) legitur: »Anio lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaceo, defert in Tiberim. Sequentibus temporibus muris Sublacus cincta oppidum evasit. Ex oppido ad monasterium Sublacense via est duorum milliarium per abruptas petras et difficiles aditus.

perspicuas emanat aquas. Quae illic videlicet aquarum abundantia in extenso prius lacu colligitur,[1]) ad postremum vero in amne derivatur. Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine[2]) hunc euntem repperit. quo tenderet inquisivit. Hujus cum desiderium cognovisset, et secretum tenuit et adjutorium impendit eique sanctae conversationis habitum tradidit et in quantum licuit ministravit.[3]) Vir autem Dei ad eundem locum perveniens arctissimo specu se tradidit[4]) tribus annis, excepto Romano

---

[1]) »in extensum prius lacum colligitur« codd. Casin et August. »in extenso prius loco collegitur« cod. Frising.

[2]) De eo in breviario monastico agitur die XXII. Maii, quo ita Martyrologium romanum: »In pago Antisiodorensi B. Romani abb., qui S. Benedicto ministravit in specu: inde in Gallias proficiscens aedificato monasterio relictisque multis sanctitatis alumnis quievit in Domino« (a. 546).

Eodem loco, quo B. Benedicto Romanus obviam venit et Deo mentem ejus permovente pueri divinam vocationem agnoscens s. conversationis habitum (σχῆμα) tradidit, ad tantae rei memoriam deinceps sacellum extructum est in honorem s. Crucis (santa crocella), quod a S. Scholasticae monasterio, i. e. a Sublaco ad sacrum specum euntibus occurrit.

[3]) Vocabulum »sancta conversatio« olim pro monachatu est usurpatum (cf. S. Beda in vita S. Cuthberti c. 28). Verisimiliter Romanus monasterium suum repetiit et indumentum aliquod monachale vel suae dispositioni concreditum vel suis usibus assignatum recepit atque in eleemosynam dedit Benedicto; ista enim et quaedam alia, v. g. ministratio ciborum, monachis tunc licebant, quae nunc prohibentur. Simeon Stylites in monasterio S. Timothei degens cibum, quem simul cum fratribus accipiebat, tacite pauperibus erogabat. Permissum quoque fuit olim monachis sacerdotibus, ut habitum et tonsuram monasticam petentibus conferrent, immo tonsuram anachoreticam a quibusvis fere aliquando traditam esse scriptores observant.

[4]) »in arctissimo specu se tradidit« codd. Casin. et Frising. »in arctissimum specum se tradidit«. Edit. Maur.

Sacrum specum Yepez sepulchri potius formam, quam humani domicilii referre ait; in longum enim non ultra septem, in latum vero non ultra quatuor spithamas se extendit. Hinc in ea consistere nemo erectus potest, sed tantum procumbere aut genuflectere. Pavimentum ipsum asperum et scabrosum, ut silvestrium animalium non male quis latibulum dixerit.

monacho hominibus incognitus mansit: qui videlicet Romanus non longe in monasterio sub Deodati[1]) Patris regula degebat.[2]) Sed pie ejusdem patris sui oculis furabatur horas, et quem sibi ad manducandum subripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem vero specum a Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupis eminebat; sed ex eadem rupe in longissimo fune religatum Romanus deponere panem consueverat, in qua etiam resti parvum tintinnabulum inseruit, ut ad sonum tintinnabuli vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem praeberet, quem exiens acciperet.[3]) Sed antiquus hostis unius caritati invidens, alterius refectioni, cum quadam die submitti panem conspiceret, jactavit lapidem et tintinnabulum fregit.[4]) Romanus tamen[5]) horis congruentibus[6]) ministrare non desiit. Cum vero jam omnipotens Deus et Romanum vellet

---

[1]) »Adeodati« codd. Casin. et August. »Ἀδεωδάτου« graeca metaphrasis. Lubet occurrentibus lectionibus dubiis semper adjungere lectionem graecam, quotiescumque haec alicui codici latino respondet vel congruit; praebet enim argumentum, S. Zachariam jam saeculo medio octavo illa lectione textus latini usum esse, quae convenit cum graeca.

[2]) Haec regula peculiaris fuisse videtur, quam Deodatus pro illius temporis more conventui suo praescripserat et cui S. Benedictus non erat subjectus.

[3]) »quem accipiens ederet« nonnulli codices juniores Galliae.

Testis oculatus refert, S. Benedictum e sacra specu per triginta gradus ascendisse ad quandam planitiem, in quam Romanus summo rupis cacumini incumbens funem centum octoginta pedum demittebat. Resti cophinus tenuem annonam devehens alligatus erat.

[4]) Tintinnabulum cum cilicio et cruce, quam Benedictus in specum asportaverat, etiamnum hodie in monasterio Sublacensi, quod S. Benedicti vocant, tanquam thesaurus servatur. Particula tintinnabuli per lapidis jactum ablata hanc propemodum figuram ⌐ repraesentat.

[5]) A graeco interprete S. Romanus his dignatur egregiis epithetis: »ὁ δὲ Ῥωμανὸς ταῖς πρεπούσαις κατὰ Θεὸν ἐπινοίαις τιμιώτατος.«

[6]) »horis congruentibus« codd. S. German. et August., cum quibus concordat etiam cod. Gemeticensis primus, aeque saeculo nono vel decimo scriptus.

»modis congruentibus« cod. Casin. et edit. Maurin.

a labore quiescere et Benedicti vitam in exemplo[1]) hominibus demonstrare, ut posita super candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti, qui refectionem sibi in paschali festivitate paraverat, per visum Dominus apparere dignatus est dicens: Tu tibi delicias praeparas, et servus meus illo in loco fame cruciatur.[2]) Qui protinus surrexit atque in ipsa solemnitate paschali cum alimentis, quae sibi paraverat, ad locum tentendit et virum Dei per abrupta montium, per concava vallium, per defossa terrarum quaesivit eumque in specu latere repperit. Cumque oratione facta et benedicentes omnipotentem Dominum consedissent, post dulcia vitae colloquia is, qui advenerat presbyter dixit: Surge, sumamus cibum, quia hodie pascha est. Cui vir Domini respondit dicens: Scio, quod pascha est, quia videre te merui:[3]) longe quippe ab hominibus positus, quia die eodem paschalis esset solemnitas, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit dicens: Veraciter hodie resurrectionis dominicae paschalis dies est; abstinere tibi minime congruit, quia et ego ad hoc missus sum, ut dona Domini omnipotentis pariter sumamus. Benedicentes igitur Deum sumserunt cibum. Expleta itaque refectione et colloquio, ad ecclesiam presbyter recessit.

Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores invenerunt, quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt. Sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam a bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque ejus per vicina loca cunctis innotuit, factumque est, ut ex illo jam

[1]) »in exemplo« cod. Frising.
»in exemplum« cod. Casin. et edit. Maur.

[2]) S. Zacharias vertit: »διὰ τὴν πρὸς ἐμὲ ἀγάπην λιμῷ συνέχεται«.

[3]) Laetitia de adventu cari amici aut hospitis pascha, i. e. gaudium paschale seu maximum vocabatur, quia pascha erat festorum omnium laetissimum. Simili loquendi formula hodie in nonnullis regionibus utuntur homines in adventu nobilium, vel venerabilium personarum exclamando: hodie dedicatio ecclesiae nobis est, i. e. jucundissimum aliquid nobis contingit.

tempore a multis frequentari coepisset, qui cum ei cibos deferrent corporis,[1]) ab ejus ore in suo pectore alimenta referebant vitae.

Cap. II.

DE TENTATIONE CARNIS SUPERATA.

Quadam vero die dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra parvaque avis, quae vulgo merula vocatur, circa ejus faciem volitare coepit ejusque vultui importune insistere, ita ut capi manu posset, si hanc vir sanctus[2]) tenere voluisset: sed signo crucis edito recessit avis.[3]) Tanta autem carnis tentatio ave eadem recedente secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando feminam viderat, quam malignus spiritus[4]) ante ejus mentis oculos reduxit, tantoque igne servi Dei animum in specie illius accendit, ut se in ejus pectore amoris flamma vix caperet,[5]) et jam pene deserere eremum voluptate victus deliberaret, dum subito superna gratia respectus[6]) ad semetipsum reversus est atque urticarum et veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento

---

[1]) »cibos deferrent corporis« codd. Casin. et Frising.
»cibum afferrent corporis« edit. Maurin.

[2]) »vir sanctus« ed. Maur. »vir Dei« cod. Casin.

[3]) Sub nigra hac avicula Orci se pullus abdiderat, uti graecus textus clare indigitat: *τὸν ἐν σχήματι ὀρνέου φανέντα αὐτῷ δαίμονα ἄφαντον πεποίηκε*«, etc.

[4]) Graeca translatio eum vocat »*τὸν τῆς πορνείας δαίμονα ἐν σχήματι γυναίου φανέντα.*«

[5]) »ut se in ejus pectore amoris flamma vix caperet« codd. Casin., S. German., Frising. At vulgares editiones habent: »ut dum in ejus pectore amoris flamma vim caperet«.

[6]) »cum subito superna gratia respectus« codd. Frising. et Casin. et edit. Maurin. In pluribus vero aeque antiquis codicibus, v. g. in cod. Carnotensi primo, qui saeculo nono conscriptus est, et in cod. monasterii Pratellensi, qui saeculo nono vel decimo adscribitur, item in cod. Gemeticensi primo, qui eadem aetate pollet, ita legitur: »Cum subito supernae gratiae respectu (vel aspectu)«. Recentiores quidam habent: »tum subito superna gratia repletus«.

nudum se in illis spinarum aculeis et urticarum incendiis projecit[1]), ibique diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem.[2]) Cumque pene poenaliter arderet foris, extinxit quod illicite ardebat intus. Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in illo est tentatio voluptatis edomita, ut tale in se aliquid minime sentiret. Coeperunt postmodum multi jam mundum relinquere atque ad ejus magisterium festinare. Liber quippe a tentationis vitio, jure jam factus est virtutum magister. Unde et per Moysen in Exodo praecipitur, ut Levitae a viginti quinque annis et supra ministrare debeant, ab anno vero quinquagesimo custodes vasorum fiant.

Petrus. Jam quidem prolati testimonii mihi aliquantum intellectus interlucet; sed tamen hoc planius[3]) postulo exponi.

Gregorius. Liquet, Petre, quod in juventute carnis tentatio ferveat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat. Vasa autem sacra sunt fidelium mentes. Electi ergo* cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac servire necesse est et obsequiis laboribusque fatigari. Cum vero jam mentis aetate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt.

---

[1]) S. Franciscus Seraphicus, ut traditio saltem legendaria est, dumeta sive manuum insitione sive miraculo divinae virtutis in rosarium pulcherrimum vertit, cujus germina multam ubique infirmitatum medelam attulerunt. Frondes rosarum vernant in plantario tota hieme; fit ex eis etiam aqua rosacea quae solet ad nobiles personas mitti. (Wadingus tom. I. annal. sui Ord. ad ann. 1222.)

[2]) S. Zacharias hunç actum heroicum ita depingit: »ἐπὶ πολλαῖς ὥραις ἐν αὐτοῖς κυλισθεὶς ἐγκαρτερῶν καὶ ἅπαν τὸ ἑαυτοῦ σῶμα αἵμασι περιῤῥεόμενον βλέπων γενναίως ὑπενέγκας τὰς τούτων ἀλγηδόνας, λυτρωθείς τε τοῦ τοιούτου θανατηφόρου λογισμοῦ τῷ θεῷ μεγάλῳ διέμενεν εὐχαριστῶν.«

Hieremias quoque Drexelius in suo Niceta (lib. 2 c. 1. §. 1—5) rhetoricis flosculis totam hanc pugnam et victoriam describit.

[3]) »plenius« edit. Maur., codd. Casin. et Frising.

Petrus. Fateor, placet quod dicis. Sed quia prolati testimonii claustra[1]) reserasti, quaeso ut de vita justi debeas ea, quae sunt inchoata, percurrere.

Gregorius. Recedente igitur tentatione vir Dei quasi spinis erutis exculta terra de virtutum segete veracius[2]) fructum dedit. Praeconio itaque eximiae conversationis celebre nomen ejus habebatur.

Cap. III.

DE AMPULLA VITREA SIGNO CRUCIS RUPTA.

Non longe autem monasterium fuit,[3]) cujus congregationis Pater defunctus est, omnisque ex illo congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit et magnis precibus ut eidem praeesse deberet petiit.[4]) Qui diu negando distulit, suis illorumque fratrum moribus convenire non posse praedixit,[5]) sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cumque in eodem monasterio regularis vitae custodiam teneret, nullique ut prius per actus illicitos in dexteram laevamque partem deflectere a conversationis itinere liceret, suscepti fratres[6]) insane saevientes semetipsos prius accusare coeperunt, quia hunc sibi praeesse poposcerant, quorum scilicet fortitudo in norma ejus rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere et se dolerent assueta relinquere, durumque esset, quod in

---

[1]) »clausa« codd. Casin., Frising., August.

[2]) feracius« codd. Casin. et Frising.

[3]) Tentatione devicta nunc hi nunc illi discipuli ad eum accedebant, et aliquot annos intercurrisse, donec in abbatem postularetur, verisimile omnino est. Non improbabiliter circa vicesimum quintum vel tricesimum aetatis annum (a. 505 vel 510) regimen abbatiale suscepisse creditur; unde et S. Gregorius hoc capite eum non semel *virum Dei* appellat.

Situm fuit hoc monasterium inter Sublacum et Tibur in Latio non longe a loco, quem Vicoverram sive Varronis vicum dicunt.

[4]) Alias legitur: »ut eis pater esse deberet petiit.«

[5]) Huic Wessofontani codicis lectioni consentiunt codd. Casin., S. German., Frising. et August., dissentit vero cod. Carnot. antiquior, qui legit: »suos illorumque fratrum mores convenire non posse.«

[6]) Aptissime dicit, hos monachos a se susceptos esse tanquam aegrotos a medico, vel tanquam clientes a patrono.

mente veteri cogebantur nova meditari, sicut pravis moribus semper gravis est vita bonorum, tractare de ejus aliquid[1]) morte conati sunt, qui inito consilio venénum vino miscuerunt. Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri ex more monasterii ad benedicendum fuisset oblatum[2]), Benedictus extensa manu signum crucis edidit, et vas, quod longius tenebatur, eodem signo rupit sicque confractum est, ac si in illo vase mortis pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitae: atque illico surrexit et vultu placido, mente tranquilla, convocatos fratres allocutus est dicens: Misereatur vestri, fratres, omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? Numquid non prius dixi, quia vestris ac meis moribus non conveniret? Ite, et juxta mores vestros vobis Patrem quaerite, quia me posthac habere minime potestis. Tunc ad locum dilectae solitudinis rediit et solus in superni spectatoris[3]) oculis habitavit secum.[4])

Petrus. Minus patenter intelligo, quidnam sit: Habitavit secum.

Gregorius. Si sanctus vir contra se unanimiter conspirantes

---

[1]) »aliqui« juxta edit. Maurinorum, contradicentibus tamen codicibus S. German., Casin., Frising. et August., qui una omnes cum Wessofontano legunt »*aliquid*« et praesupponunt, universam congregationem in Benedictum conspirasse.

[2]) Constat, in S. Benedicti monasteriis praeter communem benedictionem ex praescripto cap. 40. s. reg. praemittendam aliam fuisse usitatam, cum in more habuerint, vel primum calicem abbati eminus benedicendum offerre vel, quotiescumque bibendum erat, benedictionem cum signo crucis super calicem facere. Immo consuetudo singula fercula benedicendi non tantum inter monachos sed et inter alios christianos viguit.

[3]) »inspectoris« codices recentiores.

[4]) Hac loquendi forma etiam ethnici, v. g. Persius (satyr. 4.) et Seneca (ep. 2.) ad èlucidandam interiorem conversationem utebantur. Concilium Meldense (anno 845) monachis praescripsit (can. 57.), ut juxta exemplum S. Patris Benedicti in monasterio secum habitarent atque se ipsos recolligerent, quod posterius prioris videtur esse explanatio vel certe scopus et finis.

suaeque conversationi longe dissimiles coactus[1]) diu sub se tenere[2]) voluisset, fortasse sui vigoris usum et modum tranquillitatis excederet[3]) atque a contemplationis lumine mentis suae oculum declinasset. Dumque quotidie illorum incorrectione[4]) fatigatus minus curaret sua, et se forsitan relinqueret, et illos non inveniret. Nam quotiens per cogitationis motum nimie extra nos ducimur, et nos sumus, et nobiscum non sumus,[5]) quia nosmetipsos minime videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit, portionem, quam acceperat, consumpsit, uni in ea civium adhaesit, porcos pavit, quos et manducare siliquas videret et esuriret?[6]) qui tamen cum postmodum coepit cogitare bona, quae perdidit, scriptum de illo est: In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?[7]) Si igitur secum fuit, unde ad se rediit? Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim, quia in sua semper custodia circumspectus ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suae oculum non devulgavit.[8])

---

1) Scribendum erat: »coactos«.

2) »diu sustinere« codd. Frising. et Carnot. jun.

3) alias legitur: »abscinderet«.

4) »correptione« edit. Haëfteni et Laureti.

5) »et nos sumus, et nobiscum non sumus« codd. Vatican., S. German., Carnot. antiq., Frising. Similiter versio graeca: *»καὶ ἡμεῖς μέν ἐσμεν, μεθ' ἑαυτῶν δέ οὐκ ἐσμὲν«* (*δ'οὐκ ἐσμεν.*).

»et nobiscum sumus et nobiscum non sumus« codd. Casin. et Sublacenses a Cardinali Quirino collati, aliique recentiores.

6) Cum hac Wessofontana lectione concordant codd. Casin., Frising., August. et Ranshof. simulque editio Cardinalis Quirini (Venet. 1723 pag. 19)

7) Sensus hujus loci hanc forsitan transmutationem admittat: An illum secum fuisse dicimus, qui .... in longinquam regionem abiit, ... porcos pavit, quos et manducare siliquas vidit ipse esuriens?*) (an illum secum fuisse dicimus), de quo ..... scriptum est: In se reversus etc.

*) *οὓς ἑώρα κεράτια ἐσθίοντας, ἑαυτὸν δὲ λιμῷ τηκόμενον.*

8) »non elongavit« codd. juniores.

Petrus. Quid ergo quod de Petro Apostolo scriptum est, dum de carcere ab angelo eductus fuisset, quia ad se reversus dixit: »Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum et eripuit me de manu Herodis et de omni expectatione plebis Judaeorum? [1])«

Gregorius. Duobus modis, Petre, extra nos ducimur, quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos ducimur, [2]) aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos levamur. Ille itaque, qui porcos pavit, vagatione mentis et immunditia [3]) sub semetipso cecidit. Iste vero, quem angelus solvit ejusque mentem in extasi [4]) rapuit, extra se quidem sed supra semetipsum fuit. Uterque ergo ad se rediit, quando et ille ab errore operis se collegit ad cor, et iste a contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi et prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitavit secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodivit; nam quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.

Petrus. Placet quod dicis; sed quaeso ut respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit.

Gregorius. Ut ego, Petre, existimo, ibi adunati aequanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni. [5]) Nam ubi omnimodo fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor supervacuus, maxime si e vicino causae suppetant, quae fructum Deo valeant ferre meliorem. Vir itaque sanctus propter quem custodiendum

---

[1]) Acta apost. 12, 11.

[2]) Idem habet cod. Gemeticens.; in editione vero Maurinorum legitur: »sub nosmetipsos recidimus,« quod Graecus ita exprimit: ὑφ' ἑαυτῶν συμπίπτομεν.«
»extra nosmetipsos ducimur« cod. S. German.
»sub nosmetipsos recedimus« cod. Casin. et editio Quiriniana.

[3]) »immunditiae« codd. Casin. et August.

[4]) »extasi« cod. August.
»extasin« cod. Casin. et edit. Maur.

[5]) Citatur haec auctoritas in jure canonico (caus. 7. q. 1. c. Ibi adunati) Hinc in decretalibus (lib. 1. tit. 9. c. 10) inter sex causas, ob quas episcopis solet concedi licentia cedendi episcopatui, etiam malitia plebis (ab Innocentio III.) recensetur.

staret, qui omnes unanimiter se persequentes cerneret? et saepe agitur in animo perfectorum, quod silentio praetereundum non est, quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio[1]) ad laborem cum fructu migrant. Unde ille quoque egregius praedicator, qui dissolvi cupit et cum Christo esse, cui vivere Christus est et mori lucrum, qui certamina passionum non solum ipse appetit, sed ad toleranda haec et alios accendit, Damasci persecutionem passus, ut potuisset[2]) evadere, murum, funem sportamque quaesivit seque latenter deponi voluit. Numquidnam Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro Jesu amore testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret et gravem laborem, ad laborem se alibi cum fructu servavit. Fortis etenim praeliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quaesivit. Unde idem quoque venerabilis Benedictus, si libenter audis, citius agnoscis, quia vivos ipse indociles deseruit,[3]) quantos in locis aliis ab animae morte suscitavit.

Petrus. Ita esse, ut doces, et manifesta ratio et prolatum congruum testimonium declarat. Sed quaeso, ut de vita tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius. Cum sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret,[4]) multi ab eo in loco eodem ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati, ita ut illic XII monasteria cum omnipotentis Jesu Christi Domini opitulatione construeret,[5]) in quibus statutis Patri-

---

[1]) »in alium locum« pleraeque editiones.

[2]) »potuisset« cod. Casin. conformiter cum editione Quirini Venet. »posset« edit. Maurin.

[3]) »quia vivos ipse indociles deseruit« codd. S. German., Gemeticens., Ranshof., Casin. Augustan.

»quia si hos ipse indociles deseruit« cod. Carnot. prim.

»quia virus (ζῶν) ipse indociles deseruit.« cod. Pratellens. cum versione graeca.

[4]) S. Zacharias papa addit, Benedictum esse sublimatum (ἀναβιβασθῆναι εἰς ὕψος ἀγγελικῆς δόξης.)

[5]) Verisimile est, ab anno quingentesimo quinto vel decimo, quo relictis monachis Vicovarrensibus Sublacum repetiit, ad annum usque

bus duodenos monachos deputavit,[1]) paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri[2]) judicavit. Coeperunt etiam tunc ad eum Romanae urbis nobiles et religiosi concurrere suosque ei filios omnipotenti Domino nutriendos dare.[3]) Tunc quoque bonae spei suas soboles Euticius[4]) Maurum, Tertullus vero patricius Placidum tradidit, e quibus Maurus junior cum bonis polleret moribus, magistri adjutor coepit existere, Placidus vero puerilis adhuc indolis annos gerebat.

---

quingentesimum vicesimum nonum, quo Casinum adiit, haec coenobia fuisse extructa. Ex quibus mentione digna videntur: 1. Columbaria, postea S. Clementis monasterium, in quo S. Benedictus ut plurimum habitasse et SS. Maurum duodennem Placidumque septennem (a. 522) habitu donasse et Placidum in aquam delapsum vidisse fertur. 2. SS. Cosmae et Damiani, hodie S. Scholasticae. 3. S. Joannis ab aquis, in montis cacumine extructum et aquae penuria laborans, cui S. Benedictus precibus suis providit aquam e rupe producendo. 4. S. Blasii, alias S. Romani, in quo S. Romanus jam antea sub Patre Adeodato vixerat quodque postea S. Benedictus in numerum suarum congregationum adoptavit.

Sacra specus, in qua S. Patriarcha diutissime habitaverat, postero demum tempore in monasterium sub nomine S. Benedicti mutata est.

[1]) An forte duodenarium apostolorum numerum, cui Christus ut pater praeerat, voluit imitari? An exprimere numerum duodecim millium signatorum, quae Joannes in Apocalypsi vidit?

[2]) al. »altius«.

[3]) Hos pueros nobiles non tanquam alumnos saeculares litteris imbuendos, sed ut monachos tirones traditos esse, ex versione graeca clarius elucet; ait enim Zacharias: *»ἤρξαντο οὖν .... τοὺς ἑαυτῶν υἱοὺς δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ προσφέρειν* (offerre = oblati). Consentit Pseudo-Gordianus in vita S. Pacidi dicens, Tertullum patricium eo die filium suum *Deo obtulisse*.

Suspicari tamen licet, S. Benedictum in suis monasteriis etiam artes elegantes et ingenuas docuisse, vel aliis id muneris delegasse; a quo enim Faustus et Gordianus aliique, qui etiamnum pueri in ordinem recipiebantur et tamen scientia effulgebant, sicut testantur eorum monumenta litteraria, eas didicissent?

[4]) »Evitius« cod. S. German. cum Gemetic.
al. »Eutychius vel Aequitius« graece: »*Ἐβίτζιος*.«
»Euticius« cod. Augustan.

Cap. IV.

DE MONACHO VAGAE MENTIS AD SALUTEM REDUCTO.

In uno autem ex eis monasteriis, quae circumquaque construxerat, quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat, sed mox ut se fratres ad studium orationis[1]) inclinassent, ipse egrediebatur foras et mente vaga terrena aliqua et transitoria agebat. Cumque ab abbate suo saepius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque ejus stultitiam vehementer increpavit, et ad monasterium reversus vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit; nam die tertio ad usum proprium[2]) reversus vagari tempore orationis coepit. Quod cum servo Dei ab eodem monasterii Patre, quem constituerat, nuntiatum fuisset, dixit: Ego venio eumque per memetipsum emendo. Cumque vir Dei venisset in eodem monasterio[3]) et constituta hora, expleta psalmodia,[4]) sese fratres in orationem dedissent,[5]) aspexit, quod eundem monachum, qui manere in oratione non poterat, quidam niger puerulus

---

[1]) »*γονυκλισίαν*« versio graec.

[2]) »*εἰς τὸ διαβολικὸν ἔθος.*« S. Zach.

[3]) Consentit cod. Casin.: »in eodem monasterio«, dum alias legitur »ad idem monasterium«.

[4]) »constituta hora, expleta psalmodia« codd. Casin. et August. et edit. Maurin.

»hora orationis psalmodiae« cod. Gemeticens.

[5]) »*ἑαυτοὺς εἰς προσευχὴν δεδώκασι γόνυ κλίναντες.*«

Ex hoc loco colligitur, tunc viguisse orationis mentalis studium ab officio divino seu *psalmodia* distinctum; non enim ab hac se vagus frater subducebat, sed ab ea oratione, quae expleta psalmodia fiebat. Quod aliis verbis Gregorius ante dixerat: »mox ut fratres se ad *studium* orationis inclinassent.« Orandi *studium* non vocalem, sed mentalem orationem, i. e. pios affectus indicat. Non minus studium mentaliter orandi confirmatur, cum dicitur fratres se inclinasse, i. e. genua flexisse; horae enim canonicae potissimum stando vel sedendo persolvuntur. Longius forsan tempus huic orationi erat constitutum; si enim brevior fuisset oratio, vix apparet, cur frater ille se tam studiose voluerit subducere.

per vestimenti fimbriam foras trahebat.[1] Tunc eidem Patri monasterii, Pompeiano nomine, et Mauro Dei famulo secrete dixit: Numquid non aspicitis, quis est, qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerunt: Non. Quibus ait: Oremus, ut vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit, Pompeianus autem ejusdem monasterii Pater videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione vir Dei oratorium egressus stantem foris monachum repperit, quem pro caecitate cordis sui virga percussit[2]): qui ex illo die nil persuasionis ulterius a nigro jam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit, sicque antiquus hostis dominari non ausus est in ejus cogitatione ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

Cap. V.

DE AQUA, QUAM IN VERTICE MONTIS EX PETRA PRODUXIT.

Ex his autem monasteriis, quae in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant, et valde erat fratribus laboriosum, semper ad lacum descendere, ut aquam haurire debuissent, maxime quia ex divexo[3]) montis latere erat grave descendentibus in timore[4]) periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis ad Dei

---

[1]) »trahebat« cod Casin. »traheret« editiones Maur. et Venetian. cum cod. August.

[2]) Ex hac monachi castigatione Gratianus (dist. 45. c. 8. Cum beatus) argumentatur, licitum esse, verberibus aliquando in subditos animadvertere. Vir Dei Reginaldus, S. Dominici discipulus, cum contumacem fratrem virgarum plagis esset subjecturus, cum lacrymis oravit: »Domine Jesu Christe, qui famulo tuo Benedicto praestitisti virtutem, ut a monacho suo virgarum ictibus pelleret daemonem: da quaesumus, ut hujus castigationis vi ab anima fratris hujus daemonis tentatio profligetur.«

[3]) »devexo« pleraeque editiones.

[4]) »in timore« edit. Maurin. cum graeca translatione »σὺν φόβῳ πολλῷ.«

»in itinere« cod. Casin. et edit. Quirin. Venet.

famulum Benedictum venerunt dicentes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidie usque ad lacum descendere, et idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari. Quos blande consolatos [1]) dimisit, et nocte eadem cum parvo puerulo, nomine Placido, cujus superius memoriam feci, ejusdem montis ascendit rupem ibique diutius oravit. Et oratione completa tres petras in loco eodem pro signo posuit [2]) atque ad suum cunctis illic nescientibus monasterium rediit. Cumque die alio ad eum pro necessitate aquae praedicti fratres redissent, dixit: Ite et rupem illam, in qua tres super invicem positas petras invenietis, in modico cavate, valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, ut vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. [3]) Qui euntes rupem montis, quam pater Benedictus praedixerat, jam sudantem invenerunt. Cumque in ea concavum locum fecissent, statim aqua repletus est, quae tam sufficienter emanavit, ut nunc usque ubertim defluat atque ab illo montis cacumine usque ad inferiora derivetur.

Cap. VI.

DE FERRO EX PROFUNDO AQUAE AD MANUBRIUM REVERSO.

Alio quoque tempore Gothus quidam pauper spiritu ad conversationem venit, quem vir dei Benedictus libentissime suscepit. Quadam vero die ei dari ferramentum jussit, quod ad falcis similitudinem [4]) falcastrum vocatur, ut de loco quodam vepres abscideret, quatenus illic fieri hortus deberet; locus autem ipse, quem mundandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam jacebat. Cumque Gothus

---

[1]) »quos blande consolatos dimisit« codd. Casin. et Augustan. »quos blande consolatus« codd. German. et Gemeticens. »quos blande consolans« edit Maur.

[2]) Contigit hoc juxta monasterium S. Joannis ab Aqua.

[3]) »et vobis laborem tanti itineris dignanter auferre« cod. Gemeticens. antiquior.

[4]) »a falcis similitudine« codd. Augustan. et Gemeticens

isdem densitatem veprium totius virtutis adnisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit, ubi scilicet, tanta erat aquarum profunditas, ut spes requirendi ferramenti nulla jam esset. Itaque ferro perdito tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gothus, damnum quod fecerat nuntiavit[1]) et reatus sui egit poenitentiam. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto Dei famulo curavit indicare. Vir igitur Domini Benedictus haec audiens accessit ad lacum, tulit de manu Gothi manubrium et misit in lacum: et mox ferrum de profundo rediit atque in manubrio intravit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit dicens: Ecce, labora et noli contristari.[2])

Cap. VII.

DE EJUS DISCIPULO, QUI SUPER AQUAS PEDIBUS AMBULAVIT.

Quadam vero die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, praedictus Placidus puer sancti viri monachus, ad hauriendam de lacu aquam egressus est, qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute submittens ipse quoque cadendo secutus est. Quem mox unda rapuit et pene in unius sagittae cursum[3]) a terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus hoc protinus agnovit,[4]) et Maurum festine vocavit dicens: Frater Maure, curre,

---

[1]) Sacra Regula c. 46. praescribit, ut, qui aliquid fregerit aut perdiderit, continuo ante abbatem vel congregationem ultro satisfaciat. Proinde in Sublacensibus monasteriis iisdem vivebant legibus et moribus, quos postea in monte Casino SS. Pater scripto commisit.

[2]) . . . Prorsus idem miraculum SS. Pater post mortem patravit, cum fratres Cajetae in construenda ecclesia laborantes et de Patris sui meritis praesumentes manubrium, cujus ferrum in mare deciderat, in mare mitterent, ut ferrum ex profundo ad manubrium reverteretur, quod et factum est. (cf. Leo Ostiens. chron. Casin. II 60 (62).

[3]) Eandem codicis Wessofontani lectionem habet cod. Augustanus; contra legitur in cod. Casin. »pene in unius sagittae cursu«, in cod. Frising. »pene unius sagittae cursu«, in edit. Maur. »ad unius sagittae cursum«.

[4]) Sine dubio divina revelatione id agnovit, ut ait Pseudo-Gordianus in vita S. Placidi.

quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, jamque eum longius unda trahit. Res mira et post Petrum Apostolum inusitata![1]) Benedictione etenim postulata atque percepta, ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus atque usque ad eum locum, quo ab unda ducebatur puer, per terram se ire existimans super aquam concurrit, eumque per capillos[2]) tenuit, rapido quoque cursu rediit.[3]) Qui mox ut terram tetigit, ad se reversus post terga respexit, et quia super aquas cucurrisset agnovit, et quod praesumere non potuisset, ut fieret, miratus extremuit[4]) factum.[5]) Reversus ad Patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed obedientiae illius deputare coepit. At contra Maurus pro solo ejus imperio factum dicebat seque conscium in illa virtute non esse, quam nesciens fecisset. Sed in hac humilitatis mutuae amica contentione[6]) accessit arbiter

---

1) Aliorum per mare itinera S. Gregorium latuisse videntur.

2) Placidus caruit corona, quod etiamnum puer erat; nam mos, pueros quoque coronis insigniendi, posterioribus demum saeculis invaluit.

In hujus miraculi memoriam eo loco, a quo S. Maurus super aquas cucurrit, sacellum in honorem S. Placidi extructum est.

3) »eumque per capillos tenens rapido cursu rediit« ita editio Haeftena sola.

4) »extremuit« codd. Frising. et Augustan. cum editione Maur. »expavit« cod. Casin. »extimuit« nonnulli codd. jun.

5) Concludere licet, tam Benedicti jussionem, quam Mauri obedientiam ex peculiari Spiritus Sancti instinctu eum in finem esse factam, ut Maurus perfectissimum exemplum caecae obedientiae praestaret. Simulatque Maurus magistri loquentis vocem audit, Placidum auribus, Placidum oculis, Placidum tota cogitatione unum ferebat, periculorum undarumque oblitus, vitae prodigus, obedientiae tenax, concitus excurrit, volat potius, sancta sibi obedientiae alas quasi affixit perque liquidas vorticosi lacus undas quasi per solidatam aream victrice tutus obedientia et praepositi voce pondus corpori detrahente progressus apprehensum effert Placidum.

6) »sed in hac mutuae humilitatis amica contentione.« Eadem codicis Wessofontani lectione utuntur codd. Casin., Augustan., Frising. et editio Maur. ac Quiriniana Venet.

»sed in hac humilitatis mutua amicaque contentione« nonnulli codd. jun

puer, qui ereptus est; nam dicebat: Ego cum ex aqua traherer, super caput meum abbatis melotem videbam atque ipsum me ex aquis educere considerabam.

Petrus. Magna sunt valde, quae narras et multorum aedificationi profutura: ego autem boni viri miracula quo plus bibo, plus sitio.

Cap. VIII.

DE INFECTO PER VENENUM PANE, PER CORVUM LONGIUS PROJECTO.

Gregorius. Cum jam loca eadem in amore Dei Domini nostri Christi longe lateque fervescerent, secularem vitam multi relinquerent, et sub levi (leni?) Redemtoris jugo cervicem cordis edomarent, sicut mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt, vicinae ecclesiae presbyter, Florentius nomine, hujus nostri subdiaconi Florentii avus, antiqui hostis malitia percussus,[1]) sancti viri studiis coepit aemulari, ejus quoque conversationi derogare, quosque etiam posset, ab illius visitatione compescere. Cumque jam se conspiceret ejus profectibus obviare non posse, et conversationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitae melioris ipso quoque opinionis ejus praeconio indesinenter vocari,[2]) invidiae facibus magis succensus deterior fiebat, quia conversationis illius habere appetebat laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui ejusdem invidiae tenebris caecatus ad hoc usque perductus est, ut servo omnipotentis Domini infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret.[3])

---

[1]) »perculsus« codd. S. German. et Augustan.

[2]) »vocare« vel »vacare« nonnulli codices.

[3]) Inter eulogias, quas veteres olim amicitiae causa sibi invicem transmittebant, panis, utpote unitatis et unanimitatis symbolum, non infrequens fuit. S. Paulinus (ep. 41. ad Augustinum): »panem unum, quem unanimitatis indicio misimus caritati tuae, rogamus accipiendo benedicas.«

Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit, sed eum non latuit, quae pestis in pane lateret. Ad horam vero refectionis illius ex vicina silva corvus venire consueverat et panem de manu ejus accipere. Qui cum more solito venisset, panem, quem presbyter transmiserat, vir Dei ante corvum projecit eique praecepit dicens: In nomine Jesu Christi Domini tolle hunc panem et tali eum in loco projice, ubi a nullo hominum[1]) possit inveniri. Tunc corvus aperto ore, expansis alis, circa eundem panem coepit discurrere atque gracitare[2]), ac si aperte diceret et obedire se velle, et tamen jussa implere non posse. Cui vir Dei iterum atque iterum praecipiebat dicens: Leva, leva securus atque ibi projice, ubi inveniri non possit. Quem diu demoratus[3]) quandoque corvus momordit, levavit et recessit.[4]) Post trium horarum spatium abjecto pane rediit et de manu hominis Dei annonam, quam consueverat, accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns illi magis, quam sibi, doluit.[5])

Sed praedictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit, ita ut in horto cellae,[6]) cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quae coram

---

1) »ab nullo homine« codd. Casin. et Augustan.

2) »cracitare« cod. Casin.
»grocitare« cod. Windberg.
»crocitare« ed Maur.

3) »Quem diu demoratus« cod. Augustan. et edit. Maur.
»Qui diu demoratus« cod. Casin.

4) Scribit Ven. Beda in hexaëm: »In testimonium primae creationis legimus, viris sanctis atque humiliter Deo servientibus et aves obsequium praebuisse et rictus bestiarum cessisse et venenum non potuisse nocere serpentium.«

5) Graecus hac paraphrasi usus est: »ὑπὲρ ἐκείνου μᾶλλον ἢ ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ θεῷ προσηύχετο.«

6) »in hortum cellae« cod. Augustan. In editione vero Maurinorum et in cod. Casin. eadem lectio occurrit, ac in cod. Wessofontano »in horto (orto) cella e».

eis sibi invicem manus tenentes [1]) et diutius ludentes illorum mentem ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod sanctus vir de cella conspiciens lapsumque adhuc teneerioribus discipulis pertimescens idque pro sua solius fieri persecutione [2]) pertractans, invidiae locum dedit atque oratoria cuncta, quae construxerat, sub statutis praepositis, [3]) adjunctis fratribus ordinavit, et paucis secum monachis ablatis habitationem mutavit loci. [4]) Moxque ut vir Dei ejus odia humiliter declinavit, hunc omnipotens Deus terribiliter

---

[1]) »manus tenentes« codd. Casin. et August. cum edit. Maur, pleraeque autem editiones habent »manus tendentes«

[2]) Ex hac persecutione probant auctores, nullum unquam a Deo religiosum ordinem excitari, cui perdendo vel deformando omnes inferni exercitus non totas vires intendant. S. Gregorius M. (13. Moral. c. 5) dixit: »Illos praecipue reprobi in s. ecclesia persequuntur, quos multis conspiciunt esse profuturos.«

[3]) »sub statutis praepositis« codd. Casin. et Augustan.
»substitutis praepositis« edit. Maurin. Venet. Quirin. Graecus: »οἰκονόμους αὐτοῖς ἐγκαταστήσας.«

[4]) Praeter Pseudo-Gordianum, S. Placidi biographum, etiam celeberrimi auctores, uti Marcus poëta, S. Zacharias papa (in privilegio monasterii Casin.), Alexander II. papa (in quodam diplomate), S. Petrus Dam. (serm. in vigil. S. Bened.), Leo Ostiens. (chron. I. 1.) et alii tradunt, divino monitu S. Benedictum *praedicandi causa* in montem Casinum (a. 529) migrasse. Quae traditio non parum confirmatur ex eo, quod Sanctus iter suum continuavit et perfecit, quamvis ei mors Florentii subitanea nuntiaretur eaque proxima migrationis causa sublata esse videretur. Non desunt, qui totum hoc iter et quae in eo acciderunt miracula, literis mandarint (cf. acta S. Placidi et Petrum diaconum de viris illustr. c. 3 et 10). Duorum angelorum et trium corvorum comitatum, id quod a. S. Gregorio praetermittitur, exprimunt Marcus poëta, discipulus S. Benedicti, Pseudo-Gordianus, Paulus diaconus, S. Petrus Dam., Aimoinus, Leo Ostiensis aliique. Eremitam, qui tunc in arce montis Casini degebat et S. Benedicto locum dabat, acta S. Placidi vocant Martinum, alii Marcium, cujus meminit martyrologium romanum die 24 Octob. Tertius dialogorum S. Gregorii liber capite 16. ita de eodem disserit: »Hic (Martinus) cum primum se in eundem montem (Marsicum) contulit necdum clauso specu habitans catena sibi ferrea pedem ligavit eamque saxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi, quam catenae ejusdem quantitas (μέτρον) tendebatur. Quod vir vitae venera-

percussit. [1]) Nam cum praedictus presbyter stans in solario Benedictum discessisse cognosceret et exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica hoc ipsum, in quo stabat, solarium cecidit et Benedicti hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus, Maurus nomine, statim venerabili Patri Benedicto, qui adhuc loco eodem vix decem milibus aberat, aestimavit esse nuntiandum dicens: Revertere, quia presbyter, qui te persequebatur, extinctus est. Quod vir dei Benedictus audiens sese in gravibus lamentis [2]) dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultavit. Qua de re factum est, ut eidem quoque discipulo poenitentiam indiceret, quod mandans talia gaudere de inimici interitu praesumsisset.

Petrus. Mira sunt et multum stupenda, quae dicis. Nam in aqua ex petra producta Moysen, in ferro vero, quod ex profundo aquae rediit, Elisaeum, in aquae itinere Petrum, in corvi obedientia Eliam, in luctu autem mortis inimici David video et perpendo, vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit. [3])

Gregorius. Vir Domini Benedictus, Petre, unius spi-

---

bilis Benedictus audiens ei per discipulum suum mandare curavit: »Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi.« Ad quam vocem Martinus protinus eandem compedem solvit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum, quo ligatum tendere consueverat.«

Est conjectura non improbabilis, Tertullum, S. Mauri patrem, fratribus Sublacensibus territorium quoddam Casinense donasse, quando filium suum monasterio obtulerat. cf. Storia della Badia di monte Casino di Luigi Tosti I. 6.

[1]) »Moxque ut vir Dei ejus odia humiliter declinavit, hunc omnipotens Deus . . . percussit« cod. August. cum edit. Maur.

»Sicque vir Dei ejus odia humiliter declinavit, quem omnipotens Deus .... percussit« edit. Haefteni.

[2]) »lamentis« cod. Casin.

»lamentationibus« edit. Maur.

[3]) »David video. Ut perpendo, vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit.« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. et graeca versione: »βλέπω. Ὡς οὖν ὑπολαμβάνω, ὁ ἀνὴρ οὗτος« etc.

ritum[1]) habuit, qui per concessam redemptionis gratiam[2]) electorum corda omnium implevit, de quo Joannes ait: »Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum«[3]), et de quo rursus scriptum est: »et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.« Nam sancti Dei homines potuerunt a Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Jonae prophetae promisit inimicis, ut coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere,[4]) quatenus et illi viderent, quod contemnerent, et isti, quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, ut dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent[5]) gloriam potestatis.

Petrus. Quaeso te post haec, ad quae loca vir sanctus migraverit, vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderet (ostenderit?) innotesce.[6])

Gregorius. Sanctus vir ad alia demigrans, loca, non hostem, mutavit.[7]) Nam tanto post graviora proelia per-

---

[1]) »unius Dei spiritum« edit. Maur. et Venet.

»unius spiritum« cod. Casin. et graeca versio (ἑνὸς πνεῦμα).

»unum spiritum« quidam codd. jun.

[2]) »qui per concessae redemtionis gratiam« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. et graeca translatione:

»διὰ τῆς δωρηθείσης ἀπολυτρώσεως.

[3]) Jo. 1, 9. 16.

[4]) »ἀναστῆναι« translatio gr. una cum codicibus »resurgere«; editio tamen Haefteni et Quirini »resurgeret«.

[5]) »aspicerent« nonnulli codices jun. cum graeca paraphrasi »θεάσωνται«.

[6]) Frequenter Gregorius verbum »innotescere« active sumit pro »notum facere«. Idem fecerunt S. Isidorus, S. Bonifacius Moguntinus, S. Petrus Dam., Richardus de S. Vict.

[7]) »ad alium demigrans locum, non hostem mutavit« cod. August.

»ad alia demigrans loca, locum, non hostem mutavit« codd. Frising. et Beccens.

»ad alia demigrans, locum, non hostem mutavit« cod. Casin.

»ad alia demigrans, loca, non hostem mutavit« cod. S. German. et edit. Maurin.

»ἐν ἑτέροις μετοικήσας τόποις οἴκησιν μὲν ἤλλαξεν, ἐχθρὸν δὲ οὐχί.« S. Zacharias concordans cum codd. Frising. et Becc.

tulit, quanto contra se aperte pugnantem ipsum magistrum malitiae invenit. Castrum namque, quod Casinum dicitur, [1]) in excelsi montis latere situm est, [2]) qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria milia in altum se subrigens [3]) velut ad aëra cacumen tendit, ubi vetustissimum fanum fuit, in quo antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Apollo colebatur. [4]) Circumquaque etiam in cultu daemonum luci [5]) succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Ibi itaque [6]) vir Dei perveniens contrivit idolum, subvertit aram, succidit [7]) lucos, atque in ipso templo Apollinis oraculum [8]) beati Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum sancti construxit Joannis et commorantem circumquaque multitudinem praedicatione continua ad fidem vocabat. Sed haec antiquus hostis tacite non ferens, non occulte vel per somnium, sed aperta visione ejusdem Patris oculis se ingerebat et magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur,

---

[1]) A veteribus incolis vocabatur Harum. Oppidum Casinum, in decliviori montis latere situm, erat Romanorum colonia, postmodum municipium factum et civitas episcopalis. Sub oppido Casino sita erat villa Varronis, de qua Cicero philipp. 2. Civitate per barbaros diruta monasterium in montis cacumine extructum est, ex quo, ut ait Urbanus II., de Benedicti pectore monastici ordinis religio quasi de paradisi fonte emanavit. Postquam SS. Pater Benedictus ad Casinum montem venit, non amplius leguntur episcopi Casinenses, ut vel hinc appareat, episcopatum in abbatiam transmigrasse, seu abbatiam ab initio habuisse proprium territorium dioecesanum.

[2]) Yepez ad annum 532 (§. 1.) notat, S. Benedictum pleraque monasteria in desertis et montibus aedificasse, ut anachoreticam vitam perfectioribus eam desiderantibus potuerit indulgere.

[3]) »suberigens« cod. Frising.

[4]) Ex Gothorum fortassis superstitione idololatria postliminio introducta est.

[5]) »inculti daemonum luci« cod. Augustan.

[6]) »illuc itaque« ed. Maur.
»ibi itaque« codd. Casin., Frising., Augustan.

[7]) »succendit« edit. Maur. secundum textum graecum »ἐνέπρησεν«.
»succidit« codd. Casin., Frising. et Augustan.

[8]) al. »oratorium«, graece »εὐκτήριον«.

ita ut voces illius etiam fratres audirent,[1]) quamvis imaginem minime cernerent. Ut enim discipulis suis venerabilis Pater dicebat, corporalibus ejus oculis idem antiquus hostis teterrimus et succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus saevire videbatur. Jam vero quae diceret, audiebant omnes; prius enim hunc vocabat ex nomine, cui cum vir dei minime responderet, ad ejus mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte, Benedicte, et eum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adjungebat: Maledicte, et non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed jam nunc spectanda[2]) sunt contra Dei famulum antiqui hostis nova certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriae ministravit invitus.

Cap. IX.

DE INGENTI SAXO PER EJUS ORATIONEM LEVIGATO.

Quadam vero die dum fratres habitacula ejusdem cellae construerent, lapis in medio jacebat, quem in aedificium levare decreverunt. Cumque eum duo vel tres movere non possent, plures adjuncti sunt, sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur, ut palam daretur intellegi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus movere non possent. Difficultate igitur facta ad virum Dei missum est, ut veniret et orando hostem repelleret, ut lapidem levare potuissent.[3]) Qui mox venit, orationem faciens benedictionem dedit, et tanta lapis celeritate levatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

---

[1]) »audissent« cod. Augustan. solus.
[2]) »exspectanda« codd. S. German. et Augustan.
»expetenda« cod. Casin.
»spectanda« edit. Maur.
»ὑπομνηστέα« S. Zacharias.
[3]) »possent« cod. Augustan. cum edit. Maur. et Venet.
»potuissent« cod. Casin.

Cap. X.

DE FANTASTICO COQUINAE INCENDIO.

Tunc in conspectu viri Dei placuit, ut in loco eodem terram foderent, quam dum fodiendo altius penetrarent, aereum illic idolum fratres invenerunt. Quo ad horam casu in coquinam[1]) projecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne ejusdem coquinae aedificium consumeretur, ostendit. Cumque jaciendo aquam et ignem quasi extinquen(tes?)[2]) perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Domini advenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis vero non esse considerans caput protinus in orationem flexit et eos, quos phantasmatico repperit igne deludi, vocavit fratres ad oculos suos, ut et sanum illud[3]) coquinae aedificium cernerent adsistere et flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

Cap. XI.

DE SERVO DEI PARVULO FRACTO ET SANATO.

Rursum dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulo altius aedificarent,[4]) vir Dei in orationis studio intra cellulae suae claustra morabatur, cui antiquus hostis insultans apparuit et quia ad laborantes fratres pergeret indicavit. Quod vir Domini per nuntium celerrime fratribus indicavit dicens: Fratres, caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is, qui mandatum detulit, vix verba compleverat, et malignus spiritus eundem parietem, qui aedificabatur, evertit atque unum puerulum monachum,

---

[1]) »in coquina« cod. Casin. solus.

[2]) »extinguendo« omnes fere codices et editiones.

[3]) »revocavit fratres, ut oculos suos signarent monuit, ut et sanum illud« edit. Maur.

»vocavit (revocavit) fratres ad oculos suos, ut et sanum illud« codd. Gemeticens., Casin. et Augustan.

[4]) »altius erigerent« edit. Haefteni, dissentientibus tamen non solum editionibus Venet. et Maur. sed et codicibus Casin. et Augustan., in quibus legitur »aedificarent,« ut in Wessofontano.

cujusdam curialis filium, opprimens ruina contrivit. Contristati omnes ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris. Quod venerabili Patri Benedicto studuerunt celeriter cum gravi luctu nuntiare.[1]) Tunc isdem Pater ad se dilaceratum puerum deferri jubet. Quem portare nonnisi in sago[2]) potuerunt, quia collapsi saxa parietis ejus non solum membra, sed etiam ossa contriverant. Eumque vir Dei praecepit statim in cella sua in spytathio,[3]) quod vulgo matta vocatur, in quo orare consueverat, projici, missisque foras fratribus cellam clausit, qui orationi instantius, quam solebat, incubuit. Mira res! hora eadem hunc puerum incolumen atque ut prius valentem ad eundem laborem iterum misit, ut ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cujus se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset. Coepit vero inter ista vir Dei etiam prophetiae spiritu pollere, ventura praedicere, praesentibus absentia nuntiare.

Cap. XII.

DE MONACHIS, QUI EXTRA CELLAM COMEDERANT.

Mos etenim cellae fuit,[4]) ut quotiens ad responsum aliquod[5]) egrederentur fratres, cibum potumque extra cellam

---

[1]) »sed contritioni fratris, venerabili Patri ..... studuerunt celeriter nuntiare (celeriter nuntiarunt)«. Ita editiones Maurinorum et Haefteni cum graeco interprete (*ὅσον διὰ τοῦ ἀδελφοῦ κίνδυνον, τῷ σεβασμίῳ πατρὶ .... προσῆλθον τὸ συμβὰν ἀναγγέλλοντες*).

»sed contritione fratris, quod venerabili Patri .... studuerunt celeriter nuntiare« codd. Casin. et Augustan.

[2]) alias »sacco«.

[3]) »psyathio« codd Casin. et Augustan. cum editionibus Quirini, Maurinorum et Haefteni.

[4]) His verbis codices Casinensis et Augustanus et Mabillonii acta Sanctorum O. S. B. caput duodecimum demum incipiunt consentiente, ut videtur, codice etiam Wessofontano, dum econtra editio Maurinorum et Haefteni jam verbis praecedentibus »Coepit vero« idem caput incepit.

[5]) Benedictina phrasis cap. 51. regulae occurrens sic sonat: »fratres, qui pro quovis responso (i. e. negotio) proficiscuntur.« Hinc responsalis nominatus est negotiorum procurator.

minime sumerent. Cumque hoc de regulae usu sollicite servaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, in quo [1]) tardiori compulsi sunt hora demorari, qui manere juxta religiosam foeminam noverant, cujus ingressi habitaculum sumpserunt cibum. Cumque jam tardius ad cellam rediissent, benedictionem Patris ex more petierunt. Quos ille protinus percunctatus est [2]) dicens: Ubi comedistis? Qui responderunt dicentes: Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Numquid illius talis foeminae habitaculum non intrastis? Numquid hos atque illos cibos non accepistis? Numquid tot calices non bibistis? cumque eis venerabilis Pater et hospitium mulieris et genera ciborum et numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta, quae egerant, ad ejus pedes tremefacti ceciderunt, se deliquisse confessi sunt. [3]) Ipse autem protinus culpam pepercit [4]) perpendens, quod in ejus absentia ultra non facerent, quem praesentem sibi esse in spiritu scirent.

Cap. XIII.

DE FRATRE VALENTINIANI, UT SUPRA.

Frater quoque Valentiniani, ejus monachi, cujus superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui ut servi Dei orationem perciperet et germanum fratrem videret,

---

[1]) »et in eo« edit. Maur.
»in quo« cod. Casin.

[2]) »percontatus est« cod. Casin.
»percunctatus est« cod. Augustan. et edit. Maur.

[3]) Versio graeca non parum differt a textu latino, sic enim habet: *ἀπέστειλαν δὲ ἕνα τῶν ἀδελφῶν πρὸς τὸν ἡγιασμένον πατέρα Βενέδικτον πρὸς τὸ αἰτήσασθαι εὐχὴν κατὰ τὸ ἔθος, ἵνα μεταλάβωσι τροφῆς. Ὁ δὲ προγνωστικὸς ἐκεῖνος πάτηρ ἠρώτησεν αὐτὸν λέγων .... Τῇ ἐπαύριον δὲ ἐπανελθόντων τῶν μονάχων* etc.

[4]) »culpae pepercit« codd. Casin. et Augustan.
»culpam pepercit«, edit. Maurin. cum graeca paraphrasi (*τὸ ὀφείλημα συνεχώρησεν*).
»culpae poenitentiam pepercit« edit. Haefteni.
»culpae poenitentiam praecepit« cod. Vaticau.

annis singulis de loco suo ad cellam jejunus[1]) venire consueverat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adjunxit, qui sumendos in itinere portabat cibos. Cumque jam hora tardior excrevisset, dixit: Veni, frater, sumamus cibum, ne lassemur in via. Cui ille respondit: Absit, frater, non facio,[2]) quia ad venerabilem Patrem Benedictum jejunus semper pervenire consuevi. Quo responso percepto ad horam conviator conticuit.[3]) Sed cum posthaec aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit, ut manducarent. Consentire noluit, qui jejunus pervenire decreverat. Tacuit quidem, qui ad manducandum invitaverat, et cum eo jejunus adhuc pergere ad modicum consensit. Cumque iter longius agerent et eos tardior hora fatigaret ambulantes, invenerunt in itinere pratum et fontem et quaeque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conviator ait: Ecce aqua, ecce pratum, ecce amoenus locus, in quo possumus refici et parum quiescere, ut valeamus iter nostrum postmodum incolumes explere. Cum igitur et verba auribus et loca oculis blandirentur, hac tertia admonitione persuasus consensit et comedit atque vespertina hora pervenit ad cellam. Praesentatus autem venerabili Benedicto Patri sibi orationem petiit:[4]) sed mox ei vir sanctus hoc, quod in via egerat, improperavit dicens: Quid est, frater, quod malignus hostis, qui tibi per conviatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundo non potuit, ad tertium[5]) per-

---

[1]) Vir peregrinans *coto* jejunii se obstrinxisse videtur, uti S. Zacharias indicat (*νομοθεσίαν ἑαυτῷ ἣν δεδωκώς*); alioquin ratio deficeret, ob quam ipse a S. Benedicto correptus *reatum* (*ἁμαρτίαν*) agnovit et *culpam* deflere coepit.

[2]) »non faciam« cod. Augustan. cum edit. Maur. et versione graeca (»*οὐ μὴ ποιήσω*«.)

»non facio« cod. Casin.

[3]) »tacuit« cod. Augustan. cum edit. Maur.

»conticuit« cod. Casin.

[4]) »*πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν*« versio graeca.

[5]) »at tertio« edd. Maur. et Quirin. »tertio« cod. Casin. »ad tertium« cod. Augustan.

suasit [1]) et te ad hoc. quod voluit, superavit? Tunc ille reatum infirmae suae mentis agnoscens, ejus pedibus provolutus, tanto magis coepit culpam deflere et erubescere, quanto se cognovit etiam absentem in Benedicti Patris oculis deliquisse.

Petrus. Ego sancti viri praecordiis Elisaei spiritum video inesse, qui absenti discipulo praesens fuit.

Gregorius. Oportet, Petre, ut interim sileas, quatenus adhuc majora cognoscas.

Cap. XIV.

DE SIMULATIONE REGIS TOTILAE DEPREHENSA.

Gothorum namque temporibus cum rex eorum Totila sanctum virum prophetiae habere spiritum audisset, ad ejus monasterium pergens paulo longius substitit eique se venturum esse nuntiavit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset, ut veniret, ipse, sicut perfidae mentis fuit, an vir Dei prophetiae spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam vero ejus spatharius [2]) Riccho dicebatur, cui calciamenta sua [3]) praebuit eumque indui regalibus vestibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem praecepit. In cujus obsequio tres, qui sibi prae caeteris adhaerere consueverant, comites misit, scilicet Wilderich et Blidin, [4]) ut ante servi Dei oculos ipsum esse regem Totilam simulantes ejus lateri obambularent, cui alia quoque obsequia atque spatharios [5]) praebuit, ut tam

[1]) »suasit« edit. Maur.
»persuasit« codd. Casin., Augustan., Gemeticens.

[2]) Vegetius gladios majores spathas vocari docet, unde ensiferi custodes et satellites vocabantur spatharii.

[3]) id est, purpurea seu coccinea regio statui propria.

[4]) Nomen tertii comitis scriptor codicis Wessobrunnensis ex oscitatione omisisse videtur.

»Vult (Vuld), Ruderic et Blidin« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

»Vultericum, Rudericum et Blindinum« edit. Haeft.

»Βουλτερῖκον, Ῥουδερῖκον καὶ Βρινδῖνον« S. Zachar.

[5]) »obsequia quasi spatharii« nonnullae editiones.

ex eisdem obsequiis quam ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumque idem Riccho decoratus vestibus, obsequentum frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens cum jam ab eo audire[1]) potuisset, clamavit dicens: Pone, fili, pone hoc, quod portas, non est tuum. Qui Riccho protinus in terram cecidit, et quia tanto viro inludere praesumsisset, expavit, omnesque, qui cum eo ad Dei hominem veniebant, terrae consternati sunt. Surgentes autem ad eum appropinquare minime praesumserunt, sed ad suum regem reversi nuntiaverunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi.

Cap. XV.

DE PROPHETIA, QUAE DE EODEM REGE TOTILA FACTA EST.

Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longe sedentem cerneret, non ausus accedere sese in terram dedit.[2]) Cui cum vir Dei[3]) diceret: Surge; sed ipse ante eum de terra erigi non auderet, Benedictus, Jesu Christi famulus, per semetipsum dignatus est accedere ad regem prostratum, quem de terra levavit et de suis actibus increpavit atque in paucis sermonibus cuncta, quae illi erant ventura, praenuntiavit dicens: Multa mala facis, multa fecisti: jam aliquando ab iniquitate compescere.[4]) Et quidem Romam ingressurus es, mare transiturus,[5]) novem annis regnas,[6]) decimo morieris.[7]) Quibus auditis rex vehe-

---

[1]) »audiri« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

[2]) Addit textus graecus: »*ἐδέετο τῆς παρὰ τοῦ ἁγίου τυχεῖν συγχωρήσεως.*«

[3]) Omissum esse videtur: »bis terve.«

[4]) »conquiesce« pleraeque editiones (graece: *ἀπόστηθι*).

[5]) Anno 546 Totila Romam cepit, a. 549 cum exercitu in Siciliam transfretavit.

[6]) »regnabis« cod. Augustan. cum edit. Maur.
»regnas« cod. Casin.

[7]) Hinc apparet, accessum Totilae a. 542 contigisse; ejus enim obitus evenit a. 552.

menter territus oratione petita recessit atque ex illo jam[1]) minus crudelis fuit.[2]) Cum non multo post Romam adiit,[3]) ad Siciliam perrexit: anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei judicio, regnum cum vita perdidit.

Praeterea antistes[4]) Canusinae[5]) ecclesiae ad eundem Domini famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitae suae merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilae et Romanae urbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem civitas ista destruitur,[6]) ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Dei respondit: Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis et turbinibus ac terrae motu fatigata marcessit[7]) in semetipsa. Cujus prophetiae mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta moenia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus ejusque aedificia longo senio lassata,[8]) quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. Quamvis hoc Honoratus, ejus discipulus, cujus mihi relationi compertum

---

[1]) Addendum erat: »tempore«.

[2]) Plura hujus rei suppetunt argumenta, v. g. Neapolim obsidens quasdam feminas patricias per suos comprehensas ulla affici injuria vetuit atque incolumes eas dimisit, bonaque militis ob vitiatam virginem morte affecti mox vitiatae tradi jussit (cf Procop. lib. 3. de bello Goth.).

[3]) »minus crudelis fuit, et non multo post Romam adiit« cod. Augustan. cum edit. Maur. et versione graeca (»καὶ οὐ μετὰ πολὺν χρόνον ἐν Ῥώμῃ εἰσῆλθε.«)

»minus crudelis fuit. Cum non multo post Romam adiit« cod Casin.

[4]) Sabinus vocatur in actis S. Placidi et prophetae nomen est consecutus. Festum ejus 9. Febr. tabulis ecclesiasticis invenitur adscriptum.

[5]) Canusium est urbs Apuliae Peucetiae ad Aufidum fluvium, a Cannis dirutis distans tribus milliaribus.

[6]) »destruetur« ita communiter.

[7]) »marcescet« codd. Casin. et August. cum ed. Maur. et Venet.

[8]) »jam laxata« cod. Casin.

est, nequaquam ex ore illius se audisse perhibet, sed quia hoc dixerit, dictum sibi a fratribus fuisse testatur.

Cap. XVI.

DE CLERICO A DAEMONIO LIBERATO.

Eodem quoque tempore quidam Aquinensis [1]) ecclesiae clericus daemonio vexabatur, qui a venerabili viro Constantino,[2]) ejus ecclesiae antistite, per multa fuerat martyrum loca[3]) transmissus, ut sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, ut quanta esset in Benedicto gratia, demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Jesu Christo Domino preces fundens antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato praecepit dicens: Vade et posthac carnem non comedas, ad sacrum vero ordinem nunquam accedere praesumas; quacumque autem die sacrum ordinem temerare[4]) praesumseris, statim juri diaboli iterum manciparis.[5]) Discessit igitur clericus sanus, et, sicut terrere solet animum recens poena, ea, quae vir Dei praeceperat, interim custodivit. Cum vero post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, et minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit eumque vexare, quousque animam ejus excuteret,[6]) non cessavit.

---

[1]) Aquinum S. Thomae, angelici Doctoris, natale solum, est urbs episcopalis prope Casinum.

[2]) Pulchra de hoc sanctissimo episcopo refert S. Gregorius lib. 3. dialog. c. 7.

[3]) i. e. martyrum conditoria et monumenta (*κοιμητήρια*).

[4]) »ad sacrum ordinem accedere« pleraeque editiones.

»sacrum ordinem temerare« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

[5]) »mancipaberis« cod. Augustan. cum edit. Maur.

»manciparis«, cod. Casin.

[6]) »*μέχρι θανάτου*« S. Zachar

Petrus. Iste vir Dei divinitatis, ut video, etiam secreta penetravit, qui perspexit, hunc clericum idcirco diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem accedere auderet.

Gregorius. Quare divinitatis secreta non nosset, qui divinitatis praecepta servaret,[1] cum scriptum sit,[2] quia, qui adhaeret Domino, unus spiritus est?[3])

Petrus. Si unus fit cum Domino spiritus, qui Domino adhaeret, quid est, quod iterum idem egregius praedicator dicit: Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?[4] Valde enim esse inconveniens videtur, ejus sensum, cum quo unum factus fuerit,[5] ignorare.

Gregorius. Sancti viri, in quantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: Quis enim scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.[6] Qui ut se ostenderet nosse, quae Dei sunt, adjunxit: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est.[6] Hinc iterum dicitur: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se, nobis autem revelavit per Spiritum suum.[6]

Petrus. Si ergo eidem Apostolo ea, quae Dei sunt, per Dei Spiritum fuerant revelata, quomodo super hoc,

[1]) »servavit« cod. Augustan. cum edit. Maur. »servaret« cod. Casin.

[2]) I. Cor. 6. 17.

[3]) »unus spiritus est *cum eo*« editiones fere omnes.

»unus spiritus est« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur., quibus adjungendus est etiam Mabillonius (in actis Sanct. O. S. B.) et translatio graeca.

[4]) Rom. 11. 34.

[5]) »cum quo unus factus fuerit« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Quirin et Maur. (»ὁ νοῦς σὺν τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμα γενόμενος« paraphrasis graec.)

»cum quo unus unum factus fuerit« pleraeque editiones.

»cum quo unum fuerit« codd. Pratellens. et Gemeticens.

»cum quo unum factus fuerit« codd. Beccens. aliique.

[6]) I. Cor. 2. 9—12.

quod proposuit,[1]) praemisit dicens:[2]) O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles[3]) viae ejus! Sed rursum mihi haec dicenti alia suboritur quaestio: nam David propheta Domino loquitur dicens: In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.[4]) Et cum minus sit nosse, quam etiam pronuntiare, quid est, quod Paulus incomprehensibilia esse Dei judicia asserit, David autem haec se omnia non solum nosse sed etiam in labiis pronuntiasse testatur?

Gregorius. Ad utraque haec tibi superius sub brevitate respondi dicens, quod sancti viri, in quantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant: omnes enim, qui devote Dominum sequuntur, etiam devotione cum Deo sunt, sed adhuc carnis corruptibilis pondere gravati cum Deo non sunt. Occulta itaque Dei judicia in quantum conjuncti sunt, sciunt, in quantum disjuncti sunt, nesciunt: quia enim ejus secreta adhuc perfecte non penetrant, incomprehensibilia ejus judicia esse testantur; qui vero et mente inhaerent[5]) atque inhaerendo vel sacrae scripturae eloquiis vel occultis revelationibus, in quantum accipiunt, agnoscunt, haec et noverunt et pronuntiant. Judicia igitur, quae Deus tacet, nesciunt, quae Deus loquitur, sciunt. Unde et David propheta cum dixisset: In labiis meis pronuntiavi omnia judicia, protinus addidit, oris tui, ac si aperte dicat: Illa ego judicia nosse et pronuntiasse potui, quae te dixisse cognovi;[6]) nam ea, quae ipse non loqueris, nostris procul dubio cognitionibus abscondis. Concordat ergo prophetica apostolicaque sententia, quia et incomprehensibilia sunt Dei judicia, et tamen, quae de ore

[1]) »quod proposui« codd. S. German., Gemeticens., Casin., Augustan. cum edit. Maur. ac Quirin. et textu graeco (προεθέμην).

[2]) Rom. 11, 33.

[3]) »ininvestigabiles« codices Casinenses.

[4]) Ps. 118, 13.

[5]) »quia vero mente ei inhaerent« codd. Casin. et August. cum edit. Maur.

[6]) »cognosco« cod. Casin.

ejus prolata fuerint, humanis labiis pronuntiantur, quoniam sciri ab hominibus [1]) et prolata per Deum possunt, [2]) et occultata [3]) non possunt.

Petrus. In objectione meae quaestiunculae patuit causa rationis. Sed quaeso te, si qua sunt adhuc de hujus viri virtute, [4]) subjunge.

Cap. XVII.

DE PROPHETIA DESTRUCTIONIS MONASTERII SUI.

Gregorius. Vir quidam nobilis, Theopropus nomine, [5]) ejusdem Patris Benedicti fuerat ammonitione conversus, qui pro vitae suae merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die ejus cellulam fuisset ingressus, hunc amarissime flentem repperit. Cumque diu subsisteret ejusque non finiri lacrimas videret, nec tamen, ut vir Dei consueverat, orando plangeret, sed moerendo: [6]) quaenam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei ilico respondit: Omne hoc monasterium, quod construxi, et cuncta, quae fratribus praeparavi, omnipotentis Dei judicio [7]) gentibus tradita sunt. Vix autem ob-

---

1) »quo sciri ab hominibus« cod. Augustan.

2) »et prolata prodi possunt« nonnulli codd. recent.
»et prolata per Deum possunt« codd. Augustan. et Casin. cum edit. Maur. et translatione Zachariae (*ἅπερ ὁ θεὸς ἀποκαλύψει*).

3) »occulta« cod. Augustan. et edit. Maur.
»occultari« codices juniores
»occultata« cod. Casin.

4) »virtutibus« codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.
»virtute« textus graecus: *περὶ τῆς ἀνεπιλήπτου πολιτείας.*

5) S. Zacharias, textus graeci auctor, hunc virum *bis* nominat Benedictum; verisimile est igitur, illum codicem latinum, quo usus est Zacharias, cum aliis codicibus, quod ad hujus viri nomen attinet, non convenisse.

6) *ἐν τῇ τῆς προσευχῆς ὥρᾳ ἐν ἡσυχίᾳ δακρύειν. ἀλλ' οἰμωγὰς καὶ θρηνώδεις στεναγμοὺς ἐκπέμποντα«* versio graec.

7) Faustus in prologo vitae S. Mauri notat, S. Patriarchae tunc restitutionem quoque monasterii in pristinum, imo ampliorem gradum revelatam esse.

tinere potui, ut mihi ex hoc loco animae concederentur.[1]) Cujus vocem tunc Theopropus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modo a Langobardorum gente[2]) ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore et quiescentibus fratribus nuper[3]) illic Langobardi[4]) ingressi sunt, qui diripientes omnia nec unum quidem illic hominem tenere potuerunt,[5]) sed implevit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res gentibus traderet, animas custodiret.[6]) Qua in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

Cap. XVIII.

DE SUBLATO FLASCONE ET PER SPIRITUM COGNITO.

Quodam quoque tempore Exhilaratus noster, quem ipse conversum nosti, transmissus a domino suo fuerat, ut Dei

---

[1]) Clarius S. Zacharias loquitur dicens: »*τοῦ χαρισθῆναι μοι τὰς ψυχὰς τῶν ἐν κυρίῳ* (alias *ἐν Χρίστῳ*) *ἀδελφῶν μου τῶν ἐν τῷ μοναστηρίῳ οἰκούντων.*«

[2]) »Langobardorum exercitu« codd. Pratellens. et Gemeticens.

[3]) anno 580.

[4]) »illi Langobardi« pleraeque editiones.
»illic Langobardi« codd. S. German., Casin., Augustan. cum edit. Maur.

[5]) Plerique monachorum Romam profecti sunt, aliquot autem fratres ibi ad custodiendum corpus S. Benedicti relictos esse, observat Baronius ad ann. 716.

[6]) Ex hujus praerogativa promissionis asserunt Casinenses coenobitae, pia vetustaque traditione quasi certum istic haberi, nullum ibidem mori in statu peccati mortalis idque variis experimentis esse comprobatum. Idipsum privilegium saltem pro degentibus illic religiosis agnovisse videtur S. Petrus Dam. (opusc. 36. c. 16.) Desiderio abbati totique conventui ita scribens: „Beati, qui vobiscum sunt .... pia nimirum fide credendum est, quia scala illa, quae de Casino monte olim in coelum videbatur erecta, adhuc palliis strata lampadibusque coruscat.“ Angelus de Nuce, abbas Casinensis centesimus tricesimus sextus, in annotationibus ad vitam S. Benedicti profitetur, se a pia majorum credulitate quidem non recedere, sed nemini securitatem promittere.

viro in monasterium vino plena duo liguea vascula, quae vulgo[1]) flascones vocantur, deferret: qui unum detulit, alterum vero pergens in itinere abscondit.[2]) Vir autem Domini, quem facta absentia latere non poterant, unum cum gratiarum actione suscepit et descendentem puerum monuit dicens: Vide, fili, de illo flascone, quem abscondisti, jam non bibas,[3]) sed inclina illum caute et invenies, quid intus habet. Qui confusus valde a Dei homine exivit. Et reversus volens adhuc probare,[4]) quod audierat. cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc praedictus puer Exhilaratus per hoc, quod in vino repperit, expavit malum, quod fecit.

Cap. XIX.

DE MAPPULIS A SERVO DEI ACCEPTIS.

Non longe autem a monasterio vicus erat, in quo magna multitudo[5]) hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conversa. Ibi quoque quaedam sanctae moniales feminae inerant,[6]) et crebro

---

[1]) „a vulgo" quidam codd. recentior.

„vulgo" omnes fere codd. antiquiores cum graeca versione („τῇ κοινῇ διαλέκτῳ).

[2]) In loco, ubi flasconem Exhilaratus absconderat, quoddam sacellum titulo S. Crucis extructum est, quod ascendentibus ad monasterium Casinense per viam Sangermani in medio fere itinere occurrit et multis ibidem factis miraculis claruit.

[3]) „vide, fili, ne de illo flascone ... bibas" edit. Maur.

„vide, fili, de illo flascone ... jam non bibas" codd. Casin. et Augustan.

[4]) „volens hoc probare" cod. Carnot antiquior.

„volens adhuc probare" codd. Casin. et Augustan. cum. edit. Maur.

[5]) „non minima multitudo" cod. Augustan. cum edit. Maur.

„magna multitudo" codd. Casin. et Frising. cum versione graeca (πολὺ πλῆθος.)

[6]) Has moniales in monasterio aliquo, forte opera S. Benedicti fundato, et in communitate religiosa vixisse, graecus interpres indigitat dicens, S. Benedictum misisse monachum ad virginum *asceterium* (coenobium). Credi potest. S. Scholasticam, a fratre Benedicto ad normam regulae edoctam in eodem asceterio, quod vulgo

illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die misit ex more, sed is, qui missus fuerat monachus, post admonitionem factam a sanctimonialibus foeminis rogatus mappulas accepit sibique eas abscondit in sinu. Qui mox ut reversus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine coepit increpare dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit et quid egisset oblitus, unde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Numquid ego illic praesens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti tibique eas in sinum misisti? Qui mox ejus vestigiis provolutus stulte se egisse poenituit et eas, quas in sinu absconderat, mappulas projecit.

Cap. XX.

DE COGITATIONE PUERI SUPERBA PER SPIRITUM COGNITA.

Quadam quoque die dum venerabilis Benedictus Pater vespertina jam hora corporis alimenta perciperet, ejus monachus, cujusdam Defensoris filius,[1]) fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat.[2]) Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernae ministerio adstaret, coepit per superbiae spiritum in mente sua tacitus volvere et per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti adsisto, lucernam teneo, servitium impendo? Quis sum ego, ut

---

Plumbariola vocatur, sanctae contemplationi vacasse et tanquam fundatricem ac matrem praefuisse. Inceptum ab ipsa vitae genus dein paulatim per totam Europam una cum monasteriis virorum Benedictinorum propagatum et in coenobiis Benedictinarum virginum est receptum.

[1]) Defensores ecclesiastici ecclesiarum, pauperum et viduarum, defensores autem politici urbium, locorum ac provinciarum causas ac negotia curabant.

[2]) „defensoris filius ei ante mensam lucernam tenebat." cod. Frising. cum textu graeco (*συνέβη, τινὰ μοναχὸν υἱὸν γεγονότα Δεφενσορός τινος, ἐνώπιον τῆς τοῦ ἁγίου τραπέζης τὸ λύχνον κατέχειν*).

„defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

isti serviam? Ad quem vir Dei statim conversus vehementer eum coepit increpare dicens: Signa cor tuum, frater, quid est, quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque fratribus statim praecepit, ei lucernam de manibus tolli, ipsum vero jussit a ministerio recedere et sibi hora eadem quietum sedere.[1]) Qui requisitus a fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narravit, quanto superbiae spiritu intumuerat et quae contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nil posset, in cujus aure etiam cogitationis verba sonuissent.[2])

Cap. XXI.

DE DUCENTIS MODIIS FARINAE ANTE CELLAM TEMPORE FAMIS INVENTIS.

Alio igitur[3]) tempore[4]) in eadem Campaniae regione fames incubuerat magnaque alimentorum indigentia coangustabat.[5]) Jamque in Benedicti monasterio triticum deerat, panes vero pene omnes consumpti fuerant, ut non plus quam quinque ad refectionis horam fratribus inveniri potuissent.[6]) Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione

---

[1]) S. Zacharias legit: ὁ δὲ ἐξελθὼν ἔξω ἐκάθητο σὺν δάκρυσιν.

[2]) „in cujus auribus tacitae etiam cogitationis verba sonuissent" editiones Haefteni et Maurinorum.

„in cujus aure etiam cogitationis verba sonuissent" codd. Casin. Carnotens. I. et Augustan.

[3]) „alio quoque" cod. Augustan. cum edit. Maur.

„alio igitur" cod. Casin.

[4]) anno scil. 538. cf. Procop. de bello goth. lib. 2.

[5]) „incubuerat magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat" cod. Augustan. cum edit. Maur.

„incubuerat magna, quae omnes alimentorum indigentia coangustabat" cod. Casin.

[6]) S. Benedictus, uti Gregorius cap. 28. insinuat, cunctas res monasterii sui indigentibus tribuerat.

corrigere et rursum promissione sublevare[1]) dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinae modii ante fores cellae[2]) in saccis inventi sunt,[3]) quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes didicerunt jam de abundantia nihil in egestate dubitare.

Petrus. Dic, quaeso te, numquidnam credendum[4]) est, huic Dei famulo semper prophetiae spiritum adesse potuisse? an per intervalla temporum ejus mentem prophetiae spiritus implebat?

Gregorius. Prophetiae spiritus, Petre, prophetarum mentes non semper inradiat, quia sicut de Spiritu Sancto secundum Joannem scriptum[5]) est: Ubi vult aspirat,[6]) ita sciendum est, quia et quando vult aspirat. Hinc est enim quod Nathan a rege requisitus, si construere templum posset, prius consensit et postmodum prohibuit. Hinc est, quod Elisaeus cum flentem mulierem cerneret causamque nescisset,[7]) ad prohibentem hanc puerum dicit: Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est et Dominus celavit me et non indicavit mihi.[8]) Quod omnipotens Deus ex magnae pietatis dispensatione disponit, quia dum prophetiae

---

[1]) „promissione blanda sublevare" cod. Pratellens.
„promissione sublevare" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.
„ἀληθεῖ ὑποσχέσει διαναστήσας" S. Zachar.

[2]) „ἔμπροσθεν τῆς πύλης τοῦ μοναστηρίου" versio graec.

[3]) Hosce saccos reliquiarum instar Casinates monachi per longum tempus asservarunt, donec in Theanensis monasterii conflagratione (a. 896) consumerentur, ut refert Leo Ostiensis (chron. Casin. lib. 1. n. 48).

[4]) „numquid non credendum est" cod. Augustan. cum edit. Maur.
„numquidnam credendum est" cod. Casin.

[5]) Joan. 3, 8.

[6]) „ubi vult spirat" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.
„ubi vult aspirat" codd. Gemeticens. aliique.

[7]) „nesciret" cod. Casin. et textus graecus (ἠγνόει).
„nescisset" cod. Augustan. cum edit. Maur.

[8]) 4. Reg. 4, 27.

spiritum aliquando dat et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine et custodit in humilitate, ut et accipientes spiritum inveniant, quid de Deo sint, et rursum prophetiae spiritum non habentes cognoscant, quid sint de semetipsis.

Petrus. Ita hoc esse, ut asseris, magna ratio clamat. Sed quaeso, de venerabili Patre Benedicto quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

Cap. XXII.

DE FABRICA MONASTERII TERRACINENSIS PERVISIONEM DISPOSITA.

Gregorius Alio quoque tempore a quodam fideli viro fuerat rogatus, ut in ejus praedio[1]) juxta Terracinensem[2]) urbem[3]) missis discipulis suis construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens deputatis fratribus Patrem constituit et quis eis secundus esset[4]) ordinavit. Quibus euntibus spopondit dicens: Ite, et die illa ego venio et ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum vel quaeque sunt necessaria aedificare debeatis Qui benedictione percepta ilico perrexerunt et constitutum diem magnopere praestolantes paraverunt omnia, quae his, qui cum tanto Patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte vero eadem, qua promissus inlucescebat dies, eidem servo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque ejus praeposito vir Domini in somnis apparuit et loca singula, ubi quid aedificare debuissent, subtiliter designavit. Cumque utrique a

---

1) „in ejus patrimonii praedio“ cod. Casin.

„in ejus praedio“ cod. Augustan. cum edit. Maur. ac translatione graeca (ἐν τῷ ἑαυτοῦ χωρίῳ.)

2) „Tarracinensem“ cod. Casin. et edit. Maur.

„Terracinensem“ cod. Augustan. et S. Zacharias (Τεῤῥακίνων).

3) Terracina oppidum Volscorum, Anxur et Trachina prius dicta, colonia Latii Ufente fluvio irrigata ad oram maris Tyrrheni.

4) „et quis ei secundus (graece: οἰκονόμος) esset“ codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

„et quis eis secundus esset“ nonnulli codd. recent.

somno surgerent, sibi invicem quod viderant retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes virum Dei, sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque vir Dei constituto die minime venisset, ad eum cum moerore reversi sunt dicentes: Expectavimus, Pater, ut venires, sicut promiseras, et nobis ostenderes, ubi quid aedificare deberemus, et non venisti. Quibus ipse ait: Quare, fratres, quare ista dicitis? Numquid, sicut promisi, non veni? Cui cum ipsi dicerent: Quando venisti? respondit: Numquid utrisque vobis dormientibus non apparui[1]) et loca singula designavi? Ite, et sicut per visionem audistis,[2]) omne habitaculum monasterii ita construite. Qui haec audientes vehementer ammirati ad praedictum praedium sunt reversi et cuncta habitacula, sicut ex revelatione didicerant, construxerunt.

Petrus. Doceri velim, quo fieri ordine potuit, ut longe iret, responsum dormientibus diceret, quod ipsi per visionem audirent et recognoscerent.

Gregorius. Quid est, quod perscrutans rei gestae ordinem ambigis, Petre? Liquet profecto, quia mobilioris[3]) naturae est spiritus, quam corpus. Et certe scriptura testante novimus, quod propheta ex Judaea sublevatus repente est cum prandio in Chaldaea depositus, quo videlicet prandio prophetam reficit seque repente in Judaea iterum invenit. Si igitur tam longe Habacuc potuit sub momento corporaliter ire et prandium deferre, quid mirum, si Benedictus Pater obtinuit, quatenus iret per spiritum et fratrum quies-

---

[1]) Vitus episcopus, teste Sozomeno (VI. 33), in somno apparuit Constantino Magno; similiter S. Nicolaus eidem imperatori. Meletius quoque, Antiochenus episcopus, ut narrat Theodoretus (V. 6), Theodosio Magno apparuit.

[2]) „per visionem vidistis“ plerique editores cum Mabillonio (in Actis SS.) et graeca versione (ἐθεάσασθε).

„per visionem audistis“ codices paene omnes, imprimis Casin. et Augustan. cum edit. Maur. et Venet.

[3]) „nobilioris“ nonnullae editiones.

„mobilioris“ codd. Casin., Augustan., caeterique cum versione graeca (κινητική) et editione Maur.

centium spiritibus necessaria narraret, ut sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitae spiritaliter pergeret?

Petrus. Manus tuae locutionis tersit a me, fateor, dubietatem mentis. Sed velim nosse in communi locutione, qualis iste vir fuerit.

Cap. XXIII.

DE ANCILLIS DEI, QUAE POST MORTEM PER OBLATIONEM EJUS COMMUNIONI SUNT REDDITAE.

Gregorius. Vix ipsa, Petre, communis ejus locutio a virtutis erat pondere vacua, quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid vero unquam non jam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubie atque suspense, sed jam per sententiam protulisset. Nam non longe ab ejus monasterio duae quaedam sanctimoniales feminae, nobiliori genere exortae, in loco proprio[1]) conversabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitae usum praebebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se caeteris aliquid fuisse meminerunt;[2]) necdum praedictae sanctimoniales feminae perfecte linguam sub habitus sui freno restrinxerant, et eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium praebebat, incautis saepe sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui cum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem[3]) quantasque pateretur verborum contumelias enarravit. Vir autem Dei haec de illis audiens eis protinus mandavit dicens: Corrigite linguam vestram, quia si non

[1]) Sanctimoniales aut in monasteriis regulariter vivebant, aut in domibus suis susceptum habitum caste observabant.

cf. Decretum caus. 27. qu. 1. c. 7. et 31.

[2]) „meminerint“ cod. Augustan.

„meminerunt“ cod. Casin. cum edit. Maur.

[3]) Ex tota narrationis serie apparet, has moniales S. Benedicto fuisse aliqua ex causa subditas.

emendaveritis, excommunico vos.[1]) Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed intentando.[2]) Illae autem a pristinis moribus nihil mutatae intra paucos dies defunctae sunt atque in ecclesia sepultae. Cumque in eadem ecclesia missarum solemnia celebrarentur atque ex more Diaconus clamaret: Si quis non communicat, det locum; nutrix earum, quae pro eis oblationem Domino deferre[3]) consueverat, eas de sepulcris suis progredi[4]) et exire ecclesiam[5]) videbat.[6]) Quod dum saepius cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exiebant foras atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam rediit,[7]) quae vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe se communione privare dixerat, nisi mores suos et verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi moerore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit dicens: Ite

---

1) „excommunicabo vos" codex Pratellensis vetus.

„excommunico vos" codd. Casin., Augustan. et Frising. cum edit. Maur. ac textu graeco (ποιῶ ὑμᾶς ἀκοινωνήτους).

S. Benedictus maledictionem quandam, minime vero sententiam juridicam protulit, praesertim cum crimen monialium non fuerit dignum gravi canonica censura. Poenam divinam prophetavit vir sanctus denunciando reis, Deum cum ipsis quamvis in statu gratiae defunctis ita acturum esse, ac si fuissent a praelato ecclesiastico canonice excommunicatae.

2) „sed minando" edit. Maur.

„sed intentando" codd. Casin., Augustan., Frising. et S. German.

3) „offerre" codd. Augustan. et Frising. cum edit. Maur.

„deferre" cod. Casin.

4) „egredi" cod. Casin.

„progredi" codd. Augustan. et Frising. cum edit. Maur.

5) „exire de ecclesia" cod. Casin. cum. edit. Maur. et translatione graeca (ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐξερχομένας).

„exire extra ecclesiam" cod. Augustan.

„exire ecclesiam" cod. Frising.

6) Non absimile exemplum refert Raderus (in „Bavaria sancta"), excommunicatos et in ecclesia sepultos S. Godehardo episcopo Hildesheimensi obsecutos et tempore sacrificii de ecclesia egressos esse.

7) „ad memoriam reduxit" edit. Maur.

„ad memoriam rediit" codd. Casin, Augustan., Frising., cum versione S Zachariae (εἰς μνήμην ἐλθοῦσα).

et hanc oblationem pro eis offerri Domino facite,[1]) et ulterius excommunicatae non erunt. Quae dum oblatio pro eis fuisset immolata, et a diacono juxta morem clamatum est, ut non communicantes ab ecclesia exirent, illae exire ab ecclesia ulterius visae non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione privati sunt, minime recederent, communionem a Domino per servum Domini recepissent.

Petrus. Mirum valde! quamvis venerabilem et sanctissimum virum adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem potuisse animas solvere in illo jam invisibili judicio constitutas.

Gregorius. Numquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: »Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis: et quaecumque solveris super terram, soluta erunt et in coelis?[2]) Cujus nunc vicem et ligando et solvendo[3]) optinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. Sed ut tanta valeat homo de terra, coeli et terrae conditor in terram venit e coelo, atque ut judicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro, quia unde surrexit ultra se infirmitas nostra, inde sub se infirmata est firmitas Dei.

Petrus. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

---

[1]) Offerebant prisci fideles praecipue panes, quibus sacerdotes benedictionem impertiebant. Panis benedicti pars una fidelibus in signum unitatis distribuebatur (eulogia), pars altera in clericorum et pauperum alimentum erogabatur. Poenitentes post mortem, etiamsi nondum expleverant poenitentiam, in communionem fidelium recipiebantur per oblationes, quae eorum nomine offerebantur.

[2]) Matth. 16, 19.

[3]) „cujus vicem in ligando et solvendo" codd. Casin. et Frising. cum. edit. Maurin.
„cujus vicem ligandi et solvendi" cod. Carnot. prim.
„cujus vicem et ligando et solvendo" cod. Augustan.

Cap. XXIV.

DE PUERULO MONACHO, QUEM SEPULTUM TERRA PROJECIT.

Gregorius. Quadam quoque die dum quidam ejus puerulus monachus parentes suos ultra quam debebat[1]) diligens atque ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de monasterio exisset, eodem die mox ut ad eos pervenit defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est. Quod rursum tradere sepulturae curaverunt, sed sequenti die iterum projectum exterius atque inhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit dicens: Ite atque hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite[2]) eumque sepulturae sic tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit nec ultra projecit. Perpendis, Petre, apud Dominum Jesum Christum cujus meriti iste vir fuerit, ut ejus corpus etiam terra projiceret,[3]) qui Benedicti gratiam non haberet.

Petrus. Perpendo plane et vehementer stupeo.

---

[1]) „deberet" edit. Maur.
„debebat" codd. Casin. et Augustan.

[2]) Censent nonnulli, eucharistiam quidem supra pectus mortui positam, sed postea continuo esse ablatam Qui oppositum tenent. ad priscorum exempla recurrunt, quibus probatur, olim sacrum corpus Christi supra pectus defunctorum, maxime episcoporum, in sepulcro esse positum. Ipsum Basilium M., cujus vitam et scripta S. Benedictus sedulo legerat, hunc morem secutum esse Amphilochius meminit. Bona fide piaque intentione S. P. Benedictum egisse, eventus ipse docuit.

[3]) „projecerit" codd. Augustan. et Frising. cum edit. Maur.
„projiceret" cod. Casin.

Cap. XXV.

DE MONACHO, QUI INGRATO EODEM MONASTERIO DISCEDENS DRACONEM CONTRA SE IN ITINERE INVENIT.

Gregorius. Quidam ejus monachus mobilitati mentem dederat[1]) et permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei assidue corriperet et frequenter ammoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere atque inportunis precibus, ut relaxaretur, immineret: quadam die isdem venerabilis Pater nimietatis ejus taedio affectus iratus jussit, ut discederet.[2]) Qui mox ut monasterium exiit, contra se adsistere aperto ore draconem in itinere invenit.[3]) Cumque eum isdem draco, qui apparuerat, devorare vellet, coepit ipse tremens et palpitans magnis vocibus clamare dicens: currite, currite,[4]) quia draco iste me devorare vult. Currentes autem fratres draconem minime viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, nunquam se esse jam a monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit, quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

---

[1]) „mobilitati mentis deditus erat" plerique editores.
„mobilitati mentem dederat" codd. Augustan., et omnes Casinenses cum edit. Maur.

[2]) S. Benedictus hunc monachum vel quasi incorrigibilem de monasterio ejecit vel discessum ejus concessit non ut rem licitam, sed ad majus malum vitandum, vel praesciens visionem mirabilem ipsum sanare voluit.

[3]) Sub hujus draconis specie latuisse diabolum, ipsemet S. Gregorius sensisse videtur, quia sequentibus verbis concludit: Assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur. S. Zacharias quoque, interpres graecus, scribit, monachum illum victum esse *ὑπὸ τοῦ τῆς ἀκηδίας δαίμονος.*

[4]) „occurrite" cod. Carnot. vetustior.
„succurrite" pleraeque editiones.
„currite" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

Cap. XXVI.

DE ELEFANTIOSO CURATO.

Sed neque hoc silendum puto, quod inlustri viro Abdonio[1]) narrante cognovi, qui ajebat, patris sui puerum morbo elefantino[2]) fuisse correptum, ita ut jam pilis cadentibus cutis intumesceret, atque increscentem saniem[3]) occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre ejus missus est et saluti pristinae sub omni celeritate restitutus.

Cap. XXVII.

DE SOLIDIS PER MIRACULUM DEBITORI REDDITIS.

Neque illud taceam, quod ejus discipulus, Perigrinus nomine, narrare consueverat, quia quadam die fidelis vir quidam[4]) necessitate debiti compulsus unum sibi fore remedium credidit, si ad Dei virum pergeret et quae eum urgueret debiti necessitas indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum repperit, quia a creditore suo pro XII solidis graviter affligeretur intimavit. Cui venerabilis Pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen ejus inopiam blanda locutione consolatus ait: Vade et post biduum revertere, quia deest hodie, quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cum die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur, rediit,[5]) super arcam monasterii, quae erat frumento plena, subito tredecim solidi sunt

---

[1]) „Antonio" edit. Maur. et interpretatio graeca (*Ἀντωνίῳ*).
„Abdonio (vel Aptonio)" codd. S. German., Casin., Augustan.

[2]) Est species leprae.

[3]) „increscente sanie" cod. Carnot. I. cum versione S. Zachariae (*πηρωούσης τῆς νόσου*).
„increscentem saniem" codd. Casin., Augustan. et edit. Maur.

[4]) Editio Antwerpiensis ex Vaticana expressa eum appellat presbyterum.

[5]) „rediret" edit. Maur.
„rediit" codd. Casin. et Augustan.

inventi.[1]) Quos vir Dei deferri jussit et afflicto petitori tribuit[2]) dicens, ut duodecim redderet debiti, et unum in expensis proprius haberet.

Sed ad ea nunc redeam, quae ejus discipulis in libri hujus exordio praedictis referentibus agnovi. Quidam vir gravissima adversarii sui aemulatione laborabat, cujus ad hoc usque odium prorupit, ut ei nescienti in potu venenum daret. Qui[3]) quamvis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutavit, ita ut diffusa in corpore suo varietas leprae morem imitari videretur. Sed ad Dei famulum deductus salutem pristinam citius recepit; nam mox ut eum contigit, omnem cutis illius varietatem fugavit.

Cap. XXVIII.

DE AMPULLA VITREA IN SAXIS PROJECTA ET NON FRACTA.

Eo quoque tempore, quo alimentorum inopia Campaniam graviter affligebat,[4]) vir Dei diversis indigentibus monasterii sui cuncta tribuerat, ut pene nihil in cellario nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, advenit magnopere postulans, ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in coelo omnia reservaret, hoc ipsum parum, quod remanserat, olei jussit petenti dari. Monachus vero, qui cellarium tenebat,[5]) audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit.

---

[1]) „in oratione fuit occupatus, cum die tertio is .... rediit; super arcam (archam) vero monasterii .... inventi sunt“ codd. Casin. et Augustan.

„in oratione fuit occupatus. Cumque (cum) die tertio is . . rediit (rediret), super arcam monasterii .... inventi sunt“ edit. Maur.

[2]) „tribui“ cod. Augustan. et edit. Maur. cum versione graeca (δοθῆναι).

„tribuit“ cod. Casin.

[3]) „Quod“ edit. Maur. et cod. Augustan.

„Cui“ cod. Casin.

[4]) ann. scil. 538.

[5]) qui cellae penariae praeerat.

Cumque post paulolum, si id, quod jusserat, datum esset inquireret, respondit monachus, se minime dedisse, quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc iratus aliis praecepit, ut hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram projicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est ita. Sub fenestra autem eadem ingens praecipitium patebat saxorum molibus asperum. Projectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolome,[1]) ac si projectum minime fuisset, ita ut neque frangi neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini praecepit levari atque ut erat integrum petenti[2]) tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem monachum de infidelitate sua et de superbia coram omnibus increpavit.

Cap. XXIX.

DE DOLIO VACUO ET OLEO REPLETO.

Qua increpatione completa sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, ubi cum fratribus orabat, vacuus erat ab oleo dolius[3]) et coopertus. Cumque sanctus vir in oratione persisteret, coepit operimentum ejusdem dolii oleo excrescente sublevari. Quo demoto atque sublevato oleum, quod excreverat, ora dolii transiens pavimentum loci, in quo incubuerat,[4]) inundabat. Quod Benedictus Dei famulus ut aspexit, protinus orationem complevit, atque in pavimentum oleum difluere cessavit.

[1]) Narrat Miletius, hoc vas vitreum non secus ac si ferreum fuisset, ipsis saxis in speciem cerae mollitis suam impressisse figuram, quam se ipsum vidisse affirmat. Huic tamen asseverationi contradicit Angelus de Nuce ap. Muratori (script. ital. IV. 211).

[2]) „tribuit" edit. Maur.

„tribui" codd. Casin. et Augustan. cum paraphrasi graeca (δοθῆναι).

[3]) „vacuum erat ab oleo dolium" cod. Casin. et edit. Maur.

„vacuus erat ab oleo dolius" codd. Augustan., (doleus) Carnot. I et Gemetic. I.

[4]) „incubuerant" nonnulli codices aevi recentioris.

„incubuerat" codd. Casin. et Augustan. cum editione Maur. et S. Zachariae translatione (τὴν εἰς προσευχὴν κύψας).

Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit,[1]) ut fidem habere disceret et humilitatem. Isdem vero frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Domini, quam ammonitione intimaverat, miraculis ostendebat: nec erat jam ut quisquam de ejus promissionibus dubitare posset, qui in uno eodemque momento pro vitreo vase pene vacuo plenum oleo dolium reddidisset.

Cap. XXX.

DE MONACHO A DAEMONIO LIBERATO.

Quadam vero die dum ad beati Joannis Oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie[2]) obviam factus est, cornu et tripedicam[3]) ferens. Quem cum requisisset dicens: Ubi vadis?[4]) ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionem eis dare.[5]) Itaque perrexit venerabilis Benedictus ad orationem, qua completa concitus rediit. Malignus vero spiritus unum seniorem monachum invenit aquam haurientem, in quo[6]) statim ingressus est eumque in terram projecit et vehementissime vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam

[1]) Praecedente capite monachum coram omnibus increpavit, hic vero privatim eundem latius instruxit. Ibi dirum magistri, hic pium patris affectum exhibuit.

[2]) „in mulo medici specie" cod Augustan.

„in mulo in medici specie" nonnulli codd. recentiores.

„in mulomedici specie" omnes codices Casinenses et edit. Maur. cum versione graeca (ἐν σχήματι ἱππιατροῦ).

[3]) „trepidicam" cod. S. German. cum aliis.

„tripedicam" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. ac S. Zachariae paraphrasi (τριπέδικλον).

Tripedica quasi triplex pedica aut trium pedum pedica, i. e. laqueus, quo tres pedes illigantur et impediuntur.

[4]) „quo vadis?" edit. Maur. „ubi vadis?" codd. Casin., S. German., Augustan. cum versione graeca (ποῦ ἀπέρχῃ;).

[5]) Simile est, quod legitur apud Rufinum in vitis Patrum (lib. 3. n. 61); diabolus enim S. Macario apparuit varia vascula ferens et eadem fere respondens.

[6]) „in quem" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

dedit[1]) et malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet.

Petrus. Velim nosse, si haec tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

Gregorius. Qui devota mente Deo adhaerent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo utroque solent, ut mira quaeque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Joannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (Joh. 1, 12); quod si filii Dei ex potestate sunt,[2]) quid mirum, si signa facere ex potestate valent? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, testat Petrus, qui Thabitham mortuam orando suscitavit, Ananiam vero et Saffiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetraverant, increpasse. Constat ergo, quod aliquando haec ex potestate, aliquando exhibent ex postulatione, dum et istis vitam increpando abstulit, et illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis Dei famuli Benedicti facta nunc replico,[3]) in quibus aperte claret, aliud hunc accepta divinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

Cap. XXXI.

DE LIGATO RUSTICO ET SOLO EJUS VISU SOLUTO.

Gothorum quidam, Zalla nomine,[4]) perfidiae fuit Arianae, qui Totilae regis eorum temporibus contra catholicae ec-

---

[1]) Alios sanctos viros imitans Ss. Pater hoc modo expellendi daemonem usus est in ejus contemtum. S. Humbertus impacta alapa ab obsessa muliere daemonem fugavit, ut legitur in ejus vita cap. 7.

[2]) „qui filii Dei ex potestate sunt“ codd. Casin. et Augustan. cum edit Maur. et paraphrasi Zachariae (οἳ οὖν τοῦ Θεοῦ τέκνα).

„quod si filii Dei ex potestate sunt“ cod. S. German.

[3]) „replicabo“ cod. Augustan.

„replico“ cod. Casin. cum edit. Maur. et textu graeco (προτίθημι).

[4]) „Galla nomine“ codd. S. German. et Frisingens.

„Zalla nomine“ codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. et translatione graeca (Ζάλλας).

clesiae religiosos viros ardore immanissimae crudelitatis exarsit, ita ut quisquis ei clericus monachusve ante faciem venisset, ab ejus manibus vivus nullo modo exiret. Quadam vero die avaritiae suae aestu succensus in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum crudelibus tormentis affligeret eumque per supplicia diversa laniaret, victus poenis rusticus sese res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, ut dum hoc a torquente crederetur,[1]) suspensa interim crudelitate ad vitam raperetur.[2]) Tunc idem Zalla cessavit rusticum tormentis affligere, sed ejus brachia loris fortibus astringens ante equum suum coepit impellere, ut quis esset Benedictus, qui ejus res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens duxit ad sancti viri monasterium eumque ante ingressum cellae solum sedentem repperit et legentem. Eidem autem subsequenti et saevienti Zallae rusticus dixit: Ecce iste est, de quo dixeram, Benedictus Pater. Quem dum fervido spiritu cum perversae mentis insania fuisset intuitus, eo terrore, quo consueverat, acturum se existimans magnis coepit vocibus clamare dicens: Surge, surge, et res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cujus vocem vir Dei protinus oculos levavit a lectione eumque intuitus mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, adtendit: ad cujus brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate coeperunt inligata brachiis lora devolvere,[3]) ut dissolvi tam concite nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is, qui ligatus venerat, coepisset subito adstare solutus, ad tantae potestatis vim tremefactus Zalla ad terram corruit et cervicem crudelitatis rigidae ad ejus vestigia inclinans orationibus se illius commendavit. Vir autem sanctus a

---

[1]) „a torquente creditur“ cod. Casin. et edit. Maur.
„a torquente crederetur“ cod Augustan.

[2]) „horae raperentur“ codd. Casin. et S. German. cum edit. Maur. Lectio quoque codicis Augustani „horae reparentur“ per correctorem mutata est in „horae raperentur.«

[3]) „lora dissolvere“ cod. S. German. et versio Zachariae (λύσεως)
„lora devolvere“ codd Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

lectione minime surrexit, sed vocatis fratribus eum introrsus tolli, ut benedictionem acciperet,[1] praecepit. Quem ad se reductum, ut a tantae crudelitatis insania quiescere deberet, ammonuit, qui fractus[2] recedens nil ulterius petere a rustico praesumsit, quem vir Dei non tangendo, sed respiciendo solverat.[3] Ecce est, Petre, quod dixi, quia hi, qui omnipotenti Deo familiarius serviunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt; qui enim ferocitatem Gothi terribilis sedens repressit, lora vero nodosque ligaturae, quae innocentis brachia adstrinxerant, oculo dissolvit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere, quod fecit. Rursum quoque, quale quantumque miraculum orando valuit obtinere,[4] subjungam.

Cap. XXXII.

DE MORTUO SUSCITATO.

Quadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus, quidam vero rusticus defuncti filii corpus in ulnis ferens, orbitatis luctu aestuans, ad monasterium venit, Benedictum Patrem quaesivit. Cui cum dictum esset, quia isdem Pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante monasterii januam corpus extincti filii projecit et dolore turbatus ad inveniendum venerabilem Patrem se concitus in cursum dedit. Eadem vero hora vir Dei ab agri opere jam cum fratribus revertebatur. Quem mox ut orbatus rusticus aspexit, clamare coepit: Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit dicens: Num-

---

[1]) „Benedictio" hic accipitur, prout alias, pro cibo seu eulogia, quare S. Zacharias vertit: *ὅπως μεταλάβῃ τροφῆς* (alimento). Sed quia moris christiani est, absque praevia benedictione cibum non sumere, hinc ipsa refectio benedictionis nomine appellatur.

[2]) „correptus" cod. Casin.

„fractus" cod. Augustan. cum. edit. Maur.

[3]) Multi Sancti solo aspectu edidere miracula. Sic S. Coleta ambustam manum pedemque cujusdam monialis solo aspectu restituit sanitati.

[4]) „voluit obtinere" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

„valuit obtinere" cod. Wessofont. cum versione graeca (*ἠδυνήθη*).

quid ego filium tuum abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est, veni, resuscita eum. Quod mox ut Dei famulus audivit, valde contristatus est dicens: Recedite. fratres, recedite;[1]) haec nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid vultis onera nobis imponere, quae non possumus portare? At ille igitur, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit jurans, quod non recederet, nisi ejus filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisivit dicens: Ubi est? Cui ille respondit: Ecce corpus ejus ad januam monasterii jacet. Ubi dum vir Dei cum fratribus pervenisset, flexit genua[2]) et super corpusculum infantis incubuit seseque erigens ad coelum palmas tetendit dicens: Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem hujus hominis,[3]) qui resuscitari filium suum rogat, et redde in hoc corpusculo animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleverat, et regrediente anima ita corpusculum pueri omne contremuit, ut sub oculis omnium, qui aderant, apparuerit con-

[1]) „recede, frater, recede" nonnulli codices recentioris aevi.

„recedite, fratres, recedite" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. ac textu graeco (ἀναχωρήσατε, ἀδελφοί).

[2]) „flexit genu" cod. Casin.

„flexit genua" cod. Augustan. cum edit. Maur. et paraphrasi Zachariae (τὰ γόνατα).

Ad portam monasterii Casinensis signa cubitorum sanctissimi Patris saxis impressa et genuum patris pro defuncto filio supplicantis sunt relicta, uti refert Simon Miletius. cf. Angelus de Nuce ap. Muratori (scriptor. ital. IV. 211.).

[3]) Eadem formula utitur sacerdos sacrificium missae celebrans, dum dicto „Agnus Dei" orat: Domine Jesu Christe, ... ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae etc. Oratio haec a quibusdam S. Gregorio M. adscribitur, qui eam fortasse a. S. Benedicto mutuatus est. Clarissimus Alcuinus B. Benedicto has quoque preces attribuit „Digneris mihi donare, Pater pie et sancte, intellectum qui te intelligat, sensum qui te sentiat, animum qui te sapiat, diligentiam quae te quaerat, sapientiam quae te inveniat, animum qui te cognoscat, viscera quae te ament, cor quod te cogitet, actum qui te augeat, auditum qui te audiat, oculos qui te videant, linguam quae te praedicet, conversationem quae tibi placeat, patientiam quae te sustineat, perseverantiam quae te expectet, finem perfectum, praesentiam tuam sanctam, resurrectionem bonam, retributionem, vitam aeternam. Amen!"

cussione mirifica tremendo palpitasse. Cujus mox manum tenuit et eum patri viventem atque incolomem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit, ut exhibere potuisset.

Petrus. Sic cuncta esse, ut asseris, constat patenter, quia verba, quae proposueras, rebus probas Sed quaeso te, ut mihi indices, si sancti viri omnia, quae volunt, possunt et cuncta impetrant, quae desiderant obtinere.

Cap. XXXIII.

DE MIRACULO SCHOLASTICAE SORORIS EJUS.

Quisnam erit, Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suae stimulo ter Dominum rogavit et tamen, quod voluit, obtinere non valuit? Ex qua re necesse est, ut tibi de venerabili Patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam, quod voluit, sed non valuit implere. Soror ejus namque, Scholastica nomine, [1]) omnipotenti Domino ab ipso infantiae tempore dedicata [2]) ad eum semel per annum venire consueverat. [3]) Ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione [4]) monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis vene-

---

[1]) Uno partu, uti saltem suspicantur auctores recentiores, v. g. Trithemius (de illustr. vir.), Abundantia mater geminos ecclesiae flores, Benedictum et Scholasticam, edidit molestiisque puerperii superatis ex hac vita migravit. Scholasticam alii doctam interpretantur, unde ipso nomine coelestis doctrina est expressa, qua soror Benedicti erat imbuenda: ipsa namque scholas aperire debuit, in quibus animae ad Dei servitium instruerentur.

[2]) Scholastica in coenobio quodam incognito vitam degebat monasticam; postea vero, cum nomen fratris ejusque regulam ab omnibus celebrari audisset, sedem fixit juxta montem Casinum, ubi novum excitavit monasterium, Plumbariola appellatum.

[3]) Clausura tum temporis non eo rigore a monialibus servabatur, quem postea ecclesia ordinavit, sed superiores, quibus moniales parebant, aliquando, sed raro egressum concedebant.

[4]) In perpetuam colloquii memoriam postea sacellum in honorem B. M. Virginis exstructum est. Ex hac possessione monasterii Casinensis colligunt auctores, monachis Benedictinis praedia ad victum assignata fuisse ab ipso Ordinis exordio.

rabilis ejus descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes incumbentibus jam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit dicens: Quaeso te, ne ista nocte me deseras, ut usque mane aliquid de coelestis vitae gaudiis loquamur.[1]) Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris, soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat coeli serenitas, ut nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit et caput in manibus omnipotentem Deum rogatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus tantaque inundatio pluviae erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis femina quippe caput in manibus declinans lacrimarum fluvium[2]) in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos tonitruos atque ingentis pluviae inundationem videns, se ad monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus! soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogavi, et audire me noluisit: rogavi Dominum meum, et audivit me. Modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem extra tectum exire non valens, qui manere sponte noluit, in loco mansit invitus. Sicque factum

---

1) „ut usque mane de coelestis vitae gaudiis loquamur“ edit. Maur. „ut usque mane *aliquid* de coelestis vitae gaudiis loquamur“ codd. Casin. et Augustan.

2) „fluvios“ cod. Casin. et edit. Maur. cum S. Zacharia (*ποταμούς*). „flumina“ cod. Augustan.

est, ut totam noctem pervigilem[1]) ducerent atque per sacra spiritalis vitae colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi, eum voluisse aliquid, sed minime potuisse, quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est, quod eandem serenitatem voluerit, in qua descenderat, permanere, sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex feminae pectore miraculum invenit. Nec mirum, quod plus illo femina, quae diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit, quia (enim) juxta Joannis vocem Deus caritas est,[2]) justo valde judicio illa plus potuit, quae amplius amavit.

Petrus. Fateor, multum placet, quod dicis.

Cap. XXXIV.

DE ANIMA SORORIS EJUS VISA, QUALITER E CORPORE SIT EGRESSA.

Gregorius. Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam,[3]) et vir Dei ad monasterium rediit. Cum post triduum[4]) in cella consistens elevatis in aëra oculis vidit ejusdem sororis suae animam de ejus corpore egressam in columbae specie[5]) coeli secreta penetrare. Qui tantae ejus gloriae congaudens omnipotenti Deo in ymnis et laudibus gratias reddidit ejusque obitum fratribus de-

---

[1]) „pervigiles" cod. Carnotens. antiquior et graeca versio (ἀγρυπνοῦντες).

„pervigilem" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

[2]) Joann. 4, 16.

[3]) Omissum est: „recessisset".

[4]) „post triduum", i. e. 10. Febr.

[5]) Quae instar columbae vixerat in foraminibus petrae, congrue jam veluti pennis columbae deargentatae ad coelestem transvolavit patriam.

Fenestrae, per quam Ss. Pater animam egressam vidit, etiam ineunte septimo decimo saeculo hi versus erant subscripti:

„Virgo columbina specie Nursina per aethram
Migrat in angelicos fratre vidente choros".

Caeterum id ipsum de pluribus Sanctis legitur, v. g. de S. Eulalia, Reparata etc. Cum S. Theresia exspiraret, teste Ribera (III. 16), soror quaedam niveam columbam ex ore ejus egredi vidit.

nuntiavit, quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent[1]) atque in sepulcro, quod sibi ipse paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

Cap. XXXV.

DE MUNDO ANTE OCULOS EJUS COLLECTO ET DE ANIMA GERMANI CAPUANAE CIVITATIS EPISCOPI.

Alio quoque tempore Servandus, diaconus atque abbas ejus monasterii, quod in Campaniae partibus a Liberio quondam patricio fuerat constructum,[2]) ad eum visitationis gratia ex more convenerat.[3]) Ejus quippe monasterium frequentabat, ut, quia isdem quoque vir doctrina gratiae coelestis influebat, dulcia sibi invicem vitae verba transfunderent et suavem cibum coelestis patriae, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cum vero hora jam quietis exigeret,[4]) in cujus turris[5]) superioribus se venerabilis Benedictus, in ejus quoque inferioribus sese Servandus diaconus collocavit,[6]) quo videlicet in loco

---

[1]) Nomine fratrum corpus deferentium totus intelligitur conventus, ex quo patet, monasterium S. Scholasticae Casinensi fuisse vicinum et sacrum virginis corpus monachorum humeris processionaliter esse delatum.

[2]) Liberius bis fuit praefectus rerum Gothorum in Galliis sub Theodorico et Athalarico Gothorum regibus. Ipse secundo Arausicano concilio (a. 529) interfuit et consentiens subscripsit. Idem Senator et Legatus Theodati regis ad Justinianum fuit.

[3]) „ex more venire consueverat" edit. Haefteni.

„ex more convenerat" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

[4]) In edit. Gussanv. post „exigeret" legitur: „ut se sopori dare debuissent, turris erat eodem in loco constituta, quae super totius cellae habitaculum imminebat" etc.; haec absunt a manuscriptis, etiam a Casin., Augustan. et Wessofont.

[5]) „in cujusdam turris" edit. Laureti.

[6]) Cellula S. P. Benedicti, quae in superiore turris tabulato erat, postea in sacellum transformata limenque ostii hoc disticho exornata est:

„Hanc pater excoluit cellam Benedictus, in aedem
Nunc extructa novam rite dicatur ei".

Ad portam sacelli pendet tabella, quae hexametris versibus praecipua SS. Patris celebrat miracula in eadem cella patrata.

inferiora superioribus pervius continuabat ascensus.[1]) Ante eandem vero turrim largius erat habitaculum, in quo utriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Domini Benedictus adhuc quiescentibus fratribus, instans vigiliis, nocturnae orationis tempora praevenisset, ad fenestram stans et omnipotentem Dominum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras exfugasse tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quae inter tenebras radiasset.[2]) Mira autem valde res in hac speculatione secuta est, quia, sicut post ipse narrabat, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscae lucis infigeret, vidit Germani, Capuani episcopi, animam in (sphaera) spera ignea ab angelis in coelum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Servandum diaconum iterato bis terque ejus nomine cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit partemque jam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum vir Dei per ordinem, quae fuerant gesta, narravit statimque in Casinum castrum religioso viro Theopropo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret, et quid de Germano episcopo ageretur, agnosceret et indicaret. Factumque est, et reverentissimum virum Germanum episcopum is, qui missus fuerat, jam defunctum repperit et requirens subtiliter agnovit, eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini ejus cognovit ascensum.[3])

---

[1]) „quo videlicet in loco inferiora ad superiora pervius continuabat ascensus“ edit. Haefteni.

„quo videlicet in loco inferiora superioribus pervius continuabat ascensus“ codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur. et textu S. Zachariae (κατώγαια (alias κατώγεα) τοῖς ἀνωγέοις).

[2]) „quae inter tenebras radiasset“ codd. Augustan. et Frising. cum edit. Maur.

„quae in tenebris radiasset“ cod. Casin.

[3]) „abscessum“ cod. Pratelens. „ascensum“ codd. Casin., Augustan., Frising. cum edit. Maur. ac versione S. Zachariae (ἄνοδον).

Petrus. Mira res valde et vehementer stupenda: sed hoc, quod dictum est, quia ante oculos ipsius quasi sub uno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquam expertus sum, ita nec conjicere scio, quonam ordine fieri potest, ut mundus omnis ab homine uno videatur.

Gregorius. Fixum tene, Petre, quod loquor, quia animae videnti creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breve ei fit omne, quod creatum est, quia ipsa luce visionis intimae, mentis laxatur sinus tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo. Fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam; cumque in Dei lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur, et dum sub se conspicit,[1]) exaltata comprehendit, quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo, qui intueri[2]) globum igneum, angelos quoque ad coelum redeuntes videbat, haec procul dubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non coelum et terra contracta est,[3]) sed videntis animus dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illa ergo luce, quae exterioribus oculis fulsit, lux in interiori mente fuit, quae videntis animum, quia ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit.

---

[1]) „dum se sub se conspicit" cod. S. German. cum edit. Maur. et textu graeco (*ὅταν δὲ ἑαυτὴν πλατυνθεῖσαν θεάσηται.*)

„dum super se conspicit" cod. Casin (272).

„dum se mens conspicit" codd. Pratelens. et Gemetic. I.

„dum sub se conspicit" codd. Augustan. et Frising.

[2]) „intuens" edit Maur. et S Zacharias (*θεασάμενος*) et cod. Frising.

„intueri" codd. S. German. et Casinens.

„intuerit" cod. Augustan.

„qui in turri" cod. Carnot. I.

[3]) „contracti sunt" cod Augustan

„contracta est" codd Casin. et Frising. cum edit. Maur.

Petrus. Videor mihi utiliter non intellexisse, quae dixeras, quando ex tarditate mea tantum crevit expositio tua. Quia haec liquide meis sensibus infundisti, quaeso ut ad narrationis ordinem redeas.

Cap. XXXVI.

DE EO, QUOD REGULAM MONACHORUM SCRIPSERIT.

Gregorius. Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare; sed quaedam ejus studiose praetereo, quia ad aliorum gesta volvenda festino. Hoc autem nolo ut te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinae quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam,[1]) sermone luculentam,[2]) cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulae omnis magisterii actus invenire,[3]) quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

Cap. XXXVII.

DE PROPHETIA SUI EXITUS FRATRIBUS DENUNTIATA.

Eodem vero anno, quo de hac vita erat exiturus[4]), quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus, sanctissimi sui obitus denuntiavit diem, prae-

---

[1]) „discretione praecipua“ cod. Augustan. cum versione graeca (*διακρίσει ἐξαιρέτῳ*).

„discretione praecipuam“ codd. Casin. et Frising. cum edit. Maur.

[2]) „sermone luculento“ codd. Gemet. I. et Pratelens. ac Carnot. I. cum translatione graeca (*λόγῳ φωτοειδεῖ.*)

„sermone luculentam“ codd. Casin., Augustan., Frising. cum edit. Maur.

[3]) „omnes magisterii illius actus invenire“ codd. Casin., Augustan. et Frising. cum edit. Maur.

[4]) S. P. Benedictum mortuum esse anno quingentesimo quadragesimo tertio (die XXI. Martii) (hora quasi sexta ex actis B. Mauri) vera est sententia, quam tenent Leo Ostiensis, Wion, Miraeus, Baronius et Mabillonius. Certum est enim, S. Benedictum vixisse etiam regnante Totila rege, qui anno 542 ad regnum evectus est (cf. Procop. de bello Goth. lib. 2.). Quod autem annum 543 non sit trans-

sentibus indicens, ut audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam jubet.[1]) Qui mox correptus febribus acri coepit ardore fatigari; cumque per singulos dies languor ingravesceret, sexto die portari se in oratorium a discipulis fecit ibique exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit atque inter discipulorum manus inbecillia membra sustentans erectis in coelum ma-

---

gressus, ita demonstratur: Mors S. Mauri evenit circa annum 584, et quidem ex Fausti asseveratione anno quadragesimo primo a suo in Gallias adventu et ab obitu SS P. Benedicti. Quodsi ab annis 584 subducas quadraginta unum, relinquitur annus 543. Diem mortis ejus incidisse in 21. Martii, i. e. *in Sabbatum* ante *dominicam Passionis*, totius ecclesiae latinae videtur esse consensus; nam eodem die commemoratur in ipsa vita S. Mauri ab itineris socio Fausto primum conscripta, in martyrologio romano (antiquo et novo), in Bedae, Wandelberti, Rhabani, Usuardi, Adonis aliisque martyrologiis et Calendariis. Odo abbas, noni demum saeculi auctor et interpolator vitae S Mauri a Fausto scriptae, narrat, S. P. Benedictum mortuum esse *Sabbato sancto* seu vigilia Paschatis. Ut tueantur hanc Odonis (Pseudo-Fausti) narrationem, nonnulli opinantur, in aliquibus Galliae provinciis S. Pascha anni 543 celebratum esse XXII die Martii. Sed cum haec opinio minime probabilis sit, conjiciendum esse videtur, non jam Faustum, sed Odonem interpolatorem erronee corrigendo scripsisse, S. Benedictum obiisse Sabbato sancto, quod nullo modo convenire potest cum die XII. Cal. April. (21. Martii), quem ipse Faustus vel Odo concorditer cum Beda, Wandelberto et Usuardo ut diem mortis S. Benedicti allegat, qui dies sine ullo dubio jam ex saeculo sexto ut dies mortis (depositionis et natalis) SS. Patris celebrabatur. Levis momenti sunt objectiones, quas Pagius criticus profert, ut diem mortis S. Benedicti mira singularitate in VII. Cal. April. (26. Martii) anni 544 transferat (cf. annal. Baronii ad an. 544. critica n. IX.)

[1]) „aperiri sepulchrum jubet" codd. Pratelens. et Gemet. I. cum textu graeco (μνημεῖον).

„aperiri sepulturam jubet" codd. Casin. et Augustan. cum edit. Maur.

Antiquissima Ordinis fuit consuetudo, ut semper in ecclesia aut claustro unum haberetur sepulcrum apertum, quo memoria mortis fratribus jugiter imprimeretur.

nibus stetit et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit.[1]) Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito,[2]) revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata palliis atque innumeris corusca lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cella in coelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens,[3]) cujus esset via, quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Haec est via,

---

[1]) V. Gertrudis in visione quadam dixit ad apparentem ei SS. Patrem: Quid, Pater sancte, obtines dignitatis, quod tam glorioso fine ab hoc transisti saeculo? Respondit: Hoc, inquam, quod adhuc ex eo, quod ultimum spiritum inter verba orationis efflavi, tam suaviter spiro prae aliis sanctis, quod omnes in afflatu meo mirifice delectantur. Tunc orabat, ut propter gloriam pretiosae mortis suae dignaretur cuilibet de congregatione in hora mortis suae fideliter adesse. Cui venerabilis Pater respondit: Quicumque me admonere studuerit illius dignitatis, qua me Dominus meus tam glorioso fine dignatus est honorare ac beatificare, huic ego in hora mortis suae tali fidelitate volo adesse, quod certe opponam me illi ex omni parte, qua videro insidias inimicorum nocivius contra ipsum saevire, ut mea praesentia munitus laqueos inimicorum evadat securus ac coeli gaudia petat sine fine beatus.

SS. Pius PP. IX. omnibus monachis et monialibus Ord. S. Ben. indulgentias 300 dierum et fidelibus defunctis applicabiles semel in die lucrandas (14. Mai 1861) concessit, qui sequentem orationem devote et corde contrito recitaverint: »O beate Pater, gratia et nomine a Deo Benedicte, qui angelicum tuum spiritum erectis ad coelum manibus stans et orans in manus tui creatoris felicissime commendasti atque omnes, qui gloriosae mortis tuae et coelestium gaudiorum quotidie te admonituri essent, in suprema mortis luctatione contra omnes inimicorum insidias strenue te defensurum promisisti: custodi me quaeso, gloriose Pater, hodie et quotidie tua s. benedictione, ut a benedicto nostro Jesu atque a tua et omnium benedictorum societate nullo malo valeam separari. Per eundem Chr. D. N.“

[2]) scil. S. Mauro in Galliam profecto, uti asserit vitae ejus scriptor Faustus.

[3]) Angelum fuisse hunc virum asserit Aimoinus, nec improbabiliter, cum saepius in sacra scriptura angelo utpote virili specie apparenti nomen viri tribuatur.

qua dilectus Domini coelum Benedictus ascendit.[1]) Tunc itaque sancti viri obitum, sicut praesentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis praedictum fuerat, agnoverunt. Sepultus vero est in oratorio beati Joannis Baptistae,[2]) quod destructa ara Apollinis ipse construxit.[3])

---

[1]) Illustrem hanc viam nihil aliud esse, quam vitae formulam a Benedicto institutam cum SS. Bernardo et Petro Dam. omnes aiunt.

[2]) Silvester Maurolicus saeculo XVI. ex codice vetustissimo hoc publicavit epitaphium:

„Nursia me genuit, specus obtulit alta, Casini
Me rapuit vertex, aula beata tenet".

[3]) Sacrum ejus corpus integrum centum circiter annos in sepulcro Casinensi quiescebat, donec, uti probabilius traditur, magna sacri corporis pars sexcentesimo demum quinquagesimo tertio anno in Galliam transferretur et in monasterio Floriacensi deponeretur, altera corporis parte in monte Casinensi relicta. In hujus translationis memoriam antiquissimo ex tempore festum peculiare sub titulo „Solennis commemorationis SS. P. Benedicti" toto paene Ordine Benedictino celebratur. Nuperrime (a. 1879) Eminentissimus Cardinalis Bartolini commentando vitam S. Zachariae papae vetustissimam de Gallica translatione reliquiarum S. Benedicti traditionem denuo labefactare tentavit. Defuncti Patris Benedicti dignitas abbatialis Constantino monacho delata est. Fratres quidem Casinenses valde desideraverant et speraverant, fore ut aut Placidus, Benedicti dilectissimus, aut Maurus, fidelissimus discipulus, in S. Magistri locum succederet; ast votum hoc non est impletum. Placidus namque aliquot annis ante ad propagandum ordinem monasticum et coenobia construenda in Siciliam missus pauloque post martyrii corona decoratus est; Maurum vero S. P. Benedictus duobus mensibus ante exitum suum eundem in finem in Gallicam dioecesin Cenomanensem urgentissimis impulsus precibus ablegaverat. Faustus, comes peregrinantis Mauri, prolixius enarrat, quam blande Sanctissimus Pater fratres abeuntes tractaverit ac longiore consolatus sit sermone, quem his verbis clausit: „Nec vos ullo modo resolutio hujus nostri moestificet corpusculi, quoniam praesentior vobis carnis deposito onere ero vestrique Dei per gratiam cooperator existam assiduus." Quo dicto dabat eis osculum prosecutusque eos cum omni congregatione usque ad ostium monasterii; osculatus eos rursum ac data benedictione tradidit Mauro librum regulae, quem ipse manu sua sancta scripserat, proferrique jussit pondus librae panis et vasculum aëneum vini heminam capiens, et ita eos dimisit.

Cap. XXXVIII.

DE INSANA MULIERE PER EJUS SPECUM SANATA.

Qui et in eo specu, in quo prius Sublacus habitavit,[1]) nunc usque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat. Nuper namque[2]) est res gesta, quam narro, quia quaedam mulier[3]) mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes et valles, silvas et campos die noctuque vagabatur ibique tantummodo quiescebat, ubi hanc quiescere lassitudo coegisset. Quadam vero die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti Patris specum devenit, ibi nesciens ingressa mansit. Facto autem mane ita sanato sensu egressa est,[4]) ac si eam nunquam insania capitis ulla tenuisset,

---

[1]) „in quo prius, cui vocabulum est Sublacis, habitavit" cod. Gemetic. I.

„in quo prius Sublacu (sub lacu) habitavit" codd. Casin. et Augustan. cum versione Zachariae (*ἐν τῷ σπηλαίῳ τῷ ὑπὸ τὸν λάκκον, ἐν ᾧ τὸ πρὶν κατῴκησεν*).

„in quo prius Sublacus habitavit" codd. S. German., Carnot. I. ac Frising. cum edit. Maurin.

[2]) His demum verbis (nuper namque) plerique codices et editiones caput tricesimum octavum incipiunt.

[3]) „quam narro. Quaedam mulier etc." — edit. Haefteni cum translatione graeca (*πρᾶγμα γὰρ αὐτόθι ἀρτίως γέγονεν. Γυνή τις τῶν κατὰ φύσιν* etc. etc.)

„est res gesta, quam narro, quia quaedam mulier" etc. codd. Casin., Augustan., Frising. cum edit. Maur.

[4]) In pago quodam, qui Roiate dicitur (non longe distans a Sublacu), est capella, ubi sub altari ligneo ostenditur figura hominis cubantis rupi vivae impressa, quam P. Benedicti esse constans traditio cum totius ordinis, tum ipsius loci dicit. S. Benedicto, cum grassante per totam regionem pestilentia iter faceret, incolae ejusdem pagi timore nimio correpti hospitalitatem negaverunt, ut ipse foris in rupe pernoctare cogeretur. quae rupes ad instar lectuli mollis cedens figuram quiescentis accepit et retinuit. Dimensiones autem figurae hae sunt: longitudo 7 pedum, latitudo ad humeros 1,7 ped. ad genua 1,1 ped. profunditas circiter 0,8 ped. Haec figura ab antiquo tempore quotannis miraculo insignitur: a pervigilio enim diei festi sancti Patriarchae usque ad ipsum diem rupes illa liquorem quendam exsudat limpidissimum modo in solo capite, modo in superiore parte corporis tantum. modo toto corpore; quandoque etiam rupes

quae omni vitae suae tempore in eadem quam acceperat salute [1]) permansit.

Petrus. Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque patrociniis Martirum [2]) sic esse sentimus, ut non tanta per sua corpora, quanta beneficia per reliquias ostendant, [3]) atque illic majora signa faciant, ubi minime per semetipsos jacent?

Gregorius. Ubi in suis corporibus sancti martires jacent, dubium, Petre, non est, quod multa valeant signa monstrare, sicut et faciunt et pura mente quaerentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi praesentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi eos necesse est majora signa ostendere, ubi de eorum praesentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto magis habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exaudicione. Unde ipsa quoque Veritas, ut fidem discipulis augeret, [4]) dixit: Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. [5]) Cum enim constet, quia Paraclitus Spiritus ex Patre [6]) semper

---

die festo sicca manet, sed paullo post copioso liquore perfunditur. quod ab incolis habetur praesagium magnae calamitatis imminentis. Qui liquor in concavitatem pedis confluens „manna s. Benedicti" dicitur et in morbis praesertim oculorum felici successu frequenter adhibetur. Hujus rei mentionem faciunt Prudentius Sandoval. Auctor Lusitaniae Benedictinae, Petrus Antonius Tornamira Siculus. Antonius Yepez Zannucelli Canonicus, Theophilus Berengier Gallus. cf. Un miracle annuel de S. Benoit. Paris librairie Palmé 1869.

1) „sanitate" cod. Frising.

„salute" codd. Casin. et Augustan. cum. edit. Maur.

2) In scriptoribus mediae aetatis Sanctorum patrocinia saepe intelliguntur reliquiae.

3) Manifestum est, hic reliquias SS. Martyrum non intelligi eorum corpora vel ossa, sed alias res seu loca, quae contactu eorum sacrata sunt.

4) „ut fidem salutis augeret" cod. Carnot. I.

„ut fidem discipulis augeret" codd. Casinens. et Augustan. cum edit. Maur. et textu graeco (τοῖς μαθηταῖς).

5) Joann. 16. 7.

6) „a Patre" cod. Casin. cum edit. Maur. „ex patre" codd. S. German. et Augustan. cum versione graeca (ἐκ τοῦ πατρός).

procedit et Filio,[1]) cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes corporeis hunc semper oculis videre sitiebant, recte eis dicitur: Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet, ac si aperte diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor[2]) spiritus non ostendo; et nisi me desieritis corporaliter cernere, nunquam me discitis spiritaliter amare.

Petrus. Placet, quod dicis.

Gregorius. Aliquantum jam a locutione cessandum est, ut, si ad aliorum miracula narranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

---

[1]) Interpretationem graecam „καὶ ἐν τῷ υἱῷ διαμένει“ fraude graecorum schismaticorum corruptam esse, antiqua est Joannis Diaconi aliorumque orthodoxorum querela.

[2]) „Qui sit amor“ codd. Casin. et Augustan.

„quid sit amor“ nonnulli codices recentiores juxta translationem Zachariae (τί ἐστιν ὁ τοῦ πνεύματος πόθος).

„quis sit amor“ edit. Maur. et Haefteni.

Errata corrigenda.

Pag. V (Prolegomenorum) linea 7 a supra ante Simonem Milletium inserendum est nomen clarissimi Benedicti Haefteni, praepositi Affligeniensis.

Pag. 57 linea 3 a supra legi debet *propriis* pro »proprius«.

VITA

ET

REGULA SS. P. BENEDICTI

UNA CUM

EXPOSITIONE REGULAE.

II.

REGULA SANCTI PATRIS BENEDICTI IUXTA ANTIQUISSIMOS CODICES RECOGNITA.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

SANCTIS PARENTIBUS NOSTRIS

DIVO BENEDICTO

ET

BEATAE SCHOLASTICAE

AD ANNUM

A NATIVITATE SAECULAREM

XIV.

REGULA

SANCTI PATRIS BENEDICTI

IUXTA ANTIQUISSIMOS CODICES RECOGNITA

A

P. EDMUNDO SCHMIDT.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

PROLEGOMENA.

I.

Regulae sancti Patris Benedicti editiones vulgatae etsi universe inter se non differunt, in rebus tamen minoris momenti non omnino concordant, sed aliae alias exhibent lectiones; quaedam vocabula in aliis omittuntur, in aliis adduntur, ita ut ipsius textus significatio passim mutetur vel saltem varietur. Quod incommodum ut tolleretur, ad genuinum textum fuit recurrendum, si forte is aut ex autographo aut ex apographis authenticis haberi posset. Sed neque autographum neque apographum inde immediate derivatum adhuc exstat ullum.

Duo quidem quondam exstitisse autographa, eademque periisse constat. Hac de re audias eruditissimum P. Magnoaldum Ziegelbauer O. N. (Hist. rei litt. Ord. S. Bened. P. III. pag. 6 et seq.):

»Quantum ex historiarum monumentis eruere licet, videtur gloriosissimus Legislator noster Regulam suam pluries, minimumque bis in literas retulisse. Nam constat, eam ipsam, quam scripserat, S. Mauro in Gallias proficiscenti tradidisse Regulam, ut testatur viae vitaeque eius socius S. Faustus, qui ait: *Osculatis nobis, ac benedictione super nos tradita, dedit Ssmo discipulo Mauro librum Regulae, quem ipse Sanctus manu sua scripserat, proferrique iussit pondus librae panis et vasculum aeneum, vini heminam capiens, et ita nos sivit abire.* Hunc

vero Regulae autographum Codicem piissimi Autoris manu exaratum, quem S. Maurus in Gallias attulit, illum ipsum fuisse certum est, qui postmodum in Maiori Monasterio apud Turones asservatus fuit, ex destructo forte Glanofoliensi coenobio istuc allatus. Pro reliquiis certe haberi meruit, quem Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis, piis perlustravit oculis, ut Jacobus Breulius, Asceta S. Germani a Pratis, ex veteri codice refert. Utut est, periit exemplar illud Maioris Monasterii, uti et autographum Asceterii Casinensis. Praeter exemplar enim, quod S. Maurus in Gallias asportavit, alterum quoque S. Legislatoris manu exaratum in Italia mansisse, necessario fatendum est. Cum enim anno Christi 580 Longobardi Casinense Monasterium vastarent (uti iam olim S. Benedictus praeviderat) fugientes Monachi Romam petierunt, secum codicem Sanctae Regulae, quam praefatus P. Benedictus scripserat, et quaedam alia scripta, nec non pondus panis et mensuram vini deferentes, ut tradunt Leo Osticnsis et Aimoinus de Gestis Francorum. Post annos autem centum et amplius, instaurato a Petronace Casinensi Monasterio, eadem Regula a Zacharia Papa eodem relata est, ut praeter Leonem Ostiensem testatur Adrevaldus Floriacensis. Sed edisserat nobis ipse Pontifex hanc suam erga Benedictinos liberalitatem, qui in privilegio, quod Casinensi Chronico subnectitur, sic ait: *Haec autem eo die, quo sanctissimi Patris ecclesiam dedicavimus, parvitas nostra obtulit: libros scilicet Sanctae Scripturae, et librum Regulae, quam Piissimus Pater manu propria scripserat. Pondus etiam librae panis et mensuram vini, necnon diversa ad Ecclesiasticum ministerium, ornamenta, et possessiones Apostolica liberalitate concessimus.*

»Ex hoc vero exemplari suspicatur Haeftenus, Theodemarum, post Romanam e Laterano transmigrationem, septimum Casinensem Abbatem, curasse describendam Regulam illam, quam Carolo Magno in Franciam misit. Sic enim in eius Epistola, ad calcem Chronici Casinensis edita habetur: *Volumen vobis Regulae eius B. Patris* (Benedicti) *de ipso codice, quem ille*

*suis sanctis manibus exaravit, transcriptum direximus.**) At enim ubi tam pretiosus thesaurus deinde remansit? Sane, quod aliis rebus sanctissimis quoque evenit, in cineres et favillas, proh dolor! abiit, ut testis est Leo Cardinalis Ostiensis lib. I. Chron. Casin. cap. 51. *Septimo,* inquit, *huius Abbatis* (Ragemprandi) *anno, Monasterium Teanense occulto Dei iudicio cum omnibus operibus suis igne absumptum est; ibi etiam Regula, quam B. Benedictus manu sua conscripserat, et sacci, in quibus divino iussu coelitus eidem Patri Benedicto escae delatae sunt, et plura insuper coenobii istius monumenta incendio conflagrarunt.* At ne omnia voracibus periisse flammis putemus, subditur ibidem: *Quidquid a Fratribus de thesauro Ecclesiae potuit quomodolibet eripi, in Episcopio eiusdem civitatis repositum est.* Inter quae forte fuerit particula quaedam Regulae, quae etiamnum in Casinensi Sacrario inter reliquias asservatur. Scribit enim Milletius, se anno Domini 1605 in Sacristia Montis Casini vidisse ultimum caput Regulae S. Benedicti propria ipsius manu in cortice arboris descriptum. Erat autem argento pellucidoque cristallo inclusum, haec verba coelaturae insculpta gerens: *Haec est scriptura propriae manus S. Benedicti Abbatis.* At enim Mabillonio haec scriptura, qui eam, cum Casini esset, oculis accurate subiecit, haud quoquam tantae visa est antiquitatis. *Verisimilius,* inquit, *existimem, eam esse Regulae partem, quam Drogo Abbas Glanofoliensis, cum anno supra millesimum centesimo tertio Casinum adiisset, Casinatibus obtulit, cum reliquiis beati Mauri.«* Haec Ziegelbauer.

---

*) Epistola de qua hic agitur, non est Theodemari sed Pauli Diaconi qui eam illius nomine ad Carolum regem dedit. En verba epistolae: *Qua de re quia ad beati Patris Benedicti doctrinam et luculenta exempla aliquos monachorum regionis illius Vestrae Clementiae informari placuit, iuxta praeceptionem, en vobis regulam eiusdem beati Patris de ipso codice quam ille suis sanctis manibus exaravit, transscriptam direximus.* Conf. Pauli Diac. *ep. 1.* (Migne Patrol. lat. vol. 95. col. 1583;) et Petri Diac. *De viris illust. Casin.* annot. ad c. 8. (Migne vol. 173. col. 1017.)

II.

De authenticis vero apographis, nisi de duobus, certam non habemus notitiam. Unius mentionem facit Paulus Warnfridus Diaconus in sua epistola, cuius verba supra (pag. IX. in annot.) sunt citata. Alterum commemorat epistola Grimaldi et Tattonis (monachorum Augiae divitis?) ad Regimbertum qui magister scholarum in monasterio S. Galli fuisse videtur.

»Praestantissimo et ineffabili dilectione nominando Regimberto praeceptori Grimaltus, Tattoque supremi auditorum vestrorum discipuli sempiternae felicitatis salutem. Memoria dilectionis vestrae animis nostris sedulo inhaerens, immemores petitionum vestrarum promissionumque nostrarum non esse permittit. Et utinam tam proficienter, quam spontanee piam voluntatem vestram implere valuissemus. Ecce vobis Regulam beati Benedicti egregii Doctoris, quam benevolus animus vester summo semper optaverat desiderio, dreximus, sensibus et syllabis, necnon etiam litteris a supradicto Patre, ni fallimur, ordinatis minime carentem, quae de illo transcripta est exemplare, quod ex ipso exemplatum est codice, quem beatus Pater sacris manibus suis exarare ob multorum sanitatem animarum curavit. Illa ergo verba, quae supradictus Pater secundum artem (sicut nonnulli autumant) in contextum Regulae huius non inseruit, de aliis Regulis a modernis correctis Magistris colleximus, et in campo paginulae e regione cum duobus punctis inserere curavimus. Alia etiam quae a Benedicto dictata sunt, et in neotericis minime inventa, obelo et punctis duobus consignavimus. Hoc egimus desiderantes vos utrumque et secundum traditionem pii Patris etiam modernam habere. Eligite vobis, quod desiderabili placuerit animo. Valete in Domino.«

Id apographum quod attinet, P. Marquardus Herrgott putat, exemplar cuius hic mentio fit, ex illo apographo esse desumptum quod Theodemarus Carolo Magno miserat. Epistola scripta esse videtur non multo post annum 817. (conf. *Vetus disciplina monastica*, pag. 33.)

III.

Non supersunt igitur nobis nisi apographa quorum authentia hucusque certo demonstrari nequit. Nihilominus haec eadem minime carent omni fide atque auctoritate, quippe quae nec recepta nec tam studiose conservata essent, nisi patribus nostris constitisset ea ex authenticis exemplaribus fluxisse et aliquatenus esse probata.

Quapropter nihil omisimus, quin de apographis omnibus anno millesimo anterioribus, quorum notitia ad nos pervenit, collationes novas et exactas nobis procuraverimus tum per nos ipsos tum per amicos et fautores quibus maximam quam possumus gratiam habemus. Primum inter hos fautores obtinet locum cl. et Revmus D. Dr. Daniel Bonifacius de Haneberg, Episcopus Spirensis b. m. qui, dum abbatialem gerebat Monachii curam, huius operis prima iecerat fundamenta, et multis maximisque distentus studiis susceptum laborem nobis detulit. Non minus gratiae sunt agendae cl. viro Henrico Guilelmo Bliss Oxoniensi cuius officiosae caritati debemus exactissimam codicis Oxoniensis collationem, eruditissimo et adm. reverendo D. Jo.-B. Giuliari, Canonico cathedrali et Bibliothecârio Veronensi qui utriusque codicis Veronensis, et reverendo confratri nostro P. Gregorio Palmieri Monasterii s. Pauli extra muros qui tum utriusque Londinensis, tum Vaticani codicis collationem nobis procuravit. Etiam a cl. D. Keitz Bibliothecario, Fuldensi, et a carissimo confratre P. Coelestino Wolfsgruber Vindobonensi in opere conficiendo magnopere adiuti sumus.

In hac igitur nova editione s. Regulae praeparanda 15 codicibus usi sumus qui non solum propter antiquitatem magnam habent auctoritatem, sed etiam cum ex dissitis regionibus sint collecti, maiorem nobis afferunt spem fore, ut textus qui ex illorum comparatione prodierit, ad genuinum proprius accedat. — Singulos codices in annotationibus literis designavimus quas uncis inclusas hic addimus.

I. Codex Tegernseensis [A.] Bibl. reg. Monac. (clm. 19408.) saec. VIII. Paenultimum folium deest: supplementum (a *non superbiendo* cap. 68. usque ad *non permittimus pri-* cap. 71.) a recentiore manu additum est fortasse saec. XI. Ab eadem manu variae per totum volumen insertae videntur emendationes, quae modo textum cum praeceptis grammaticae conciliare, modo aliorum codicum lectiones intrudere conantur. Ex quibusdam mendis (velut *invitantes* pro *invitantis*, *munitionibus* pro *monitionibus*, *discipulus* pro *discipulos*, *adeatur* pro *habeatur*,) , videtur posse concludi, hunc codicem non descriptum esse sed calamo exceptum alio dictante. In fine textus s. Regulae haec leguntur: »Codex peccatoris Benedicti. Vae mihi misero habenti contrariam mihi rem qui reus sum in his omnibus, quia adversantur moribus meis malis. Tu vero bonorum lectorum dum his tuam videris vitam concordare praeceptis orans pro scriptore codicem redde domino suo.« *)

II. Codex Mondseensis [B.] Bibl. reg. caes. Vindobonensis (2232.) saec. X. Paucis in locis est emendatus a 1ª vel 2ª manu. Textu Regulae absoluto in altero folio legitur: »Regulam sancti Benedicti ad conservandam et complendam sponte non inviti promisimus quam hic bene conscriptam et exemplatam habetis per ipsam quam ipse conscripsit beatissimus Benedictus manibus suis.« Hic Codex simul cum praecedenti magna videtur esse auctoritate.

III. Codex Fuldensis [C.] Bibl. Fuld. (D. 3.) saec. IX. Duo vel tria ultima folia perierunt; terminatur his verbis cap. 69. — *a monachis praesumatur*. In fine huius codicis haec scripta erant: »Codex peccatoris Benedicti. Vae mihi misero habenti contrariam mihi rem, qui reus in his omnibus, quia adversantur moribus meis malis. Tu vero horum lector, si

---

*) Ista verba codicis scriptor non proprio marte addidisse videtur, sed ex eo exemplari quod prae manibus habebat desumpsisse. Conferas ea quae infra ad codicem Fuldensem habentur.

tuam videris vitam concordare praeceptis, ora pro scriptore. Codicem redde domino suo. Haec verba sancti Patris reperta sunt in fine regulae quam ipse manibus suis propriis scripsit, et s. Mauro, cum eum ad Gallias mitteret, tradidit. Quae dominus ac venerabilis abbas *(Ruthardus, ab a. 1075.)*, cum apud Maius-Monasterium Turonense in eadem regula quae ibi pro reliquiis servatur, invenisset, rogavit sibi apud Cluniacum transmitti, et in hac regula nostra pro amore ipsius sanctissimi Patris nostri iussit studiose describi.« Periit quidem hoc folium, sed in alio codice eiusdem bibliothecae (D. 28.) ex illo descripta conservata sunt. Qui codex id peculiare habet quod in indice multi tituli capitum ita sint aucti, ut summaria potius sint (ex. gr. cap. 47. »De significanda hora operis Dei ac de psalmis et antiphonis imponendis atque psallere vel legere iubente abbate;« cap. 48.« De opere manuum quotidiano et horis lectioni et quieti fratrum concessis;« cap. 49. »De quadragesimae observatione ac de augendis peculiaribus votis cum voluntate abbatis.«) Concordat hac in re cum indice Concordiae Regularum sancti Benedicti Anianensis. In ipsa Regula haec additamenta non habentur.

IV. Codex Parisiensis [D.] Bibl. nation. (4208.) saec. IX.

V. Codex Frisingensis [E.] Bibl. reg. Monac. (clm. 6255.) saec. X. Mire cum codice Tegernseensi concordat ex quo transscriptus esse videtur; vitia tamen grammaticalia expuncta sunt, ut fere in praecedenti, et in locis difficilioribus coniecturas exhibet quae pleraeque in edita irrepsere. Tam in indice quam in inscriptionibus capitum titulos exhibet prolixiores non secus ac Fuldensis.

VI. Codex Londinensis prior [F.] in Musaeo Britannico asservatus (Cotton Tiberius A III., 115.) saec. circiter X. Habet Saxonicam versionem, (conf. Ziegelbauer tom. III., pag. 9.) scatetque mendis.

VII. Codex Londinensis alter [G.] pariter ex Musaeo Britannico (Cotton Titus A IV., 107.) saec. XI.

VIII. Codex Veronensis prior [H.] Bibl. commun., saec. XI.

IX. Codex Bruxellensis [I.] Bibl. Ducum Burgundiae (8305.) saec. IX.

X. Codex Romanus [K.] Bibl. Vatic. (cod. lat. n. 5949.) saec. XI.

XI. Codex Einsidlensis [L.] (236.) saec. IX. Sicut Fuldensis habet in indice summaria capitum, et praeterea per totam Regulam interpretationem interlinearem recentiore manu additam; in ipso textu praecepta grammaticae magis quam alii servat.

XII. Codex Oxoniensis [O.] Bibl. Bodleianae saec. VII. vel saltem VIII. ineunte exaratus. Ultimum folium (67um) periit; finitur verbis *sanctorum patruum quarum observa-* cap. 73. — Saepius manu fere contemporanea et altera recentiore correctus est.

XIII. Codex Faucensis [P.] Bibl. Capituli cathedralis Augustani (olim in monasterio Faucensi) saec. X. certe anterior. Nonnulla folia desunt, unde textus non continet 1° cap. 35. a verbis: *Quo dicto tertio accipt-*, et capp. 36. 37. 38.; 2° cap. 57. concluditur verbis: *de rebus monasterii fecerint in-* et cap. 58. incipit a verbo: *-monasterii. Illa autem vestimenta* etc.

XIV. Codex Veronensis alter [Q.] Bibl. Capituli Cathedralis Veron. (LII. 50.) saec. X. certe anterior sicut praecedens. Ex eodem fonte fluxisse videtur ex quo Oxoniensis quocum saepissime concordat.

XV. Codex Sangallensis [R.] Bibl. Capituli (916.) saec. VIII. exaratus, maxime propter versionem allemanicam interlinearem Keroni monacho adscriptam celeber. (Usi sumus editione quam curavit cl. D. Hattemer.). Notatu digna sunt: 1° saepe locis dubiis scriptor lacunam vel rasuram reliquit, nec postea literas omissas vel erasas apposuit; (conf. pag. 35 ε), pag. 44 α), pag. 47 κ), pag. 50 κ), pag. 58 μ); 2° unus a catalogo capitum incipit, qui in ceteris prologum sequitur; 3° eam partem prologi quae in Oxon. Fauc. et Veron.

altero omnino deest (cf. pag. 3.) initio prològi praeponit; incipit igitur: »Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra«, et post verba: »ut regni eius mereamur esse consortes,« interpositis versibus notissimis: »Qui levi iugo Christi colla submittere cupis« etc. subsequitur: »Ausculta, o fili, praecepta magistri etc.«

IV.

Qui codices, etsi singuli ac scorsim spectati pares non sunt, ut plenam faciant fidem, omnes tamen in unum collecti, diligenter inter se collati, ad harmoniam, quantum fieri potest redacti, non apparet, cur non perfectam sibi vindicent auctoritatem.

Sane, si rationem habueris pietatis, qua veteres semper hunc s. Regulae librum prosecuti sunt, affirmantes ipso Spiritu sancto affiante eum esse compositum atque habentes velut vitae religiosae legem normamque exactam; si consideraveris, publicis regum atque imperatorum legibus hanc s. P. Benedicti Regulam observationi monachis omnibus mandatam esse; si prae oculis habueris, textum nostri libri saepissime in conciliis et synodis lectum et inculcatum esse; si in memoriam revocaveris, frequentissimum viguisse inter monasteria vel maxime dissita commercium, nominatim specialem communicationem semper servatam esse a recentioribus cum antiquioribus coenobiis, quae ceteris erant quasi parentes; si addideris, haud raro cum maxima sollicitudine a maioribus nostris itinera laboriosa ut exactam s. Regulae observantiam addiscerent, suscepta fuisse; si denique perpenderis scrupulositatem, qua antiquiores saltem codices vel ipsa menda et locos (signis et punctis carentes) intellectu difficiliores fidelissime atque uniformiter tradiderunt*): haud aegre fateberis codices omnes admodum corruptos et truncatos non

*) Advertas velim eos codices prae ceteris laborare mendis qui ad interlinearem versionem concipiendam conscripti sunt, Londinensem II. scilicet et Sangallensem.

esse, simulque nobiscum censebis vix fieri posse, ut ex accurata vetustiorum codicum ad invicem collatione atque critica locorum variantium examinatione textus non eruatur qui a primigenio haud multum differat.

V.

Quae integritas et congruentia universalis codicum non impedit, quominus in singulis errata et menda inveniantur. Difficultas tamen non modica oritur ex eo quod antiquiorum codicum complures*) multis in locis ita a ceteris dissentiunt et inter se conveniunt, ut inde duae codicum classes distinguendae sint, quarum constituitur una codicibus Oxoniensi, Veronensi II. Sangallensi; altera codicibus Tegernseensi, Mondseensi, Fuldensi, Faucensi.**) Duces utriusque classis sunt hinc quidem codex Oxoniensis, inde vero Tegernseensis. Eius discrepantiae quaenam sit vis ac ratio ex hac tabula quae aliquos locos maioris momenti exhibet, perspici potest.

I. Prol. (conf. pag. 2.)

Oxon. Lond. II. Ver. I. Ver. II. Sang.:	*Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:*
Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris et calceatis in praeparatione Evangelii pacis pedibus pergamus itinera eius etc.	Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris per ducatum Evangelii pergamus itinera eius etc.

*) Omittimus recentiores codices in quibus utriusque classis lectiones plerumque confunduntur.

**) De Fuldensi et Faucensi notandum est, eos paucis quibusdam in locis cum Oxoniensi concordare, etsi alteri classi fere semper adstipulentur.

II. Prol. (conf. pag. 3. seq.)

Oxon. Fauc. Veron. II. Sangall.:

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum; sed si compleamus habitatoris officium, erimus heredes regni coelorum.

Incipiunt capitula regulae.

Teg. Mon. Fuld.:

Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum; sed si compleamus habitatoris officium!

Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra .... ut regni eius mereamur esse consortes.

Incipiunt capitula regulae.

III. Cap. IV. (conf. pag. 14.)

Oxon. Lond. I. et II. Veron. I. et II. Sang.:

Zelum et invidiam non habere.

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliq.:

Zelum non habere, invidiam non exercere.

IV. Cap. VI. (conf. pag. 16.)

Oxon. Veron. II. Sang.:

Et ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum summa reverentia, ne videatur plus loqui quam expedit. Scurrilitates vero etc.

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliq.:

Et ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subiectione reverentiae requirantur. Scurrilitates vero etc.

V. Cap. IX. (conf. pag. 23.)

Oxon. Veron. II. Sang.:

Legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et tria responsoria; post

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliq.:

Legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et

tertiam vero lectionem qui cantat dicat »Gloriam«.

tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine »Gloria« dicantur. Post tertiam vero lectionem qui cantat dicat »Gloriam«.

VI. Cap. XIX. (conf. pag. 32.)

Oxon. Veron. I. et II. Brux. Einsid. Sangall.:

Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini speculari bonos et malos.

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:

Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos.

VII. Cap. XXIII. (conf. pag. 33.)

Oxon. Veron. II. Sangall.:

Si quis frater contumax aut inobediens aut superbus aut murmurans aut in aliquo contrario consistens sanctae regulae ....

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:

Si quis frater contumax aut inobediens aut murmurans vel in aliquo contrarius existens sanctae regulae ..

VIII. Cap. XXVII. (conf. pag. 35.)

Oxon. Fris. Lond. I. et II. Veron. I. et II. Vat. Sangall.:

Uti debet omni modo ut sapiens medicus: immittere quasi occultos consolatores sympaectas, id est seniores sapientes fratres qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem ...

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:

Uti debet omni modo ut sapiens medicus: immittere sympaectas, id est seniores sapientes fratres qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem ....

IX. Cap. XXIX. (conf. pag. 37.)

Oxon. Veron. I. et II. Sang. et reliqui:

Frater qui proprio vitio egreditur aut proiicitur de monasterio, si reverti voluerit . . .

Teg. Mon. Fuld. Fauc.:

Frater qui proprio vitio egreditur de monasterio, si reverti voluerit . . . .

X. Cap. XLII. (conf. pag. 45.)

Oxon. Brux. Veron. II. Sang.:

Heptaticum aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire, aliis horis legantur.

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:

Non autem Heptaticum aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire; aliis vero horis legantur.

XI. Cap. XLIII. (conf. pag. 47.)

Oxon. Fuld. Veron. II. Sangall.:

. . . nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua. Et simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes accedant ad mensam . . .

Teg. Mon. Fauc. et reliqui:

. . . nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen, ut satisfaciat reus et hoc. Ad mensam autem qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes accedant ad mensam . . .

XII. Cap. XLVI. (conf. pag. 49.)

Oxon. Veron. II. Sangall.:

Dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat

Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:

Dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat

emendationi animae venia. Peccati causa si fuerit latens, tantum abbati aut spiritalibus senioribus patefaciant . . .	emendationi. Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritalibus senioribus patefaciat . . .

XIII. Cap. XLVIII. (conf. pag. 51.)

Oxon. Veron. II. Sangall.:	*Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:*
. . . et sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quaelibet summa cum festinatione curratur.*) Post refectionem autem vacent omnes lectionibus . . .	. . . et sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent omnes lectionibus . . .

XIV. Cap. LIX. (conf. pag. 61.)

Oxon. Fris. Veron. II. Sangall.:	*Teg. Mon. Fuld. Fauc. et reliqui:*
. . . quia numquam per se, numquam per subiectam personam . . . ei aliquando aliquid dant aut tribuunt occasionem habendi . . . atque ita omnia observantur, ut nulla suspicio remaneat puero.	. . . quia numquam per se, numquam per suffectam personam . . . ei aliquando aliquid dant aut tribuunt occasionem habendi . . . atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero.

XV. Cap. LXIII. (conf. pag. 65.)

Oxon. Veron. II. Sangall.:	*Teg. Mon. Fris. Lond. I. et II. Brux. Vatic.:* **)
Abbas autem, quia vices	Abbas autem, quia vices

*) Conf. cap. XLIII. pag. 46.

**) *Fuld. Paris. Veron. I. Einsid. Fauc. cum Concordia s. Benedicti Anianensis habent:* . . . quia vices Christi agere videtur.

Christi agit, dominus et abbas vocetur.	Christi creditur agere, dominus et abbas vocetur.

XVI. *Cap. LXV. (conf. pag. 68.)*

Oxon. Fuld. Paris. Lond. I. et II. Veron. I. et II. Einsid. Sangall.:	*Teg. Mon. Fris. Brux. Vatic. Fauc.:*
. . . ci suggeritur . . . exutum eum esse a potestate abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus a quibus et abbas.	. . . ci suggeritur . . . exutum eum esse a potestate abbatis sui: quia ab ipsis es et tu ordinatus a quibus et abbas.

Has differentias si quis diligentius inspexerit, deprehendet:

1⁰ duas revera codicum classes distingui posse, quarum antesignani Oxoniensis et Tegernseensis dici queant;

2⁰ recentiores codices in delectu lectionum variare, modo priori modo alteri classi concordantes;

3⁰ differentias sic se habere, ut saltem maior pars omissionum et mutationum et additionum quas continet classis Tegernseensis, tamquam emendatio accuratiorque redactio prae lectionibus Oxoniensis censeri possit;

4⁰ prologi praesertim partem extremam quam exhibet classis Tegernseensis, longe discrepare a fine prologi Oxoniensis. Quem locum, cum maximi sit momenti, integrum hic apponimus.

Forma Oxoniensis.	*Forma Tegernseensis.*
Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum; sed si compleamus habitatoris of-	Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum; sed si compleamus habitatoris officium!

ficium, erimus heredes regni coelorum.

Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae militanda. Et quod minus habet in nos natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiae suae iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehennae poenas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et haec omnia per hanc lucis vitam vacat implere — currendum et agendum est modo quod in perpetuum nobis expediat.

Constituenda est ergo a nobis dominici schola servitii. In qua institutione nihil asperum, nihil grave nos constituturos speramus; (sed et si quid paululum restrictius dictante aequitatis ratione propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda, processu vero conversationis et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei;) ut ab ipsius numquam magisterio discedentes in eius doctrina usque ad mortem in

monasterio perseverantes passionibus Christi per patientiam participemur, ut regni eius mereamur esse consortes.

5⁰ Patet difficultatem huius loci iam ab antiquis agnitam esse, cum codex Sangallensis ex classe Oxoniensi partem extremam Tegernseensis initio prologi praeposuerit, et Faucensis qui alias Tegernseensem sequitur, eam omiserit, ceteri vero codices, Parisiensis, Frisingensis, uterque Londinensis, Veronensis I., Bruxellensis, Vaticanus, Einsidlensis utriusque classis lectionem coniunxerint.

6⁰ Praeterea animadvertas, omnes praedictas differentias iam viguisse tempore quo ipsa autographa adhuc exstantia et usu trita ac publice nota facultatem praebebant obviam diiudicandi, quaenam earum lectionum genuinae essent;

7⁰ diligentiam, reverentiam, fidelitatem in describendo Regulae textu revera fuisse maximam, imo dixerim scrupulosam, ut ex collatione codicum et ex commentariis potius sensum verborum torquentibus quam vel syllabam mutantibus constat.

VI.

Itaque omnibus hisce ante oculos habitis, inquisitionem aggrediamur oportet, ex quonam fonte tamquam ex ultima causa discrepantia codicum allata explicanda sit.

Ad hanc quaestionem solvendam facillime posse videtur responderi: Differentiae praedictae originem debent unius vel alterius apographorum corruptioni, aut consilio aut fortuito factae.

Cum venia lectoris haec cogitantis sit dictum, nos talem hypothesin maxime quidem obviam, sed neque sufficientem neque veram esse arbitramur.

Sane consideretur utrumque disiunctionis modo allatae membrum, et prius quidem, quo supponitur

Corruptio consulto facta.

At 1° nullum imprimis motivum nec ulla ratio apparet quae ad immutationem induxerit; imo

2° omnia quae supra de pio s. Regulae cultu atque usu universali dicta sunt, ne talis depravatio cogitetur, dissuadent; insuper

3° utra classis sit genuina, qua norma id diiudicandum est? Ex codicibus profecto ipsis ea norma erui nequit; nam utriusque generis lectiones iam saec. VIII. et IX. genuinae habebantur,*) et de genuinitate earum fides insequentium temporum eadem fuit. In textu enim nunc vulgato inveniuntur etiam ea omnia quae codex Oxoniensis exclusive solus tradit (excipitur tantum unus locus cap. 48. qui etiam cap. 43. occurrit). Deinde

---

*) Conf. annotationes in s. Reg.; magis illustratur hisce:

a) Cap. 35. Oxon. et Fuld. habent: . . . . »quia exinde maior merces acquiritur;«
Teg. et Veron. II. qui alias Oxon. sequitur, et reliqui:
». . . quia exinde maior merces et caritas acquiritur;«
Sang.: » . . . quia exinde maior merces acquiritur et caritas.«

b) Locus c. 48. »Mox ut auditum fuerit signum . . . . curratur« (conf. supra XIII.)
exstat in Oxon., sed lineolis deletus est,
abest in Tegern., sed legitur in marg. prima vel contemporanea manu additus;
in codd. Mons. et Einsidl. rec. man. add. est.

c) Cap. 49. legitur in cod. Oxon.: »quod sine patris spiritalis fit voluntate«,
in cod. Teg.: »quod sine permissione patris spiritalis fit«,
in cod. Fauc. utraque lectio coniungitur: »quod sine permissione patris spiritalis fit voluntate«; postea »voluntate« erasum est.

4° modus explicandi discrepantiam ope corruptionis voluntariae aptus quidem est ad auferendas nonnullas fortasse difficultates, certe omnibus differentiis enodandis non sufficit;*) nominatim vero

5° idoneus non est, ut quaestionem de prologi discrepantia solvat. — Quod ad eam varietatem prologi attinet, nisi duo casus, cogitari non possunt: aut brevior forma aut amplior censetur esse genuina:

si brevior, lectio longior haberi debet additio mere spuria, id quod omnino repugnat. Eam enim tradunt probantque commentatores s. Regulae universi, et codices quibus in Gallia, autographo adhuc exstante, utebantur, ad unum omnes;**)

si longior putatur genuina, lectio brevior exorta est ex omissione voluntaria, quod vel specie probabilitatis caret. Nam menti eam hypothesim quantumvis revolventi ne ulla quidem occurret ratio, quae ad talem omissionem consilio factam impulerit.

Inde liquet, corruptionem de industria factam supponendam non esse. Consideremus igitur posterius quo supponitur

Corruptio casualis ac fortuita.

Hypothesim hanc conditione paulo meliore uti quam priorem, haud diffitemur. Attamen ne in ea ipsa acquiescamus, haec momenta dissuadent:

1° aut iterum censetur corrupta fortuito classis Tegernseensis, aut cogitatur sic depravata classis Oxoniensis. Si prius valet (corrupt. Teg.), quomodo explicatur, mutationem fortuitam fere semper adeo felicem evasisse, ut pluri-

---

*) Conf. e. g. ex tabula praemissa I, IV, X, XII, XV, XVI.

**) Conf. Martenii Commentarium pag. 3 ubi solus Oxoniensis citatur pro forma breviore.

morum locorum corruptio tamquam vera emendatio appareat? Emendatio scilicet constans consilium indicat: consilium vero casui opponitur.

Si posterius locum habet (corrupt. Oxon.), quomodo explicatur, mutationes omnes semper sensum subiicere bonum cumque integrum?

2° Praeterea in hypothesi fortuitae corruptionis, quomodo solvitur quaestio summi momenti de lege constantiae et regularitatis qua omnes differentiae de quibus agimus, aperte diriguntur? Et undenam explicabitur, quod praecise duae tantum classes et exiguntur et sufficiunt ad quas hae discrepantiae ut ad suos fontes referantur?

3° Quomodo denique, ut iterum ad particularem quendam locum descendamus, res prologi saepius iam tractata enodatur? Sane fortuito corrupta esse non potest supponi nisi forma brevior codicis Oxoniensis. Textum enim longiorem Tegernseensem omnino genuinum esse supra satis probatum est.

Jamvero, dato, non concesso, truncationi cuidam fortuitae deberi formam breviorem Oxoniensem, quaeritur, undenam et quomodo truncatio illa sit exorta. Dices: Excidit folium. At haec solutio suis difficultatibus premitur caretque probabilitate.

Si enim a) computatio fit spatii ad formam longiorem scribendam necessarii, quae omissa sunt, integrum folium non occupant, qualiscumque literarum character vel quantitas membranae supponitur, sed unam paginam nonnihil excedunt; quapropter ex praecedenti textu aliquid aut ex sequenti simul excidere oportebat; sed neutrius vel minimum vestigium apparet.

Si qua tamen b) suppleta essent, ea ex codice alterius classis tantum sumpta fuissent, cum in his supplendis ambae classes omnino concordent. Quare

nulla c) proferri potest ratio, cur, si alia supplebant amanuenses ex codice integro, conclusioni prologi, quae certe non

minoris quam illa momenti est, inventum suum hoc substituerint: »Erimus heredes regni coelorum«, — quippe quae verba spuria supponenda essent. Et multo minus

liquet d) cur posteriores codices omnes illa verba velut genuina sibi adsciverint.

Forma igitur prologi brevior fortuito truncata censeri non potest.

4⁰ Denique praetereundum non est, hypothesi corruptionis fortuitae supponi, omnes codices classis Oxoniensis ex uno eodemque fonte derivari. Secus enim quomodo explicabitur accurata rerum etiam minutarum concordia atque uniformitas quam codices terrarum dissitarum (Angliae, Germaniae*, Helvetiae, Italiae) prae se ferunt? Omnis enim corruptio eaque fortuita (quae supponitur) est error simulque casus. In errore autem et casu concordia atque uniformitas haud invenitur. — Supponendus est ergo unus idemque codex qui fons fuerit communis omnium seriei Oxoniensis exemplarium.

Codicem autem qui, duobus adhuc exstantibus autographis, tantam habebat auctoritatem ut eius lectiones iam tum et a tota posteritate genuinae sint habitae, quis dixerit adulteratum esse sive consulto sive fortuito?

VII.

Hinc omnibus consideratis arbitramur:

1⁰ utraque classe continetur textus non corruptus sed genuinus;

2⁰ discrepantiae vero hinc inde occurrentes explicandae sunt ex duobus exemplaribus manu quidem sancti Legislatoris sed non uno eodemque tempore exaratis;

*) Adstipulatur huic seriei praeterea fragmentum Ratisbonense quo nondum usi sumus.

3° sanctus Patriarcha post varias vitae vicissitudines, moriturus iam suisque valedicens, abeunti in Galliam dilectissimo discipulo, beato Mauro tradidit quam primitus constituerat Regulae formam sollertissime revisam atque recensitam.

Haec ergo opinio quae duo statuit autographa, ut paucis omnia complectamur, eo commendatur quod

1° difficultatibus praemissis non premitur; quod

2° dubitationibus omnibus optime satisfacit; quod

3° insoliti nihil habet, s. P. Benedictum discipulo suo in Galliam proficiscenti textum Regulae occasione revisionis accuratiorem curasse, cum fere semper contingat, ut editio quaepiam altera simul sit aucta atque perfectior; quod denique

4° indoli atque ingenio sancti Auctoris conforme omnino erat, ut sicut in omnibus rebus perfectioni studebat, item vel in ipsis verbis conceptis suae Regulae, ubi occasio postulavit, politiorem hinc inde stilum affectaret.

VIII.

Restat, ut pauca de hac editione addamus. Ut sententia nostra exigit, secuti sumus textum Tegernseensem, simulque conati, eum ope ceterorum codicum corrigere. Lectiones vero alterius classis proprias plerumque in annotationibus hoc signo [D.] distinximus. — Si cui fortasse delectus lectionum a nobis exhibitus non arriserit, omnes alias variationes aliqua veri specie gaudentes in annotationibus congessimus, ex quibus ipse, si placet, meliorem sibi eligat.

Licet non desint rationes quae plures suaserint mutationes in textu, maxime in iis capitibus in quibus de opere Dei ordinando agitur, tamen a corrigendo abstinuimus memores semper

intentionis nostrae, id omne et solum esse typis edendum quod codices de facto exhibent. Ab hoc vero proposito aliquantulum recessimus, casum primum ubi res postulabat, restituentes in capitibus de divino officio, et cap. 55. ubi res necessariae et singulis dandae, et cap. 66. ubi varia loca monasterii enumerantur. Haec enim vocabula procul dubio a sancto Auctore brevibus tantum notis erant scripta, quae ab insciis amanuensibus alio ac Sanctus Benedictus intenderat casu transcripta sunt.

SIGNA ABBREVIATIONUM.

A.	Codex	Tegernseensis.
B.	„	Monseensis.
C.	„	Fuldensis.
D.	„	Parisiensis.
E.	„	Frisingensis.
F.	„	Londinensis I.
G.	„	Londinensis II.
H.	„	Veronensis I.
I.	„	Bruxellensis.
K.	„	Vaticanus.
L.	„	Einsidlensis.
O.	„	Oxoniensis
P.	„	Faucensis.
Q.	„	Veronensis II.
R.	„	Sangallensis.

1ª (2ª) m. = prima (secunda) manus.
om. = omittit (omittunt, omisso, omissis).
add. = addit (addunt).
sic corr. = sic correctus (correcti) recentiore manu.
sup. ras. = supra rasuram legitur.
s. l. = supra lineam.
[D.] = Differentia duarum classium codicum.

ERRATA CORRIGE:

pag. 29. lin. 3. ab infra lege: *praemissa sunt;*
„ 34. „ 1. lege: obiurgetur.

REGULA
SANCTI PATRIS BENEDICTI.

Ausculta[α], o fili, praecepta magistri et inclina aurem cordis tui et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo nunc mihi[β] sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero regi militaturus obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis[γ], inprimis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.

Ut qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debet[δ] aliquando de malis actibus nostris contristari, ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum iratus[ε] pater suos[ζ] non aliquando filios exheredet, sed nec ut metuendus dominus irritatus a[η] malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam qui eum sequi noluerint ad gloriam.

Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos Scriptura ac dicente: »Hora est iam nos de somno surgere«; et apertis oculis nostris ad deificum lumen attonitis auribus

α) *B* obsculta. β) *CDEFGHIKLP* meus. γ) *ABEK* sumis. δ) *EFGHKOP* debeat *(ADL sic corr.)*. ε) *FGQ* ut iratus. ζ) *I* suos aliquando; *AC* suos (*s. l.* non) aliquando; *P* suos *(ras.)* aliquando. η) *CDHIKLPQ om.* a.

audiamus, divina quotidie clamans quid nos admonet[α] vox dicens: »Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,« et iterum: »Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis.« — Et quid dicit? »Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos; currite, dum lumen vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant.«

Et quaerens Dominus in multitudine populi cui haec clamat operarium suum iterum dicit: »Quis est homo qui vult vitam et cupit videre dies bonos?« Quod si tu audiens respondeas: Ego, dicit tibi Deus: »Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum; deverte a malo et fac bonum; inquire pacem et sequere eam. Et cum haec feceritis, oculi mei super vos, et aures meae ad preces vestras, et antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum.« — Quid dulcius nobis ab hac voce Domini invitantis nos, fratres carrissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae. Succinctis[β] ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris per ducatum Evangelii[γ] pergamus itinera eius, ut mereamur eum qui nos vocavit in regnum suum[δ] videre. In cujus regni tabernaculo[ε] si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur[ζ], minime pervenitur.

Sed interrogemus cum propheta Dominum dicentes ei: »Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescit in monte sancto tuo?« Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi dicens[η]: »Qui ingreditur sine ma-

---

α) *BDFGHIKLOQ* admoneat *(A sic corr.)*. β) *Q* succingentes ... lumbos nostros. γ) *GHOQR* (*om.* per ducatum Evangelii) et calceatis in praeparatione (-m *HQ*) Evangelii pacis pedibus pergamus. [D.] δ) *DEFGHILOPQR* in regno suo. [D?] ε) *O* tabernaculis. ζ) *CGHOPQR* curratur; [D?] *DIKL* currendo *(in P eras.)*. η) *CDEFGHIK (P 1a m.)* dicentem.

cula et operatur iustitiam; qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua; qui non fecit proximo suo malum; qui opprobrium non accepit adversus proximum suum; qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum et parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum; qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes[α] operantem in se Dominum magnificant illud[β] cum propheta dicentes: »Non nobis, Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam;« sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit dicens: »Gratia Dei sum id quod sum;« et iterum ipse dicit: »Qui gloriatur in Domino glorietur.« Unde et Dominus in Evangelio ait: »Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro sapienti qui aedificavit domum suam super petram; venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam, et non cecidit, quia fundata erat super petram.«

Haec complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitae dies ad inducias relaxantur dicente Apostolo: »An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?« Nam pius Dominus dicit: »Nolo mortem peccatoris, sed[γ] convertatur et vivat.« Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum; sed si compleamus habitatoris officium![δ]

α) *QR* existimant; *K* existimantes et; *O* existimant (-es *in marg.*) operante in se Domino magnificant illum. [D?] β) *CE* illum. γ) *DEFGHIKOPQR add* ut (*in L* ut *in marg*). δ) *FGHIKLOPQR add.* erimus heredes regni coelorum. [D.] *OPQR hic desinunt prologum; quae in aliis codd sequuntur, in R ante prologum leguntur.*

Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae militanda.[α] Et quod minus habet in nos[β] natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiae suae iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehennae poenas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et haec omnia per hanc lucis vitam vacat implere — currendum et agendum est modo quod in perpetuum nobis expediat.

Constituenda est ergo a nobis dominici schola servitii. In qua institutione nihil asperum, nihil[γ] grave nos constituturos speramus; (sed et si quid paululum restrictius dictante aequitatis ratione propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda, processu vero conversationis et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei;) ut ab ipsius numquam magisterio[δ] discedentes in eius doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes passionibus Christi per patientiam participemur, ut[ε] regni[ζ] eius mereamur esse consortes.[η]

INCIPIUNT CAPITULA REGULAE.

α) *CDGHIKL* militatura. β) *CDFGKL* in nobis. γ) *DFHIK* nihilque. δ) *A* monasterio. ε) *AEL* ut et. ζ) *E* regno. η) *GR add.* amen. ϑ) *IR om.* discipulorum etc.; *CD om.* qualis sit.

α) *CHOQ* sint. β) *O* natale; *CDEFGILP* qualiter in sanctorum natalitiis etc. γ) *AFHLR* ipsi psalmi. δ) *EO* decani monasterii quales etc.; *CPQ add.* et de praeposito. ε) *CDHLP om.* quales debeant esse. ζ) *CD* culpatorum. η) *FGP* sine iussione abbatis. θ) *F* iungunt se. ι) *A* excommunicatos; *E* excommunicato. κ) *A* saepe. λ) *A* nolunt; *O* noluerunt; *CDEFHIP* non emendaverint. μ) *CDFGPR* de cellarario monasterii; *CDF add.* qualis sit.

XXXII. De ferramentis vel rebus monasterii.
XXXIII. Si quid debeant monachi proprium habere.
XXXIV. Si omnes aequaliter debeant necessaria accipere.
XXXV. De septimanariis coquinae.
XXXVI. De infirmis fratribus.
XXXVII. De senibus vel infantibus.
XXXVIII. De hebdomadario lectore.
XXXIX. De mensura cibus.
XL. De mensura potus.
XLI. Quibus horis oportet reficere fratres.
XLII. Ut post completorium[α] nemo loquatur.
XLIII. De his qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt.
XLIV. De his qui excommunicantur quomodo satisfaciant.
XLV. De his qui falluntur in oratorio.
XLVI. De his qui in aliis quibuslibet rebus[β] delinquunt.
XLVII. De significanda hora operis Dei.
XLVIII. De opera manuum quotidiana.[γ]
XLIX. De quadragesimae observatione.
L. De fratribus qui longe ab oratorio laborant.[δ]
LI. De fratribus qui non longe satis proficiscuntur.
LII. De oratorio monasterii.
LIII. De hospitibus suscipiendis.
LIV. Ut non debeat monachus litteras vel eulogias suscipere.
LV. De vestiariis vel calceariis[ε] fratrum.[ζ]
LVI. De mensa abbatis.
LVII. De artificibus monasterii.

α) *A'* completorio; *CDEFGH* completorios. β) *CDER* in aliquibus levibus rebus (*C* causis); *IP* in aliquibuslibet rebus (*P* causis); *A* in aliquibus rebus delinquent; *G* in levibus rebus; *H* in quibuslibet; *Q* in aliquibus. γ) *CIOPQ* de opere manuum quotidiano. δ) *BDOQR* operantur. [D.]. ε) *CDEP* de vestiario et calceario. ζ) *A om.* fratrum.

Explíciunt capitula.[ο]

I. DE GENERIBUS MONACHORUM.

Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum coenobitarum, hoc est monasteriale militans sub regula

α) *CEGP* de disciplina. β) *E add.* novitiorum. γ) *DGP add.* qui offeruntur; *CE add.* qui offeruntur in monasterio. δ) *A* volunt. ε) *CDEFGHLP add.* qualiter suscipiantur. ζ) *AD* De proposito; *CDEFGHIKLPQ add.* monasterii. η) *BCEP* in viam. ϑ) *EP* iniungantur; *CDHIR* iniunguntur; *G* de fratre cui impossibilia iniunguntur. ι) *AEFGHP* alterum. κ) *AGOQR om.* passim. [D.] λ) *AIR add.* aut excommunicare. μ) *CDEFGHLPQ* quem. ν) *CDEFGP* de eo quod .... iustitiae observatio. ξ) *R* iustitiae observatio. ο) *BEPQ add.* Incipit textus (*EP* regulae, *Q* eiusdem); *FIK* Incipit regula Benedicti abbatis.

vel abbate. Deinde secundum genus est anachoritarum, id est eremitarum horum qui non conversationis[α] fervore novitio sed monasterii probatione diuturna, qui[β] didicerunt[γ] contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare et bene exstructi,[δ] fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi securi iam sine consolatione alterius sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum Deo auxiliante sufficiunt pugnare.

Tertium vero monachorum teterrimum[ε] genus est sarabaitarum qui nulla regula approbati, experientia magistra[ζ], sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc operibus servantes[η] saeculo fidem[θ] mentiri Deo per tonsuram noscuntur; qui bini aut terni aut certe singuli sine pastore non dominicis sed suis inclusi ovilibus — pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus est monachorum quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua[ι] per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur semper vagi et numquam stabiles et propriis voluntatibus[κ] et gulae illecebris servientes et per omnia deteriores sarabaitis; de quorum omnium horum[λ] miserrima conversatione melius est silere quam loqui.

His ergo omissis ad coenobitarum fortissimum genus disponendum adiuvante Domino veniamus.

II. QUALIS DEBEAT[μ] ESSE ABBAS.[ν]

Abbas qui praeesse dignus est monasterio, semper meminere debet quod dicitur, et nomen majoris factis

α) *CDFGIL* conversionis. β) *COPQ om.* qui [D?] γ) *O* didicerint. δ) *CDEFGHIKLPQR* instructi. ε) *DR* deterrimum. ζ) *FGIR* magistri. η) *EQR* servientes *(P sic corr.)*. θ) *R* fide *(in P* -m *eras.)*. ι) *IKLOPQR* totam vitam suam. [D.] κ) *DFGHIK (L 1a m.)* voluptatibus. λ) *DFHQ om.* horum *(in GO eras. in L 2a m. add.)*. μ) *C* debet. ν) *BCDI* abbas esse.

implere. Christi enim agere vices[α] in monasterio[β] creditur,[γ] quando ipsius vocatur pronomine[δ] dicente apostolo: »Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: abba, pater.«

Ideoque abbas nihil extra praeceptum Domini, quod absit,[ε] debet[ζ] aut docere aut constituere vel iubere; sed iussio eius vel doctrina fermentum[η] divinae iustitiae in discipulorum mentibus conspergatur, memor[θ] semper abbas, quia doctrinae suae vel discipulorum obedientiae — utrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciatque abbas culpae pastoris incumbere quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. Tantumdem[ι] iterum erit, ut, si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor eorum[κ] in iudicio Domini absolutus dicat cum propheta Domino: »Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi; ipsi autem contemnentes spreverunt me«, et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis (id est omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat,) et[λ] capacibus discipulis mandata Domini verbis proponere, duris corde vero[μ] et simplicioribus factis suis divina praecepta monstrare. Omnia vero quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans ipse reprobus

---

α) *A* vices in monasterio agere. β) *CP* in monasterio vices agere. γ) *CEGIP*° creditur in monasterio. • δ) *BDGHIKLQ* praenomine; *F* nomine. ε) *AB* quod sit. ζ) *LOQ* debeat. η) *OQ* fermento. θ) *FHKQR* *(GP 2ª m) add.* sit. ι) *OQR* tantum *(in P* -dem *eras.)*. [D.] *In OP sup. lin.* liber *insertum est, quod in DFIK in textu legitur, in E eius loco* securus. κ) *EFQR* earum. λ) *BO* ut; *DEFGHIKL* ut . . . . proponat . . . monstret. μ) *FHOPQ* duris vero corde.

inveniatur, ne quando illi dicat Deus peccanti: »Quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos post te;« et: »Qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti.«

Non ab eo persona in monasterio discernatur. Non unus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem; non convertenti ex servitio praeponatur ingenuus,[α] nisi alia rationabilis causa exsistat; (quod si ita iustitia dictante abbati visum fuerit, et de cuiuslibet ordine id faciet[β]; sin alias, propria teneant loca;) quia sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus et sub uno Domino aequalem servitutis militiam baiulamus, quia non est apud Deum[γ] personarum acceptio; solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab[δ] aliis in operibus bonis et humiles[ε] inveniamur. Ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas, una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina.[ζ]

In doctrina sua namque abbas apostolicam debet illam semper formam servare in qua dicit: »Argue, obsecra, increpa«: id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum; id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites et patientes ut in melius proficiant, obsecrare; negligentes et contemnentes ut increpet[η] et corripiat admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut coeperint oriri, radicitus ea ut praevalet amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos prima vel secunda

---

α) *DEHILOQR* non praeponatur ingenuus ex servitio convertenti. [D.] β) *DFGHIQ (COP 2a m.)* faciat. γ) *OP* apud Dominum. δ) *CDFHIQ om.* ab. ε) *AC* humiliores. ζ) *OQR (B?)* disciplinae. η) *AB* ut increpat.

admonitione verbis corripiat, improbos autem et duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione[α] in ipso initio peccati coerceat sciens scriptum: »Stultus verbis non corrigitur,« et iterum: »Percute filium tuum virga, et liberabis animam eius a morte.«

Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur,[β] et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quam difficilem et arduam rem suscipit,[γ] regere animas et multorum servire moribus, et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus; et secundum uniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum[δ] in augmentatione boni gregis gaudeat.

Ante omnia ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum plus[ε] gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit[ζ] regendas, de quibus et[η] rationem redditurus est. Et ne causetur de minore forte substantia, meminerit scriptum: »Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis,« et iterum: »Nihil deest timentibus eum.« Sciatque, quia qui suscipit[θ] animas regendas, paret[ι] se ad rationem reddendam; et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit[κ] numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suae animae. Et ita timens semper futuram

---

α) *AB* castigatio. β) *AEP om.* quod est meminere; *C 2ª m.* meminere quod dicitur; *P 2ª m.* quod dicitur. γ) *DFGHPR (A 2ª m.)* suscepit; *Q* suscepisse. δ) *HIPQR (O 2ª m.)* verum etiam: [D.] ε) *EFIR (AL 2ª m.)* non plus; *P (C 2ª m., L 1ª m.)* ne plus. ζ) *O (A 1ª m.)* suscipit. η) *OR om.* et. θ) *HPQR* suscepit. [D?]. ι) *DFGIKLP* praeparet; *R* parit. κ) *A* scierit se habere; *PR* se scierit habere; *O* sciet; *Q* scit.

discussionem pastoris[α] de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus; et cum de monitionibus[β] suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur[γ] a vitiis emendatus.

III. DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS.

Quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se, et quod utilius iudicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari[δ] diximus, quia saepe iuniori Dominus revelat quod melius est.

Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione et[ε] non praesumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis[ζ] in abbatis pendeat[η] arbitrio, ut quod salubrius esse iudicaverit, ei cuncti obediant. — Sed sicut discipulos[ϑ] convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et iuste condecet cuncta disponere.

In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam; nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem. Neque praesumat quisquam cum abbate suo proterve[ι] aut foris monasterium[κ] contendere; quod si praesumpserit, regulari disciplinae subiaceat. — Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulae omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudiciis suis aequissimo iudici Deo rationem redditurum.

Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum

---

α) *CDI* pastor (*in L* -is *eras.*). β) *EFHKP* de admonitionibus. γ) *DEFQ* efficiatur. δ) *B* vocare. ε) *CDEFGHIKLR* ut. ζ) *ABIQR* et magis. η) *BCEQR* pendet; *O* 1^a *m.* pendat (*mut. in* pendeat); *A* 1^a *m.* pendeat (*mut. in* pendat). ϑ) *DGHLOQ* discipulis. ι) *DFGHIKL add.* intus; *QR* infra. κ) *DHIQ* monasterio.

est: »Omnia fac cum consilio, et post factum non poeniteberis.« [α]

IV. QUAE SUNT[β] INSTRUMENTA BONORUM OPERUM.

In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tamquam se ipsum.

Deinde non occidere; non adulterare[γ]; non facere furtum; non concupiscere; non falsum testimonium dicere; honorare omnes homines, et quod sibi quis fieri non vult, alio ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum; corpus castigare (delicias non amplecti); ieiunium amare. Pauperes recreare; nudum vestire; infirmum visitare; mortuum sepelire; in tribulatione subvenire; dolentem consolari.

Saeculi[δ] actibus se facere alienum. Nihil amori Christi praeponere. Iram non perficere; iracundiae tempus non reservare[ε]; dolum in corde non tenere; pacem falsam non dare; caritatem non derelinquere. Non iurare,[ζ] ne forte periuret[η]; veritatem ex corde et ore proferre. Malum pro malo non reddere; iniuriam non facere, sed et factam[θ] patienter sufferre; inimicos diligere; maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere; persecutionem pro iustitia sustinere. — Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuriosum, non detractorem. — Spem suam Deo committere; bonum aliquid[ι] in se cum viderit, Deo applicet, non sibi; malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet. Diem iudicii timere; gehennam expavescere; vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare; mortem quotidie

---

α) *CDFGHIK* poenitebis. β) *CDFGH* sint. γ) *ABEI* adulterari. δ) *B* saeculari; *C* a saecularibus; *DFGHIKL* a saeculi. ε) *BR* servare. ζ) *HQ* non iurare omnino. η) *OR* perierit (*in O mut. in* periuraverit); *IQ* periures (*L sic corr.*). θ) *BDIP* factas; *R* facta. ι) *EO* aliquod (*FG sic corr.*).

ante oculos suspectam habere. Actus vitae suae omni hora custodire; in omni loco Deum se respicere pro certo scire; cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere et seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire; multum loqui non amare; verba vana aut risui apta non loqui; risum multum aut excussum non amare. Lectiones sanctas libenter audire; orationi frequenter incumbere; mala sua praeterita cum lacrimis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri; de ipsis malis de cetero emendare.

Desideria carnis non efficere[α]; voluntatem propriam odire; praeceptis[β] abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat, memores illud dominicum praeceptum: »Quae dicunt facite, quae autem faciunt, facere nolite.« Non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur; praecepta Dei factis quotidie adimplere; castitatem amare; nullum odire; zelum non habere; invidiam non exercere[γ]; contentionem non amare; elationem fugere; et seniores venerare[δ]; iuniores diligere; in Christi amore[ε] pro inimicis orare; cum discordante[ζ] ante solis occasum in pacem[η] redire. — Et de Dei misericordia numquam desperare.

Ecce haec sunt instrumenta artis spiritalis; quae cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta et in die iudicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit: »Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit,[ϑ] quae praeparavit Deus his qui diligunt eum«.[ι] Officina vero ubi haec

---

α) *CDFGHIKLPQ* perficere. β) *B (A 1ª m.)* praecepta. γ) *FGHLOQR* zelum et invidiam non habere [D.] δ) *DEFGHIKOP* venerari. ε) *BCOP* iuniores diligere in Christi amore. ζ) *CDFGHIKLP* cum discordantibus. η) *CFKR* in pace. ϑ) *ABE om.* nec in cor hominis ascendit. ι) *ABE* illum; *P* Deus diligentibus se.

omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.

V. DE OBEDIENTIA.

Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Haec convenit his qui nihil sibi a[α] Christo carius aliquid existimant. Propter servitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae, mox ut[β] aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant[γ] in faciendo. De quibus Dominus dicit: »Obauditu auris obedivit mihi;« et item[δ] dicit doctoribus: »Qui vos audit me audit.«

Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede iubentis vocem factis sequuntur, et veluti uno momento praedicta magistri iussio et perfecta discipuli opera — in velocitate timoris Dei ambae res communiter citius explicantur.

Quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit, ideo angustam viam arripiunt (unde Dominus dicit: »Angusta via est quae ducit ad vitam«,) ut non suo arbitrio viventes vel desideriis suis et voluptatibus[ε] obedientes, sed ambulantes alieno iudicio et imperio in coenobiis degentes abbatem sibi praeesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: »Non veni facere voluntatem meam sed eius qui misit me.« — Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepide, non tarde, non tepide[ζ] aut cum murmurio vel cum[η] responso nolentis efficiatur: quia obe-

---

α) *DEFGIO om.* a. β) *CD om.* ut *(in BL* ut *2ª m. add.)*. γ) *FGIK* nesciunt. δ) *AFR* iterum. ε) *IOQR* voluntatibus. [D.] ζ) *AK* non tepide non tarde non trepide *(P partim sic corr.)*. η) *AE om.* cum.

dientia quae maioribus praebetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit: »Qui vos audit me audit.« Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet, quia »hilarem datorem diligit Deus;« nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore sed etiam[α] in corde si murmuraverit, etiamsi[β] impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo qui cor eius respicit murmurantem,[γ] et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

VI. DE TACITURNITATE.

Faciamus quod ait propheta: »Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, obmutui et humiliatus sum et silui a bonis.« Hic ostendit propheta: si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere,[δ] quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari.[ε]

Ergo quamvis de bonis et sanctis et[ζ] aedificationum eloquiis perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est: »In multiloquio non effugies peccatum«; et alibi: »Mors et vita in manibus linguae.« — Nam[η] loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulum[θ] convenit. Et ideo si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subiectione reverentiae[ι] requirantur.[κ] — Scurrilitates vero vel verba otiosa et risum moventia aeterna clausura in

---

α) *CDFIP* verum etiam. β) *DFGHIK (L 1ª m.)* etsi. γ) *DEFGHIKL* qui cor (*FL* eius) respicit murmurantis. δ) *DGHIOR* taceri. ε) *KP (L 1ª m.)* cessare. ζ) *FGO om.* et. η) *O* nam et. θ) *DFGHILQ* discipulo. ι) *OQR* cum summa reverentia. [D.] *A 1ª m.* reverentia; *CI om.* reverentiae, *in C sup. lin. 2ª m. (sum-)* -ma reverentia obedientiae; *H* et reverentia. κ) *OQ om.* requirantur. [D?] *EFGHKOPQR (CL 2ª m.) add.* ne videatur plus loqui quam expedit. [D.]

omnibus locis damnamus, et ad talia eloquia[α] discipulum aperire os non permittimus.

VII. DE HUMILITATE.

Clamat nobis Scriptura divina, fratres, dicens: »Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.« Cum haec ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiae; quod se cavere propheta indicat dicens: »Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me. Sed quid,[β] si non humiliter sentiebam, si[γ] exaltavi animam meam? Sicut ablactatum[δ] super matrem suam, ita retribues[ε] in animam meam.«

Unde, fratres, si summae humilitatis volumus culmen attingere et ad exaltationem illam coelestem ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est quae in somnio[ζ] Jacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere. — Scala vero ipsa erecta nostra est vita in saeculo quae humiliato corde a Domino erigatur[η] ad coelum; latera enim[ϑ] eius scalae dicimus nostrum esse corpus et animam; in qua latera diversos gradus humilitatis vel disciplinae evocatio divina ascendendos inseruit.

P r i m u s i t a q u e h u m i l i t a t i s g r a d u s est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens oblivionem omnino fugiat,

---

α) *CDEGHK (L 1a m.)* tale eloquium. β) *QR om.* sed quid. γ) *CDEFGHOQR* sed. δ) *CKOQ* ablactatus. ε) *ABE* retribuis; *DGQ (P 2a m.)* retributio. ζ) *CEGHPR* in somno *(L sic corr.)*; *Q* somnum. η) *ADFGHIKLP* erigitur. ϑ) *E* latera vero.

et semper sit memor omnia[α] quae praecepit Deus, ut[β] qualiter[γ] contemnentes Deum gehenna[δ] de peccatis incendat,[ε] et vitam aeternam quae timentibus Deum praeparata est, animo suo semper evolvat.[ζ]

Et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis id est cogitationum, linguae, oculorum,[η] manuum, pedum vel voluntatis propriae — sed et desideria carnis,[ϑ] aestimet se homo de coelis a Deo semper respici omni hora, et facta sua omni loco ab aspectu Divinitatis videri et ab angelis[ι] omni hora renuntiari, demonstrans[κ] nobis hoc propheta cum in cogitationibus nostris ita Deum semper praesentem ostendit dicens: »Scrutans corda et renes Deus;« et item[λ]: »Dominus novit cogitationes hominum«; et item[μ] dicit: »Intellexisti cogitationes meas a longe«; et: »Quia cogitatio hominis confitebitur tibi.« — Nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper utilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea.

Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit Scriptura nobis: »Et a voluntatibus tuis avertere[ν];« et item rogamus Deum in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud quod dicit sancta[ξ] Scriptura: »Sunt viae quae videntur[ο] ab[π] hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit«; et cum item

---

α) *CDEFGHIKLQ* omnium *(P sic corr.)*. β) *CDEFGHIKR om.* ut. γ) *ABE* qualiter et. δ) *CO* gehennam: *DEFGHIKLQR* in gehennam; *P* in gehenna. [D.] ε) *A* incidat *(P sic corr.)*; *C* incedant; *DEFGHIK* incidunt; *OQR* incedunt. [D.] ζ) *DFGOQR* revolvat. [D?] η) *AB om.* oculorum. ϑ) *DEFGHILOP add.* amputare festinet *(in R delet.)*. [D?] ι) *GHLPQ (rec. man. BC)* angelis Deo. κ) *DEFGHIKLQ* demonstrat. λ) *GOQR* et iterum. [D.] μ) *OQR* et iterum. [D.] ν) *FIKOQR* averte. [D.] ξ) *AB om.* sancta *(in L sup. lin.)*. ο) *DGIKLOR* putantur. π) *O om.* ab.

pavemus[α] illud quod de negligentibus dictum est: »Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus[β] suis.«

In desideriis vero carnis ita nobis Deum credamus semper esse praesentem, cum dicit propheta Domino[γ]: »Ante te est omne desiderium meum.« Cavendum ergo[δ] ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est, unde Scriptura praecipit[ε] dicens: »Post concupiscentias tuas non eas.«

Ergo si »oculi Domini speculantur bonos et malos,« et Dominus de coelo semper respicit[ζ] super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, et si ab angelis nobis[η] deputatis quotidie die noctuque Domino factorum nostrorum opera[θ] nuntiantur — cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo propheta, ne nos declinantes in malo[ι] et inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est et exspectat nos converti in melius — ne[κ] dicat nobis in futuro: »Haec fecisti, et tacui.«

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: »Non veni facere voluntatem meam sed eius qui me misit.« Item dicit Scriptura: »Voluptas[λ] habet poenam, et necessitas parit coronam.«

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori imitans Dominum[μ] de quo dicit apostolus: »Factus obediens[ν] usque ad mortem.«

α) *DEFGHIKLOPQ* cavemus. β) *AFHIKLOQR* voluntatibus. [D.] γ) *CEQ (L?)* Domine. δ) *FR (A 2a m.)* est ergo; *EHIK* ergo est. ε) *CEPQR (B 2a, D 1a m.)* praecepit. ζ) *A* respexit. η) *A om.* nobis. θ) *DEFGHIKLOPQR* factori nostro opera nostra. [D?] ι) *CDEFGHIKLP* in malum. κ) *HKP om.* ne λ) *GIOQR (L 1a m.)* voluntas. [D.] μ) *O (C 1a m.)* Deum. ν) *OR (C 2a m.) add.* Patri *(in R delet.)*.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis tacita conscientia patientiam amplectatur[α] et[β] sustinens non lassescat vel discedat dicente Scriptura: »Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit«; item: »Confortetur cor tuum, et sustine Dominum«. Et ostendens fidelem pro Domino universa etiam[γ] contraria sustinere debere dicit ex persona sufferentium: »Propter te morte afficimur tota die, aestimati sumus ut oves[δ] occisionis (et securi de spe retributionis divinae subsequuntur gaudentes et dicentes: »Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos«); et item alio loco Scriptura[ε]: »Probasti nos,[ζ] Deus, igne nos examinasti, sicut igne[η] examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro;« et ut ostendat sub priore debere nos esse[θ], subsequitur dicens: »Imposuisti homines super capita nostra.« Sed et: praeceptum Domini in adversis et iniuriis per patientiam adimplentes qui percussi in maxillam[ι] praebent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati[κ] milliario[λ] vadunt duo,[μ] cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent[ν] et persecutionem sustinent[ξ] et maledicentes se benedicent.[ο]

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati[π] non celaverit

---

α) *BIOQ (R 1a m.?)* tacite conscientiam amplectatur; [D.] *L om.* patientiam. β) *O om* et. γ) *O om.* etiam. δ) *AP* ovis. ε) *LOR add.* dicit; *G* dixit. ζ) *DEGHIKLQ (ACP 2a m.)* nos, inquit. η) *DE om.* igne *(in GR eras.)*. θ) *ACP* nos esse debere. ι) *B* in maxilla. κ) *O (C 2a m.)* angarizati; *DGI* angarianti; *R* angarizanti. λ) *DE (L 1a m)* milliarium; *H* mille passus. μ) *DEFGHIKLOQR* et duo. [D?] ν) *ABP om.* et persecutionem sustinent. ξ) *GQR om.* sustinent. ο) *DEFGHIKLQR* benedicunt. π) *BE* abbatem.

suo,[α] hortans nos de hac re Scriptura dicens: »Revela ad Dominum[β] viam tuam et spera in eum;« et item dicit: »Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius;« et item propheta: »Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitias meas non operui[γ]; dixi: pronuntiabo adversum me iniustitias meas Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei.«

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus et ad omnia quae sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicet et indignum dicens sibi cum propheta: »Ad nihilum redactus sum et nescivi; ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.«

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem non solum sua lingua pronuntiet sed etiam intimo cordis credat affectu humilians se et dicens cum propheta: »Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.« »Exaltatus sum et humiliatus et confusus[δ];« et item: »Bonum mihi quod[ε] humiliasti me, ut discam mandata tua.«

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus nisi quod communis monasterii regula vel maiorum cohortantur exempla.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur monstrante Scriptura, quia »in multiloquio non effugitur[ζ] peccatum«, et quia »vir linguosus non dirigitur[η] super terram.«

α) *ABE* suum. β) *CDEFGHIKPQR* Domino. γ) *Q* abscondi. δ) *FOQ* exaltatus autem (*F om.* autem) humiliatus sum et confusus; *R* exaltatus sum et humiliatus . . . et confusus. [D.] ε) *A* quia. ζ) *ACFGHIL (P 2a m.)* effugietur. η) *DFGHIK* dirigetur.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu,[α] quia scriptum est: »Stultus in risu[β] exaltat vocem suam.«

Undecimus humilitatis gradus est, si,[γ] cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate vel pauca verba et rationabilia loquatur et non sit clamosus in voce,[δ] sicut scriptum est: »Sapiens verbis[ε] innotescit paucis.«

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus sed etiam ipso corpore[ζ] humilitatem videntibus se[η] semper indicet, id est: in opere Dei,[ϑ] in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro vel ubicumque sedens, ambulans vel stans inclinato sit semper capite defixis in terram aspectibus. Reum se omni hora de peccatis suis existimans[ι] iam se tremendo iudicio[κ] repraesentari aestimet dicens sibi in corde semper illud quod publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: »Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad coelos[λ];« et item cum propheta: »Incurvatus sum et humiliatus sum usque quaque.«

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam,[μ] quae perfecta[ν] foras[ξ] mittit timorem, per quam universa quae prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire non iam timore gehennae sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et[ο] delectatione virtutum. Quae Dominus iam in[π] operarium

---

α) *EO* risum. β) *BO* risum. γ) *OQ om.* si. δ) *OQ* in vocem. ε) *O* in verbis (*in BC* in *eras.*). ζ) *DF* non solum corpore ... sed etiam corde. η) *Q om.* se. ϑ) *CFGHIOQ (R* 1^a *m) om.* Dei *(in L eras.).* [D.] ι) *BKR* aestimans. κ) *CDEFGHIKLP add.* Dei. λ) *CDFGIKLQR (B* 1^a *m.?)* ad coelum. μ) *O* illa. ν) *B (P* 1^a *m.)* perfectam. ξ) *BEHIO* foris. ο) *A om.* et. π) *DG om.* in. *(in B. sup. lin.* 1^a *m.?).*

suum mundum[α] a vitiis et peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

VIII. DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

Hiemis tempore, id est a kalendis novembris usque in pascha, iuxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est, ut modice amplius dimidia nocte pausetur et iam digesti surgant. — Quod vero restat post vigilias, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi[β] inserviatur.[γ]

A pascha autem usque ad supradictas kalendas[δ] novembris sic temperetur hora vigiliarum[ε] agenda: parvissimo intervallo quo fratres ad necessaria naturae exeant,[ζ] mox matutini qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

IX. QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS.

Hiemis tempore suprascripto[η] in primis versus, tertio dicendum[ϑ]: »Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam«, cui subiungendus est tertius psalmus et »Gloria«, post hunc psalmus nonagesimus quartus[ι] cum antiphona aut certe decantandus[κ]; inde sequatur ambrosianus, deinde sex psalmi cum antiphonis.[λ] Quibus dictis, dicto versu benedicat abbas; et sedentibus omnibus in scamnis legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et[μ] tria responsoria can-

---

α) *FHPQ* in operario suo mundo (*H* mundum); *B* mundo. β) *OQR* meditatione. [D.] γ) *Q* serviatur. δ) *AB om.* kalendas. ε) *PR* (*A* 1ª *m.*) ut vigiliarum. ζ) *CDEFGHIKL* ut parvissimo ..... exeant custodito. η) *EQ om.* suprascripto; *O* sancto; *DEFGHIL* praemisso in primis versu: »Deus in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuvandum me festina«, in secundo tertio dicendum est. ϑ) *OR* in secundum (*R* in secundo) dicendum; *Q om.* in secundo *et* tertio. ι) *DILOQR add.* Venite exultemus Domino. [D.] κ) *CK* decantando. λ) *AB* cum antiphonas. μ) *FGHIKLQ om.* et.

tentur.[α] Duo responsoria sine »Gloria« dicantur[β], post tertiam vero lectionem qui cantat dicat »Gloriam«, quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilia sua[γ] surgant ob honorem et reverentiam sanctae Trinitatis. — Codices autem legantur in vigiliis divinae auctoritatis tam veteris testamenti quam novi,[δ] sed et expositiones earum quae a nominatis et orthodoxis catholicis patribus[ε] factae sunt. — Post has vero tres lectiones cum responsoria sua[ζ] sequantur reliqui sex[η] psalmi cum »Alleluia« canendi; post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda et versus et supplicatio litaniae, id est »Kyrie eleison«, et sic finiantur vigiliae nocturnae.

X. QUALITER AESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS.

A pascha autem usque ad kalendas novembris omnis ut supra dictum est psalmodiae quantitas teneatur, excepto quod lectiones in codice propter brevitatem noctium minime legantur, sed pro ipsis tribus lectionibus una de veteri testamento memoriter dicatur[θ] quam brevis responsorius[ι] subsequatur; et reliqua omnia ut dictum est impleantur: id est ut numquam minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas[κ] dicantur exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo.

α) *OQR om.* cantentur; [D.] *FGHK* canantur β) *FIOQR om.* duo responsoria sine »Gloria« dicantur. [D.] γ) *Sic ABCOR.* δ) *ILOQR* tam veteris testamenti quam novi divinae auctoritatis. [D.] ε) *OQR* a nominatis doctorum orthodoxis catholicis patribus; [D.] *DEFGK* a nominatissimis doctorum (*FK om.* doctorum) et (*D om.* et) orthodoxis catholicisque (*EG om.* -que) patribus; *HIL* a nominatis doctoribus (*L habet rasuram 8 cc. litt.*) orthodoxis et catholicis patribus. ζ) *Sic ABCOPR.* η) *OQ om.* sex. [D?] θ) *OQ* memoria legatur; *ER* memoriae dicatur. ι) *Sic ABPQR.* κ) *O* nocti; *Q* noctis.

XI. QUALITER DOMINICIS DIEBUS VIGILIAE AGANTUR.

Dominico die[α] temperius surgatur ad vigilias. In quibus vigiliis teneatur mensura, id est modulatis, ut supra disposuimus,[β] sex psalmis et versu, residentibus[γ] cunctis disposite[δ] et per ordinem in subselliis legantur in codice, ut supra diximus, quatuor lectiones cum responsoriis suis, ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante »Gloria«; quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant. — Post quibus lectionibus[ε] sequantur ex ordine alii sex[ζ] psalmi cum antiphonas[η] sicut anteriores et versus. Post quibus[θ] iterum legantur aliae quatuor lectiones cum responsoriis suis ordine quo supra.[ι] — Post quibus dicantur tria cantica de prophetarum quas instituerit abbas; quae cantica cum »Alleluia« psallantur. Dicto etiam versu et benedicente abbate legantur aliae quatuor lectiones de novo testamento ordine quo supra. — Post quartum autem responsorium incipiat abbas hymnum »Te Deum laudamus«; quo perdicto legat abbas lectionem de Evangelio cum honore et timore[κ] stantibus omnibus; qua perlecta respondeant omnes »Amen«, et subsequatur mox abbas hymnum »Te decet laus«, et data benedictione incipiant matutinos.

Qui ordo vigiliarum omni tempore tam aestatis quam hiemis aequaliter in die dominico teneatur, ni, si forte, quod absit, tardius surgant,[λ] aliquid[μ] de lectionibus breviandum est aut responsoriis. Quod tamen omnino caveatur ne proveniat; quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio per cuius evenerit neglectum.[ν]

α) *OQR* dominicis diebus. [D.] β) *D* exposuimus. γ) *D* sedentibus. δ) *Q* dispositi. ε) *Sic ABCOPQR.* ζ) *O om.* sex. η) *Sic ABCO* θ) *Sic ABEOPR.* ι) *OQR om.* Post quibus iterum *usque ad* ordine quo supra. [D.] κ) *DKLOQR* tremore. [D.] λ) *FGK* surgatur. μ) *D* et aliquid. ν) *R* negligentia.

XII. QUOMODO[α] MATUTINORUM SOLEMNITAS AGATUR.

In matutinis dominico die[β] inprimis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona in directum; post quem dicatur quinquagesimus cum »Alleluia«; post quem dicatur centesimus decimus septimus et sexagesimus secundus, inde Benedictiones et Laudes, lectio[γ] de Apocalypsi una ex corde et responsorium, ambrosianus, versus, canticum de Evangelio, litania, et completum est.

XIII. PRIVATIS DIEBUS QUALITER AGANTUR MATUTINI.[δ]

Diebus autem privatis matutinorum solemnitas ita agatur: id est ut[ε] sexagesimus sextus[ζ] psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modice sicut dominica, ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem, id est secunda feria quintus et trigesimus quintus; tertia feria quadragesimus secundus et quinquagesimus sextus; quarta feria sexagesimus tertius et sexagesimus quartus; quinta feria octogesimus septimus et octogesimus nonus; sexta feria septuagesimus quintus et nonagesimus primus; sabbato autem centesimus quadragesimus secundus et canticum Deuteronomii[η] quod[ϑ] dividatur in duas »Glorias«. Nam ceteris diebus canticum unumquodque[ι] die suo ex prophetis, sicut psallit[κ] Ecclesia romana, dicantur.[λ] Post haec sequantur Laudes, deinde lectio una Apostoli memoriter recitanda, responsorium, ambrosianus, versus, canticum de Evangelio, litania, et completum est.

α) *EFIKOR* qualiter. [D?] β) *OQ* dominicis diebus. [D?] γ) *AQ* lectione; *BR* lectiones; *CP* lectionem. δ) *FGHQ* matutini agantur; *CD* qualiter matutini agantur privatis diebus. ε) *DEIOQR om.* ut. [D.] ζ) *OQ* sexagesimus secundus. η) *ABCIP* Deuteronomium *R* Deuteronomici. ϑ) *BCOPQ* qui. ι) *ABCOPQR* unumquemque. κ) *AIP* psallat. λ) *BDEFGHK* dicatur.

Plane agenda matutina vel vespertina[α] non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem[β] oratio dominica omnibus audientibus dicatur a priore propter scandalorum spinas quae oriri solent, ut conventi[γ] per ipsius orationis sponsionem qua dicunt: »Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus«, purgent se ab huiusmodi vitio. Ceteris vero agendis ultima pars eius orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur[δ]: »Sed libera nos a malo.«

XIV. IN NATALITIIS SANCTORUM QUALITER AGANTUR VIGILIAE.[ε]

In sanctorum vero festivitatibus vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur; excepto quod psalmi aut antiphonae vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur, modus autem suprascriptus teneatur.

XV. »ALLELUIA« QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR.

A sancto pascha usque[ζ] pentecosten sine intermissione dicatur »Alleluia« tam in psalmis quam in responsoriis. A pentecosten autem usque[η] caput quadragesimae omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos[θ] dicatur; omni vero dominica extra quadragesima[ι] cantica, matutini[κ], prima, tertia, sexta nonaque cum »Alleluia« dicatur[λ], vespera vero iam[μ] antiphona; responsoria

α) *OQ* vespera. β) *DEFGHIL* in ultimo ordine; *O* in ultimo or . . . e; *Q* in ultimum oratione omnibus; *R* in ultimo et ordine oratio. γ) *AF* conversi; *BGQR* converti; *E* convenienti. δ) *Q om.* ut ab omnibus respondeatur. ε) *C* Qualiter agantur vigiliae in natalitiis sanctorum; *EFG* Qualiter in sanctorum natalitiis vigiliae agantur. ζ) *Sic ABEKO.* η) *FGHLOQR* usque in. [D.] θ) *CO* nocturnas *(P sic corr.).* ι) *Sic ABCEP; O* quadragesimum. κ) *ABCP* matutinos; *O* a matutinis: *R* matutinas. λ) *DEFGHKLOQ* dicantur. μ) *FGH om.* iam; *BDEK* iam cum *(L sic corr.).*

vero numquam dicantur cum »Alleluia« nisi a pascha usque[α] pentecosten.

XVI. QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR.

Ut ait propheta: »Septies in die laudem dixi tibi.« Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primae, tertiae, sextae, nonae, vesperae completoriique tempore nostrae servitutis officia persolvamus, quia de his diurnis[β] horis dixit: »Septies in die laudem dixi tibi;« nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait: »Media nocte surgebam ad confitendum tibi.« Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiae suae, id est matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio; et[γ] nocte surgamus ad confitendum ei.

XVII. QUOT[δ] PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI[ε] SUNT.

Jam de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem psalmodiae; nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicantur psalmi tres singillatim et[ζ] non[η] sub una »Gloria«, hymnus[θ] eiusdem[ι] horae post versum: »Deus in adiutorium meum[κ]«, antequam psalmi incipiantur. Post expletionem vero[λ] trium psalmorum recitetur lectio una, versus et »Kyrie eleison« et missae.[μ] — Tertia, sexta et nona item[ν] eo ordine celebretur: oratio (id est versus[ξ],)

α) *Sic ABCK.* β) *DFGHIOQR om.* diurnis. [D.] γ) *O om.* et. δ) *DEFGHILP* Quanti. ε) *DEFGHK (L 1a m)* dicendi; *I* psallendi; *OQ* cantandi. ζ) *P (C 1a m.) om.* et. η) *EQ om.* non. θ) *BCEPR* hymnum. ι) *O (D 1a m.)* eius. κ) *BE om.* meum; *FGHIKLOR add.* intende. λ) *EFOQR om.* vero. [D.] μ) *ACDEOPQR (L 1a m.)* missas; *BK (L 2a m.)* missae; *GHI* missae sint; *F* missa est. ν) *FIK om.* item. ξ) *ABCEP* versu; *OR* versum.

hymni[α] earundem horarum, terni psalmi[β], lectio et versus, »Kyrie eleison«, et missae[γ] sunt.[δ] Si maior congregatio fuerit, cum antiphonas[ε], si vero minor, in directum psallantur. — Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur, post quibus psalmis[ζ] lectio recitanda est, inde responsorium, ambrosianus, versus, canticum de Evangelio, litania et oratio[η] dominica, et[θ] fiant missae. — Completorium[ι] autem trium psalmorum dictione terminetur[κ]; qui psalmi directanei sine antiphona[λ] dicendi sunt; post quos hymnus eiusdem horae, lectio una[μ], versus, »Kyrie eleison«, et[ν] benedictione[ξ] missae fiant.

XVIII. QUO ORDINE IPSI[ο] PSALMI DICENDI SUNT.

Dicatur[π] versus: »Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuvandum me festina«, »Gloria«[ρ]; inde hymnus uniuscuiusque horae. Deinde prima hora dominica dicenda quatuor capitula psalmi centesimi octavi decimi; reliquis vero horis, id est tertia, sexta vel nona terna capitula suprascripti psalmi centesimi octavi decimi dicantur. — Ad primam autem secundae feriae dicantur tres psalmi, id est primus, secundus et sextus; et ita per singulos dies ad primam usque ad[σ] dominicam dicantur per ordinem terni psalmi usque nonum decimum psalmum, ita sane, ut

---

α) *ABCP* hymnos; *O* hymnus. β) *ABCEOPR* ternos psalmos lectione (*E* lectio). γ) *AFP* missa; *CO* missas. δ) *GI* sint; *F* est; *KO om.* sunt. ε) *Sic ACOPR.* ζ) *Sic ABCOPR.* η) *ABOPR* oratione. θ) *BCP om.* et. ι) *AOPR* completorius; *B* completorios. κ) *AB* terminentur. λ) *DGH* sine antiphonis *(O sic corr.)*. μ) *ABCP* lectionem unam; *OR* lectione una. ν) *DFGHIOQR om* et. [D.] ξ) *Sic ABP*; *R* benedictione et, *ceteri codd.* benedictio et missae fiant. [D.] ο) *DEIOPQ om.* ipsi. [D?] π) *Sic incip. ABC ubi rec. manu praemissum*: In primis semper diurnis horis, *quae verba in ceteris codd. incipiunt hoc caput.* [D.] ρ) *DEFGHKLQ* et »Gloria«; *(in* P et *eras.)*. σ) *CP om.* ad.

nonus psalmus et septimus decimus partiantur in binos.[α] Et sic fit[β], ut ad vigilias dominica semper a vigesimo incipiatur.

Ad tertiam vero, sextam nonamque[γ] secundae feriae[δ] novem capitula quae residua sunt de centesimo octavo decimo psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso ergo psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est dominico et secunda feria, tertia feria iam ad tertiam, sextam vel nonam psallantur terni psalmi, a centesimo nono decimo usque centesimum vigesimum septimum, id est[ε] psalmi novem; quique psalmi semper usque[ζ] dominicam[η] per easdem horas itidem repetantur (hymnorum nihilominus, lectionum vel[ϑ] versuum dispositione uniformi cunctis diebus servata[ι]) et ita scilicet semper dominica a centesimo octavo decimo incipietur.[κ]

Vespera[λ] autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur a centesimo nono; usque centesimum quadragesimum septimum exceptis his qui in diversis horis ex eis sequestrantur (id est a centesimo septimo decimo usque centesimum vigesimum septimum et centesimo trigesimo tertio et centesimo quadragesimo secundo,) reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt qui[μ] ex numero[ν] suprascripto fortiores[ξ] inveniuntur, id est centesimus trigesimus octavus et centesimus quadragesimus tertius et centesimus quadragesimus quartus; centesimus vero

---

α) *FGILOQR* dividantur in binas »Glorias.« [D.] β) *EFGHIKOQR* fiat *(in L sup. ras.)*. [D.] γ) *DEFHKQ* et nonam; *L* et nonamque. δ) *A* secunda feria. ε) *DFIOR om.* id est. ζ) *DFGHKQR* usque ad; *I* ad. η) *ACO* dominica. ϑ) *DEP om.* vel; *A* adversum *(lin. delet.)*. ι) *BPR (O 1a m?)* dispositionem uniformem ... servatam; *C (A 1a m.)* uniformem; *F (O 1a m.?)* uniformiter κ) *Sic AO, BD sic corr.; ceteri codd.* incipiatur. λ) *AER* vespere. μ) *P (L 1a m.)* quia. ν) *DFGHILOPQR* in numero. [D.] ξ) *O* potiores.

sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. — Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum reliqua, id est lectio[α], responsum[β], hymnus, versus[γ] vel canticum[δ] sicut supra taxavimus impleatur.

Ad completorium[ε] vero quotidie iidem psalmi repetantur[ζ], id est quartus, nonagesimus et centesimus trigesimus tertius.

Disposito ordine psalmodiae diurnae reliqui omnes psalmi qui supersunt[η] aequaliter dividantur in[θ] septem noctium vigilias[ι], partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi, et[κ] duodecim per unamquamque constituens[λ] noctem. — Hoc praecipue commonentes, ut[μ] si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter[ν] iudicaverit; dum omnimodis[ξ] id[ο] attendat[π], ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur[ρ], et dominico die semper a caput[σ] reprendatur[τ] ad vigilias, quia nimis inertem[υ] devotionis suae servitium ostendunt monachi qui minus a[φ] psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanae circulum psallunt, dum quando legamus sanctos patres nostros uno die hoc[χ] strenue implesse quod nos tepidi[ψ] utinam septimana integra persolvamus.

α) *AB* lectione, *P* lectionem, *QR* lectionum, *O* lectio ...., *CDEFGHIKL* lectiones. β) *CDFGHIKL* responsoria. γ) *ABCPQR* (*O?*) hymnum versum (*A* versu); *DFGIK* hymni. δ) *DFGHIKL* cantica .... impleantur. ε) *ABCEP* completorios. ζ) *DFHILOQR* repetantur quotidie. [D.] η) *O* qui supra sunt. θ) *DFLOQ om.* in. ι) *DFL* vigiliis. κ) *A om.* et. λ) *Q* constituentes; *DEFGHIKLP* constituantur. μ) *DEIOQR om.* ut. [D.] ν) *C* aliud. ξ) *F* omnibus modis; *GHKL* dummodo omnimodis; *Q* dum omnino. ο) *OR om.* id π) *DEFGHIKLOQR* attendatur. [D.] ρ) *AIR* psallantur; *C* canatur. σ) *Sic AOQ*; *B* ad caput. τ) *FGHKLOP* repetatur; *QR* reprehendatur. υ) *Sic ABCEOPQ*; *R* inerti .... servitio. φ) *DFGHILOQ om.* a. χ) *DILP om.* hoc. ψ) *OQ om.* quod nos tepidi; *R* implesse, nos vero ut una septimana. [D.]

XIX. DE DISCIPLINA PSALLENDI.

Ubique credimus divinam esse praesentiam, et »oculos Domini in omni loco[α] speculari bonos et malos«; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait propheta: »Servite Domino in timore«, et iterum: »Psallite sapienter«, et: »In conspectu angelorum psallam tibi.« — Ergo consideremus, qualiter oporteat in conspectu Divinitatis et angelorum eius esse; et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.

XX. DE REVERENTIA ORATIONIS.

Si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est! Et non in multiloquio sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi[β] forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur; in conventu tamen omnino brevietur oratio, et facto signo a priore omnes pariter surgant.

XXI. DE DECANIS MONASTERII.[γ]

Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres[δ] boni testimonii et sanctae conversationis et constituantur decani, qui sollicitudinem gerant super decanias suas[ε] in omnibus secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui. Qui decani tales eligantur in quibus securus abbas partiat onera sua; et non eligantur per ordinem sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam. Quique decani[ζ] —

α) *HILOQR om.* in omni loco. [D.] β) *O* si. γ) *A add.* qualis debeat (*E* quales debeant) esse. δ) *DILOPQR* fratribus. [D.] ε) *IOQR om.* suas. [D.] ζ) *CDFGIKL* Quod si quis (*K om.* quis; *DFGIL* quisque) ex eis aliqua (*K* aliquis) forte inflatus.

si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum atque tertio si emendare noluerit, deiiciatur, et alter in loco eius qui dignus est subrogetur.[α] — Et de praeposito eadem constituimus.

XXII. QUOMODO DORMIANT MONACHI.

Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem[β] abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant; sin[γ] autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus qui super eos solliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadem cella ardeat usque mane. Vestiti dormiant et cincti cingulis aut funibus, ut[δ] cultellos suos[ε] ad latus suum[ζ] non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnum[η] vulnerent[θ] dormientem, et ut parati sint monachi semper, et facto signo absque mora surgentes festinent invicem se praevenire ad opus Dei — cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentiores fratres iuxta se non habeant lectos sed permixti cum senioribus. Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.

XXIII. DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM.[ι]

Si quis frater contumax aut inobediens aut superbus aut murmurans vel in aliquo contrarius exsistens[κ] sanctae regulae et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit: hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo secrete[λ] a senioribus suis. Si non emen-

α) *FGKLOQR* succedat; [D.] *A* subrogetur qui dignus est. β) *CDFGHK* dispositionem. γ) *DFGIKLOQR* si. [D.] δ) *CDFGHIKLQ* et. ε) *CGHIKO om.* suos. ζ) *CDFGHL om.* suum; *O eorum.* η) *BFOQ* somnium. θ) *OR* vulneret; *CDEFGHKL* vulnerentur dormientes. ι) *L* culpatorum (*A sic corr.*). κ) *OQR* in aliquo contrario consistens. [D.] λ) *DEHILOQR* secreto. [D.]

daverit, obiurgentur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis poena sit, excommunicationi subiaceat; sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

XXIV. QUALIS DEBET[α] ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

Secundum modum culpae et[β] excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura[γ]; qui culparum modus in abbatis pendet[δ] iudicio.

Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensae participatione privetur. Privati autem a mensae consortio ista erit ratio, ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat neque lectionem recitet usque ad satisfactionem; refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat[ε] — ut, si verbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille frater[ζ] nona; si fratres nona, ille vespera, — usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

XXV. DE GRAVIORIBUS CULPIS.

Is autem frater qui gravioris culpae noxa tenetur[η], suspendatur a mensa simul et[ϑ] ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo iungatur consortio nec in colloquio: solus sit ad opus sibi iniunctum persistens in poenitentiae luctu sciens illam terribilem apostoli sententiam dicentis traditum eiusmodi[ι] hominem[κ] in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in diem[λ] Domini. Cibi autem refectionem[μ] solus percipiat mensura vel hora qua praeviderit abbas ei competere.

α) *DEFHLQ* debeat. β) *FGIOPR om.* et. γ) *AB* mensura debet extendi. δ) *DEFGIKP* pendeat; *O* pendat; *BHQR* pendit. ε) *C* percipiat. ζ) *OQR om.* frater. [D.] η) *EF* teneatur *(O sic corr.).* ϑ) *BEQ om.* et *(in AO rec. man. add.).* ι) *EFGHILQ* huiusmodi. κ) *EFGHKP add* satanae *(in L delet.).* λ) *CEFGHKPQ* in die *(I sic corr.).* μ) *O* perceptione; *LQR* perceptionem. [D.]

Nec[α] a quoquam benedicatur transeunte, nec cibum quod[β] ei datur.

XXVI. DE HIS QUI SINE IUSSIONE[γ] IUNGUNT SE[δ] EXCOMMUNICATIS.

Si quis frater praesumpserit sine iussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere aut loqui cum eo vel mandatum ei dirigere, similem[ε] sortiatur excommunicationis vindictam.

XXVII. QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS[ζ] ESSE CIRCA EXCOMMUNICATOS.[η]

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres, quia »non est opus sanis medicus sed male habentibus.[θ]« Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus: immittere[ι] sympaectas, id est seniores sapientes fratres qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem et provocent[κ] ad humilitatis satisfactionem et consolentur eum, »ne abundantiori tristitia absorbeatur«, sed, sicut ait idem[λ] apostolus, »confirmetur in eo caritas«, et oretur pro eo ab omnibus.

Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas et omni sagacitate et industria currere[μ], ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem; et metuat prophetae comminationem per quam[ν] dicit Deus: »Quod

---

α) *OQR* ne (*O* que *sup. lin.*). [D.] β) *DEFGHIKLO* cibus qui (*O 1a m.* quod). γ) *EFGHIKL* iussione abbatis. δ) *EFGHILOR* iunguntur. ε) *C* similiter; *R* similis .... vindictae. ζ) *AHQ om.* sollicitus. η) *C* circa delinquentes fratres. θ) *R add.* humilietur .... in pace *ut cap. XXXIV.* ι) *EFGHKOQR add.* quasi occultos consolatores (*in LP delet., in CI sup. lin. addit.*). [D.] κ) *DEFGHKLP add.* eum. λ) *BO* item ait. μ) *FGHKPQR* curare; *L* procurare. ν) *CDEFGHIKLR* per quem; *Q* pro quod.

crassum videbatis, assumebatis, et quod debile erat, proiiciebatis;« et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus abiit unam ovem quae erraverat quaerere, cuius infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere et sic reportare ad gregem.

XXVIII. DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT.[α]

Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id est ut verberum vindicta[β] in eum procedat.[γ]

Quod si nec ita correxerit aut forte, quod absit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus: si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina Scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem[δ] excommunicationis vel plagarum[ε] virgae[ζ] etiam, — si viderit nihil suam praevalere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam et omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia potest[η], operetur salutem circa infirmum fratrem.

Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam utatur abbas ferro abscissionis, ut ait apostolus: »Auferte malum ex vobis«, et iterum: »Infidelis si discedit, discedat«, ne una ovis morbida omnem gregem contagiet.[ϑ]

α) *HOP* noluerunt; *DEI* non emendaverint; *B* non emendaverunt. β) *LO* vindictae. γ) *LOQR* procedant. [D.] δ) *CEKLOP* ultionem *(H sic corr.)*. ε) *DFGHILQ* plagas *(P sic corr.)*. ζ) *DFGHIL* virgarum *(P sic corr.)*; *E* virgam; *K* virgas. η) *CLOQR* omnipotens est; [D.] *AP* omniapotens est *(in A a eras.)*. ϑ) *DFGHIKL* contaminet.

XXIX. SI DEBEANT ITERUM RECIPI FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO.[α]

Frater qui proprio vitio egreditur[β] de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii[γ] pro quo egressus est, et[δ] sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc eius humilitas comprobetur.

Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur iam postea sciens[ε] omnem sibi reversionis aditum denegari.

XXX. DE PUERIS MINORI AETATE QUALITER CORRIPIANTUR.

Omnis aetas vel intellectus proprias debet habere mensuras; ideoque quoties pueri vel adolescentiores aetate aut qui minus intelligere possunt, quanta poena sit excommunicationis, — hi tales, dum delinquunt, aut ieiuniis nimiis affligantur aut acris[ζ] verberibus coerceantur, ut sanentur.

XXXI. DE CELLARARIO MONASTERII QUALIS SIT.[η]

Cellararius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis[ϑ] moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater.

Curam gerat de omnibus; sine iussione abbatis nihil faciat; quae iubentur custodiat. Fratres non contristet; si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiat memor semper illud apostolicum, quia »qui bene ministraverit,

---

α) *A* Si debeant iterum de monasterio recipi fratres exeuntes; *Q* Si debeat iterum recipere etc. β) *DEFGHIKLOQ add.* aut proiicitur *(in R eras., in C rec. man. addit.)*. [D.] γ) *AB om.* vitii. δ) *OQR om.* et. [D.] ε) *CDFGHIKL* sciat. ζ) *FKOQ* acribus *(P sic corr.)*. η) *BDIKQ om.* qualis sit *(in CL rec. man. add.)*. ϑ) *DKL (I 1ª m.)* maturus.

gradum bonum sibi acquirit.« Infirmorum, infantum, hospitum pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die[α] iudicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat; nihil ducat negligendum; neque avaritiae studeat neque prodigus sit et[β] stirpator[γ] substantiae monasterii, sed omnia mensurate faciat et secundum iussionem abbatis.

Humilitatem ante omnia habeat, et cui non est substantia[δ] quod[ε] tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: »Sermo bonus super datum optimum.« Omnia quae ei iniunxerit abbas, ipsa habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non praesumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho[ζ] vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii, quid mereatur »qui scandalizaverit unum de pusillis.«

Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, a quibus adiutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum.

Horis competentibus et[η] dentur quae danda sunt, et petantur quae petenda sunt, ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei.

XXXII. DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII.

Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus — praevideat[θ] abbas fratres de quorum vita et moribus[ι] securus sit, et eis singula, ut utile iudicaverit, consignet custodienda[κ] atque recolligenda. Ex

---

α) *AB* in diem *(in A* m *eras.)*. β) *OQR om.* et; [D.] *FGHK* aut. γ) *KP* exstirpator. δ) *A 1ª m.* cui non est quod tribuatur ex substantia *(corr. ut in textu)*; *E* ex substantia (*L sic corr.*); *GP* cui non est ex substantia. ε) *DFHIK* quae. ζ) *AEFIKLOPQ* typo. η) *FGHKQ om.* et. θ) *BGHKQR* provideat. ι) *OR* vitae moribus (*O corr. ut in textu*). κ) *OQR* constituenda. [D.]

quibus abbas brevem teneat, ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim[α] succedunt, sciat quid dat aut quid[β] recipit.

Si quis autem[γ] sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur; si non emendaverit, disciplinae regulari subiaceat.

XXXIII. SI QUID DEBEANT MONACHI[δ] PROPRIUM HABERE.

Praecipue hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio. Ne quis praesumat aliquid dare aut accipere sine iussione abbatis neque aliquid habere proprium — nullam omnino[ε] rem, neque codicem neque tabulas neque graphium, sed nihil omnino — quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria voluntate[ζ], omnia vero necessaria a patre sperare monasterii. Nec quidquam liceat habere quod abbas non[η] dederit aut permiserit; omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est[ϑ]; nec quisquam suum aliquid[ι] dicat vel praesumat.

Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admonitus[κ] semel et iterum si non emendaverit, correptioni subiaceat.

XXXIV. SI OMNES AEQUALITER DEBENT[λ] NECESSARIA ACCIPERE.

Sicut scriptum est: »Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.« Ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit sed infirmitatum consideratio; ubi qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur; qui

---

α) *BCOQR* vicibus. [D.] β) *FILOR* et quid. γ) *OQ* aut. [D?] δ) *AFGLQR* debeat monachus. ε) *OQR om.* omnino. [D.] ζ) *HKL* potestate. η) *FO* aut non; *APR* non aut (*corr. ut in textu*). ϑ) *A add* erant illis omnia communia. ι) *ACGHIL add.* esse. κ) *AE* admoneatur; *R* admonetur. λ) *DEHKLQR* debeant (*AP sic corr.*).

vero plus indiget[α], humilietur pro infirmitate, non[β] extollatur pro misericordia: et ita omnia membra erunt in pace.

Ante[γ] omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat; quod si[δ] deprehensus[ε] fuerit[ζ], districtiori disciplinae subdatur.

XXXV. DE SEPTIMANARIIS COQUINAE.

Fratres sibi invicem serviant, ut[η] nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudo[ϑ] — aut in causa gravis utilitatis fuerit quis occupatus, quia exinde maior merces et caritas[ι] acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant — sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, cellararius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, maioribus utilitatibus occupantur; ceteri sibi sub caritate invicem serviant.

Egressurus de septimana sabbato munditias faciat, lintea cum quibus sibi fratres manus aut[κ] pedes tergent[λ], lavent[μ] (pedes vero tam ipse qui egreditur quam ille qui intraturus est omnibus lavent.) Vasa ministerii sui munda et sana cellarario reconsignet[ν]; qui cellararius iterum[ξ] intranti consignet, ut sciat quod dat aut quod[ο] recipit. — Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulas biberes[π] et panem, ut

---

α) *O om.* indiget. β) *DFHQ* et non (*O* et *in marg.*). γ) *Q om.* Ante omnia *et reliqua huius capitis.* δ) *I add.* quis. ε) *DK add.* quis, *FG* qui. ζ) *O add* aliquis. η) *ADEFG* et; *in P* et *sup. lin.* ϑ) *BDEFGHIKL* aegritudine (*AOP sic corr.*). ι) *In CO* et caritas *rec. man. addit.*, *in P delet.*; *R* acquiritur et caritas. [D.] κ) *ADGP* ac. λ) *BCDFGHKLQ* tergunt; *E* tergant. μ) *DEFGHKR* lavet (*A sic corr.*). ν) *OQ* resignet. [D?] ξ) *BCDKL* item. ο) *AEFGLPR* quid dat aut quid. π) *HOQR* singulos sibi biberes (*O* bibere et pane). [D.]

hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis; in diebus tamen solemnibus usque ad missas sustineant. — Intrantes et exeuntes hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis dominica omnium genibus provolvantur postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat[α] hunc versum: »Benedictus es, Domine Deus, qui adiuvasti[β] me et consolatus es me;« quo dicto tertio accipiat benedictionem[γ] egrediens. Subsequatur[δ] ingrediens et[ε] dicat: »Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuvandum me festina;« et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, et accepta benedictione ingrediatur.

XXXVI. DE INFIRMIS FRATRIBUS.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo ita eis serviatur, quia ipse dixit: »Infirmus fui, et visitastis me«, et: »Quod fecistis uni de his minimis meis[ζ], mihi fecistis.« Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi; qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. — Ergo cura maxima sit abbati, ne aliquam negligentiam patiantur.

Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata et servitor timens Deum et diligens ac sollicitus. Balnearum usus infirmis quoties expedit offeratur (sanis autem et maxime iuvenibus tardius concedatur). Sed et carnium esus infirmis[η] omnino debilibus[θ] pro reparatione concedatur; at ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant.

α) *BCDFIKLPQ* egredientes ... dicant (*BL* dicat). β) *Sic omnes codd.* γ) *AEP* accepta benedictione. δ) *BCDF add.* autem. ε) *OQR om* et. [D.] ζ) *BEI om.* meis. η) *K add.* et. θ) *CDEFGHILP* debilibusque *(AB sic corr.).*

Curam autem maximam habeat abbas, ne a cellarariis aut a[α] servitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum[β] respicit quidquid a discipulis delinquitur.

XXXVII. DE SENIBUS VEL INFANTIBUS.

Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his aetatibus, senum videlicet et infantum, tamen et regulae auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio regulae teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, et praeveniant horas canonicas.

XXXVIII. DE HEBDOMADARIO LECTORE.

Mensis[γ] fratrum edentium[δ] lectio deesse non debet. Ne[ε] fortuito casu quis[ζ] arripuerit codicem legere[η] ibi; sed lecturus tota hebdomada dominica ingrediatur. — Qui ingrediens post missas et communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis; et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus ipso tamen incipiente: »Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam;« et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum.

Et summum[ϑ] fiat silentium, ut nullius mussitatio vel vox nisi solius legentis ibi audiatur. Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus, sic sibi vicissim[ι] ministrent fratres[κ], ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen

---

α) *FGHIOQR (A 1a m.) om.* a [D.] β) *ABE (om.* quia ad) et ipsum; *QR om.* quia. γ) *CLOR* mensa (*in CLO mut. in* mensae); *Q* mensas. [D.] δ) *AB* edentium *recent. manu addit.* ε) *ACDHIK* nec *(LO sic corr.)* ζ) *BCDEFGHIKLQ* qui. η) *CDEFGHIKL add.* audeat. ϑ) *CDFGHIKL* Summumque. ι) *CLOQR* vicibus. [D.] κ) *O* fratres ministrent.

opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potius petatur quam voce; nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio; nisi forte prior pro aedificatione voluerit aliquid breviter dicere.

Frater autem lector[α] hebdomadarius accipiat mixtum, priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam et ne forte grave sit ei ieiunium sustinere; postea autem cum coquinae hebdomadariis et servitoribus reficiat.

Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui aedificent[β] audientes.

XXXIX. DE MENSURA CIBUS.[γ]

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextae quam nonae omnibus mensis[δ] cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitatibus[ε], ut forte qui ex illo[ζ] non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerit, unde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium. Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio sive prandii et coenae. Quod si coenaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellarario servetur[η] reddenda coenandis.[ϑ] — Quod si labor forte factus fuerit maior, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat aliquid augere remota prae omnibus crapula, et[ι] ut numquam subripiat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni christiano quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: »Videte, ne graventur corda vestra in[κ] crapula.«

α) *OQR om.* lector *(in CL rec. manu addit.)* [D.] β) *AE* aedificant; *C* aedificet. γ) *EIPR* cibi; *Q* cibis; *CDFGHKL* ciborum. δ) *CEIKL* mensibus *(G sic corr.)*. ε) *Sic ABOPR.* ζ) *O* ex illo uno; *CDFGHIKLPQR* ex uno. [D?] η) *CDFHILP* reservetur. ϑ) *CDFGHIKL* coenaturis. ι) *CEHIOQR om.* et. [D] κ) *AOR om* in.

Pueris vero minore aetate non eadem servetur quantitas sed minor quam maioribus, servata in omnibus parcitate.

Carnium vero quadrupedum omnimodo[α] ab omnibus abstineatur comestio[β] praeter omnino debiles et[γ] aegrotos.

XL. DE MENSURA POTUS.

»Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic;« et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur; tamen infirmorum contuentes imbecillitatem[δ] credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant. — Quod si aut loci necessitas vel[ε] labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus, ne subrepat[ζ] satietas aut ebrietas.

Licet legamus vinum omnino monachorum non esse[η], sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus sed parcius, quia »vinum apostatare facit etiam sapientes.«[ϑ] Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit sed multo minus aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent[ι], hoc ante omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint.

α) DFGHIKLOQ omnino *(in R rasura)*. [D.] β) Q commixtio; *in O* comestio *2ª manu addit.*, *in R erasum*. [D?] γ) *B om.* et *(in A rec. manu addit.)*. δ) O cogitantes continentiae imbecillitatem. ε) CDFHIOQ aut. [D?] ζ) BCEG subripiat. η) A non esse monachorum; CEIOR monachorum omnino non esse *(L sic corr.)*. ϑ) Q *add.* et alibi: »Nolite inebriari vino in quo est luxuria.« ι) O benedicat ... habitet . . . murmuret *(in marg.* n *ter additum est)*.

XLI. QUIBUS HORIS OPORTET[α] REFICERE.[β]

A sancto pascha usque ad pentecosten ad sextam reficiant fratres et ad seram[γ] coenent. A pentecosten autem tota aestate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas aestatis non perturbat, quarta et sexta feria ieiunent usque ad nonam; reliquis diebus ad sextam prandeant. Quae prandii sexta, si operas in agris habuerint, aut aestatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit providentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter et animae salventur, et quod faciunt fratres absque iusta[δ] murmuratione faciant. Ab idus[ε] autem septembris usque ad caput quadragesimae ad nonam semper reficiant. In quadragesima vero usque in pascha ad vesperam[ζ] reficiant. Ipsa tamen[η] vespera sic agatur, ut lumen lucernae non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed et omni tempore sive coena[θ] sive refectionis[ι] hora sic temperetur[κ], ut luce fiant omnia.

XLII. UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR.[λ]

Omni tempore silentium[μ] debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore sive ieiunii sive prandii: si tempus fuerit prandii, mox[ν] surrexerint a coena, sedeant omnes in unum[ξ], et legat unus Collationes vel Vitas patrum aut certe aliud[ο] quod aedificet audientes (non autem[π] Heptaticum aut Regum, quia

---

α) *DGHIQ* oporteat. β) *CDEFHIKQR add.* fratres. γ) *AB* et sera; *in P* ad seram *mut. in* sero. δ) *OPR om.* iusta. [D?] *CDEFGHILQ* ulla. ε) *Sic ABEOPR.* ζ) *CDILO* ad vesperum. η) *FIOQR* autem *(L sic corr.).* [D.] θ) *DEFGHIKLQR* coenae. ι) *OP add.* sit. κ) *C* sive prandii sive coenae sic temperetur refectionis hora, ut. λ) *O tit.* De silentio. μ) *HIKOQ* silentio *(P sic corr.).* ν) *DEFGHIKLPQ* mox ut *(in ACO* ut *rec. manu addit.).* ξ) *CEQ add.* locum; *OR* in uno loco *(P sic corr.).* [D.] ο) *CDEFLOPQ* aliquid. π) *IOQ om.* non autem. [D.]

infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire; aliis vero[α] horis legantur) — si autem ieiunii dies fuerint[β], dicta vespera parvo intervallo mox accedant ad lectionem Collationum, ut diximus; et lectis quatuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit, omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis si[γ] quis[δ] forte in assignato sibi commisso fuit occupatus, — omnes ergo in unum positi compleant, et exeuntes a completoriis nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.

Quod si inventus fuerit quisquam hanc praevaricari taciturnitatis regulam, gravi[ε] vindictae subiaceat; excepto si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid iusserit; quod tamen et ipsud cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat.

XLIII. DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT.

Ad horam divini officii mox auditum fuerit signum, relictis omnibus quaelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas[ζ] inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei praeponatur.

Quod si quis in nocturnis vigiliis post »Gloriam« psalmi nonagesimi quarti[η], quem propter hoc omnino subtrahendo et morose volumus dici, occurrerit, non stet in ordine suo in choro sed ultimus omnium stet aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit abbas, ut videantur ab ipso vel ab omnibus, usque dum completo opere Dei publica satisfactione poeniteat. Ideo autem eos in ultimo aut seorsum iudicavimus debere stare, ut visi ab omnibus

---

α) *O om.* vero. β) *BDHQ* fuerit. γ) *CO* nisi *(in R* ni *eras. est).* [D.] δ) *AB* qui. ε) *CDEFGHKLP* graviori. ζ) *IOQR* scurrilitatis *(L sic corr.).* [D.] η) *OQ add.* Venite exultemus Domino.

vel pro ipsa verecundia sua emendent.[α] Nam si foris oratorium[β] remaneant, erit forte talis qui se aut recollocet[γ] et dormit[δ] aut certe sedet sibi foris vel fabulis vacat, et datur occasio maligno; — sed ingrediatur[ε] intus[ζ], ut nec totum perdat et de reliquo emendet. — Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum et »Gloriam« primi psalmi qui post versum dicitur, non[η] occurrerit, lege qua supra diximus, in ultimo stet nec praesumat sociari choro psallentium usque ad satisfactionem, nisi forte abbas licentiam dederit permissione[θ] sua, ita[ι] tamen ut satisfaciat reus ex hoc.

Ad mensam autem qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes accedant ad mensam — qui per negligentiam suam[κ] aut vitio non occurrerit, usque ad secundam vicem pro hoc[λ] corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensae communis participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus sublata ei portione sua de vino[μ] usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter autem patiatur qui et[ν] ad illum versum non fuerit praesens qui post cibum dicitur.

Et[ξ] ne quis praesumat ante statutam horam vel postea quidquam cibi aut potus praesumere.[ο] — Sed et cui offertur

---

α) *DEFGHIKL* emendentur. β) *DFGHLOPQR* oratorio. [D.] γ) *EFIQR* collocet. δ) *CEFHIKP* dormiat . . . . sedeat; *QR* dormiat . . sedit (*etiam AO* sedit). ε) *AKOPQR* ingrediantur . . perdant . . . emendent (*K* emendentur). ζ) *FGHI* intro (*ACDP sic corr.*). η) *DGIKL om.* non (*in B eras est*). θ) *ABP* remissione, (*in P scriptum fuisse videtur* repromissione); *Q* per missionem suam. ι) *COQR om* ita tamen . . . . occurrerit; (*in CO rec. manu. addita sunt*). *Sequentem partem incipiunt* Et simul omnes. [D.] κ) *COQR om.* per negligentiam suam; *C* qui vero non, *O* (e)t (qui) vitio, *Q* si quis aut tarditate aut vitio. *R* ut si q - - - vitio; [D.] *DFGHIKLP* aut vitium. λ) *OQ* pro id (*in R* id *eras.*) [D.] μ) *AB* portione sua vinum; *OQ* vini. ν) *CEIOQR om.* et. [D.] ξ) *EFGHOQR om.* Et. (*in AL rec. manu addit*) [D.] ο) *CIKOQ* sumere, *GHL* percipere.

aliquid a priore, et accipere renuit[α], hora qua desideraverit hoc quod prius recusavit aut[β] aliud, omnino nihil percipiat[γ] usque ad emendationem congruam.

XLIV. DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR QUOMODO SATISFACIANT.[δ]

Qui pro gravioribus culpis[ε] ab oratorio et a mensa excommunicantur[ζ]: hora qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorii prostratus iaceat[η] nihil dicens nisi tantum posito in terra capite stratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus.[θ] Et hoc tamdiu faciat, usque dum abbas iudicaverit satisfactum esse. Qui dum iussus ab abbate venerit, volvat se ipsius abbatis[ι] deinde omnium vestigiis[κ], ut orent pro ipso. Et tunc, si iusserit abbas, recipiatur in choro vel ordine quo abbas decreverit; ita sane[λ], ut psalmum aut lectionem vel aliud quid non praesumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur[μ] opus Dei, proiiciat se in terra in loco quo stat. Et sic satisfaciat, usque dum ei iubeat iterum[ν] abbas, ut quiescat iam ab hac satisfactione.

Qui vero pro levibus[ξ] culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad iussionem abbatis. Hoc perficiant, usque dum benedicat et dicat: Sufficit.

α) *CDEFGHIKLP* renuerit (*O sic corr.*). β) *OQR om.* aut (*in CL rec manu addit.*). [D.] γ) *CDFIKLOQR* accipiat. [D.] δ) *DIP* satisfaciunt. ε) *CFGI* (*L 1ª m.*) gravi culpa (*P sic corr.*); *BR* (*OP 1ª m.*) gravibus culpis (*L sic corr.*). ζ) *DFGHIKLQ* excommunicatur. η) *OQR add.* et. [D.]. θ) *QR add.* provolvatur. ι) *CDEFGKLP add.* pedibus; *HQ* ante pedes ipsius abbatis. κ) *CDEFGHIKLP add.* fratrum. λ) *CFGKOQR* (*P 1ª m.*) plane. [D.] μ) *AIR* percompletur (*in P* per *eras.*). ν) *HOPR om.* iterum. [D.] ξ) *AQ* levioribus.

XLV. DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO.

Si quis, dum pronuntiat psalmum[α], responsorium aut[β] antiphonam vel lectionem, fallitus fuerit[γ], nisi satisfactione[δ] ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictae subiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit. — Infantes autem[ε] pro tali culpa vapulent.[ζ]

XLVI. DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS[η] DELINQUUNT.

Si quis, dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in monasterio[ϑ], in pistrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit aut fregerit quidpiam aut perdiderit vel aliud quid excesserit ubiubi[ι], et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum: dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.[κ]
Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritalibus senioribus patefaciat[λ], qui sciant curare et[μ] sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

XLVII. DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

Nuntianda hora[ν] operis Dei die noctuque sit cura abbatis[ξ] aut ipse nunciare aut tali[ο] sollicito fratri iniungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur.

α) *CHOQ add.* aut. β) *AB om.* aut. γ) *CDFGHI* fallitur *(P sic corr.)*. δ) *FHIK* per satisfactionem *(C sic corr.)*. ε) *IQR om.* autem; *CHO* vero. [D.] ζ) *OQ* vapulant. η) *CEGOQR* in aliquibus (*CGO add.* levibus; *Q add.* levioribus) rebus (*E* causis) delinquunt (*OQ* delinquant). ϑ) *L* monisterio; *BCDFGP* ministerio. ι) *FO* ibi; *QR* ubi; *DILP* ubi et ubi. κ) *OQR* emendationi animae venia (*QR* veniam). Peccati causa si fuerit latens ... [D.] λ) *BQR* patefaciant. μ) *AFG om.* et. ν) *K* Nuntiandae horae ... sit cura abbati, ut aut ipse nuntiare debeat aut ... ξ) *OQR* die noctuque sub cura (*Q* sit) abbatis. [D.] ο) *O* tam.

Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo quibus iussum fuerit imponant. Cantare autem et legere non praesumat[α] nisi qui potest ipsud officium implere, ut aedificentur audientes (quod cum humilitate et gravitate et tremore fiat[β],) et cui iusserit abbas.

XLVIII. DE OPERA MANUUM QUOTIDIANA.[γ]

Otiositas inimica est animae, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari: id est ut a pascha usque ad kalendas octobris a[δ] mane exeuntes a prima usque horam pene quartam[ε] laborent quod necessarium fuerit; ab hora autem quarta usque horam[ζ] qua sextam agent[η], lectioni vacent. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lecta sua cum omni silentio, aut forte qui voluerit legere sibi, sic[θ] legat, ut alium non inquietet. Et[ι] agatur nona temperius, mediante octava hora, et iterum[κ] quod faciendum est operentur usque ad vesperam. — Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges recolligendas[λ] per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt sicut et patres nostri et apostoli. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

α) *BQR* praesumant. β) *O rec. manu* fiat *in* faciat *mut.* γ) *CDFGHIKL* De opere manuum quotidiano; *PR* De opera ... quotidianum. δ) *CFKQ om.* a, *in DP erasum est.* ε) *AOQR (LP 1a m.)* a prima hora usque pene (*O* pene usque) quarta (*ALR* quartam, *P sic corr.*). ζ) *ABPQ* hora. η) *A* quasi sexta agent', *B* quasi sexta agente; *PR* quasi sextam agentem; *DGHK* quasi sextam; *CEFIL* horam sextam. *Ex tanta varietate elegimus eam lectionem quae sensum, de quo non est dubium, clarius exprimit; habetur in O et Q.* θ) *FGH* sibi legere sic; *O* sic sibi. ι) *CDFGILOR om.* et. κ) *OQ* et ideo quod (*R* et ic - - quod). [D.] λ) *FGHILOQR* colligendas. [D.]

A kalendis autem octobris usque ad caput quadragesimae usque in hora secunda plena[α] lectioni vacent; hora secunda agatur tertia, et usque[β] nonam omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horae nonae disiungant[γ] ab opere suo[δ] singuli et sint parati, dum secundum signum pulsaverit.[ε] Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis.

In quadragesimae vero diebus a mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis et usque decimam horam plenam operentur quod eis iniungitur. — In quibus diebus quadragesimae accipiant omnes singulos codices de bibliotheca quos per ordinem ex integro legant, qui codices in caput[ζ] quadragesimae dandi sunt. Ante omnia sane deputentur[η] unus aut duo seniores qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni, et videant, ne forte inveniatur frater acediosus qui vacat otio aut fabulis et non est intentus lectioni et non solum sibi inutilis est sed etiam alios distollit.[θ] Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel et secundo; si non emendaverit, correptioni regulari subiaceat[ι] taliter, ut ceteri timeant. — Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. — Dominico item die lectioni vacent omnes excepto[κ] his qui variis officiis deputati sunt.

Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit, ut non velit aut non possit meditare aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, ut[λ] non vacet.

α) *DEFGHIKLOQR* horam secundam plenam. β) *HOPQ* usque ad (*O om.* ad) horam nonam. [D.] γ) *AB* deiungant; *FKOQ* disiungant se. δ) *AB* (*KP 1ª m*) ab opera sua. ε) *In OQR post* pulsaverit, (*in ABL in marg.*) *legitur* Mox ut auditum fuerit signum (*Q* auditus ... signus) relictis omnibus quaelibet (*L* in manibus. *AB* fuerint in manibus) summa cum festinatione curratur [D.] ζ) *DGHKL* in capite. η) *BFIKLOQ* deputetur. θ) *CDEFGHILOQR* extollit. ι) *FILPQ add.* et (*in DG et s. l*). κ) *CDEFGHIKLQ* exceptis (*O sic corr.*). λ) *DGO* et.

Fratribus infirmis aut delicatis talis opera[α] aut ars iniungatur, ut nec otiosi sint nec violentia laboris opprimantur aut effugentur; quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

XLIX. DE QUADRAGESIMAE OBSERVATIONE.

Licet omni tempore vita monachi quadragesimae debet observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus quadragesimae omni puritate vitam suam[β] custodire, omnes pariter et[γ] negligentias aliorum temporum[δ] his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitiis temperamus[ε], orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni cordis atque abstinentiae operam damus.[ζ]

Ergo his diebus augeamus nobis aliquid solito penso[η] servitutis nostrae: orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, ut[θ] unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate »cum gaudio sancti Spiritus« offerat Deo (id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate,) et cum spiritalis desiderii gaudio sanctum pascha exspectet.[ι] Hoc ipsud tamen quod unusquisque offerit[κ], abbati suo suggerat, et cum eius fiat oratione et voluntate; quia quod sine permissione[λ] patris spiritalis fit[μ], praesumptioni deputabitur et vanae gloriae, non mercedi. Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.

α) *O* tale opus (*P sic corr.*). β) *DHKP om.* suam. γ) *DFGHLPQ om.* et. δ) *OQR om.* aliorum temporum. [D.] ε) *DFGHIK (L 1ª m.)* temperemus. ζ) *CDEFGHIO (LP 1ª m.)* demus. η) *DGHIK* ad solitum pensum; *C* a solito penso. θ) *BO om.* ut. ι) *O* spectet. κ) *DEFGHIKL* offert; *BR* offeret; *Q* offerat. λ) *QR om.* permissione. μ) *CFIO* quod sine patris spiritualis fit (*F* fiat) voluntate (*O* voluntate fit). *In P post* fit *erasum est* voluntate; permissione *suo loco habetur.* [D.]

L. DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT AUT IN VIA SUNT.

Fratres qui omnino longe sunt in labore[α] et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium — et abbas hoc perpendit, quia ita est — agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua.

Similiter qui in itinere directi sunt, non eos praetereant horae constitutae; sed ut possunt agant sibi[β] et servitutis pensum non negligant reddere.

LI. DE FRATRIBUS QUI NON LONGE SATIS PROFICISCUNTUR.

Frater[γ] qui pro quovis responso dirigitur et ea die speratur reverti ad monasterium, non praesumat foris manducare, etiamsi omnino[δ] rogetur a quovis[ε], nisi forte ei ab abbate suo[ζ] praecipiatur. — Quod si aliter fecerit, excommunicetur.

LII. DE ORATORIO MONASTERII.

Oratorium hoc sit quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant — et agatur[η] reverentia Deo — ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. — Sed et si alter[θ] vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret et oret, non in clamosa voce sed in lacrimis et intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur explicito[ι] opere Dei remorari[κ] in oratorio[λ], sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

α) *EIOQR om.* in labore. [D.] β) *DP* ibi; *Q add.* suum cursum. γ) *FGHL* fratres, *et sic num. plural. per totum caput.* δ) *CFGILOQ om.* omnino. [D.] ε) *DFGHILOQR* a quovis rogetur; [D.] *C* a quovis rogatus; *K* rogetur omnino a quovis. ζ) *CFGOQ* ab abbate suo ei (*FG* eis). η) *B* habeatur (*A sic corr.*, *1a m.* adeatur; *in K* agatur *sup. ras.*). θ) *BFQ* aliter. ι) *BDEHLPQR* expleto. κ) *AQ* rememorari; *C* remanere; *in P* remorari *sup. ras.* λ) *CIOQR om.* in oratorio (*in L delet.*). [D.]

LIII. DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS.

Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: »Hospes fui, et suscepistis me;« et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis.

Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a priore vel a fratribus cum omni officio caritatis; et primitus orent pariter et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur nisi oratione praemissa propter illusiones diabolicas. In[α] ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus: inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra[β] Christus in eis adoretur qui et suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, et postea sedeat cum eis prior aut cui[γ] iusserit ipse. Legatur coram hospite[δ] lex divina, ut aedificetur, et post haec omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium a priore frangatur propter hospitem, nisi forte praecipuus sit dies ieiunii qui non possit violari; fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur. Aquam[ε] in manibus abbas hospitibus det; pedes[ζ] hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet; quibus lotis hunc versum dicant: »Suscipimus[η] Deus misericordiam tuam in medio templi tui.« — Pauperum et peregrinorum maxime[θ] susceptioni[ι] cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus[κ] suscipitur; nam divitum terror ipse sibi exigit[λ] honorem.

α) *B om.* in. β) *FR* in terram; *O om.* in terra. γ) *O* quem. δ) *C* coram hospitibus . . . aedificentur . . . eis . . . propter hospites. ε) *ABO* aqua. ζ) *FGH add.* vero; *KQ add.* autem. η) *CDEFGHIKLPQ* suscepimus. θ) *OQR om.* maxime. [D.] ι) *CR* susceptione; *KQ* susceptionis; *DFGI* susceptionum. κ) *CHIOPQ* Christus magis [D?]. λ) *DHIPQ* exigit (*P* exiget) sibi.

Coquina abbatis et hospitum super[α] se sit, ut incertis horis supervenientes hospites qui numquam desunt monasterio, non inquietentur[β] fratres. In qua coquina[γ] ad annum ingrediantur duo fratres qui ipsud officium bene impleant. Quibus ut indigent solatia administrentur[δ], ut absque murmuratione serviant; et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant ubi eis imperatur[ε] in opera.[ζ] (Et non solum ipsis[η] sed et in omnibus officiis monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent solatia accomodentur eis, et iterum quando vacant, obediant imperatis.[θ]) Item et cellam[ι] hospitum habeat assignatam frater cuius animam timor Dei possidet[κ]; ubi sint lecti strati sufficienter, et domus Dei a sapientibus et[λ] sapienter administretur.

Hospitibus autem cui non praecipitur nullatenus societur neque colloquatur; sed si obviaverit[μ] aut viderit, salutatis humiliter, ut diximus[ν], et petita benedictione pertranseat dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

LIV. SI DEBEAT[ξ] MONACHUS LITERAS VEL ALIQUID[ο] SUSCIPERE.[π]

Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis neque a quoquam hominum nec sibi invicem literas[ρ], eulogias vel quaelibet munuscula accipere aut dare sine prae-

α) *DEHK* per. β) *DFGHKLPQ* inquietent. γ) *DFGHLQR* in quam coquinam. δ) *CFGOQR* ministrentur. [D.] ε) *BP* imperatum fuerit *(L sic corr.)*. ζ) *DGIR* in opere. η) *DFGHIK* in ipsis; *O* in istis verum in omnibus; *QR* ab ipsis. θ) *DFGHK* imperanti; *LQ* imperantis; *R* imperantibus. ι) *C* idem et cella hospitum habeat assignatum fratrem. κ) *CH* possideat *(KO sic corr.)*. λ) *CDEFGHILOQ om.* et. μ) *ABK* obviaverint. (*K* aut viderint). ν) *DH (L 1ª m.)* dictum est. ξ) *DH* An debeat; *EFGI* Ut non debeat *(L sic corr.)*. ο) *EFGHI* eulogias; *K* literas, eulogias vel aliquid *(L sic corr.)*. π) *DP* accipere. ρ) *DGR (L 2ª m) add.* aut.

cepto abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei[α] quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. Quod si iusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui illud iubeat dari[β]; et non contristetur frater cui forte directum fuerat, ut non detur occasio diabolo. — Qui autem aliter praesumpserit, disciplinae regulari subiaceat.

LV. DE VESTIARIO ET[γ] CALCEARIO FRATRUM.[δ]

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant vel aerum temperiem[ε] dentur[ζ], quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Haec ergo consideratio penes[η] abbatem est.

Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam et tunicam (cucullam in hieme vellosam, in aestate puram aut vetustam,) et scapulare propter opera, indumenta pedum pedules et caligas. De quarum rerum omnium[θ] colore aut grossitudine non causentur monachi; — sed quales inveniri[ι] possunt[κ] in provincia qua habitant[λ], aut quod vilius comparari potest.[μ] Abbas autem de mensura provideat[ν], ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea sed mensurata.

Accipientes nova vetera semper reddant in praesenti reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes et propter[ξ] lavare ipsas res; iam quod supra

---

α) *O* eis . . . praesumant. β) *AFGOR* dare. γ) *ABP* vel. δ) *CFGL* De vestiariis et calceariis fratrum *(B sic corr.)*; *HK* De vestimentis et calceamentis. ε) *ABP* temperie; *C* temperies. ζ) *A 1ª m.* dantur. η) *OPQ* apud; *R* consideratio abbate est. θ) *EFGI* omnino; *CD om* rerum omnium. ι) *COQR* invenire. [D.] κ) *CP* possint. λ) *BEKP* degunt *(A sic corr.)*. μ) *OQR* comparare possunt *(A sic corr.)*. [D.] *K (A 1ª m.)* possit. ν) *CEFGIP* praevident. ξ) *C 1ª m.* pro *(L sic corr.)*; *F* propter lavationem.

fuerit superfluum est[α], amputari debet. Et pedules et quodcumque est vetere[β] reddant, dum accipiunt novum.

Femoralia hi qui in via diriguntur de vestiario accipiant, quae[γ] revertentes lota ibi restituant. Et cucullae et tunicae sint aliquanto a solito quas habent[δ] modice meliores; quas exeuntes in via accipiunt de vestiario et revertentes restituant.

Stramenta autem lectorum sufficiant[ε] matta, sagum et lena et capitale. Quae tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda[ζ] sunt propter opus peculiare ne inveniatur. Et si cui inventum fuerit quod ab abbate non accepit[η], gravissimae disciplinae subiaceat. Et ut hoc vitium peculiaris[ϑ] radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quae sunt necessaria, id est cuculla, tunica, pedules, caligae, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulae, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quia »dabatur singulis, prout cuique opus erat.« Ita ergo et abbas consideret infirmitates indigentium, non[ι] malam voluntatem[κ] invidentium; in omnibus tamen iudiciis suis Dei retributionem cogitet.

LVI. DE MENSA ABBATIS.

Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis[λ] sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus

---

α) *C om.* supra *et* est; *GHK* et amputari. β) *AO (L sup. ras.)* vetera; *C* veteres; *FGHI (L 1ª man. D sup. lin. et ras.)* vetustum; *K* vetus — (*ras.*) *(P sic corr.)*. γ) *CDIOQR* qui. [D.] δ) *D (L 1ª m.)* his quas habere soliti sunt; *I (P 1ª m.?)* solito quam eas quas habent. ε) *OR (L 1ª m.)* sufficiat; *E om.* sufficiant. ζ) *OQ* scrutinanda *(in B* - in -, *in P totum vocabulum erasum est, in A rec. man.* - tinandi.). η) *EFGHIKOQR* acceperit. [D.] ϑ) *GHLPQ* peculiare *(K sic corr.)*. ι) *DO* et non. κ) *OR* mala voluntate. λ) *CEFGIKLOPR* cum peregrinis et hospitibus. [D?]

vocare in ipsius sit potestate; seniores[α] tamen — unum[β] aut duos[γ] — semper cum fratribus dimittendum[δ] propter disciplinam.

LVII. DE ARTIFICIBUS[ε] MONASTERII.

Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate[ζ] faciant ipsas artes, si[η] permiserit abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis erigatur[θ] ab ipsa arte et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas iubeat.

Si quid vero ex operibus artificum venumdandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sint[ι], ne aliquam fraudem[κ] praesumant inferre[λ]; memorentur semper Ananiae et Saphirae, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. — In ipsis autem pretiis non subripiat avaritiae malum, sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis saecularibus dari potest[μ], »ut in omnibus glorificetur[ν] Deus.«

LVIII. DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM.

Noviter veniens quis ad conversionem[ξ], non ei facilis tribuatur ingressus; sed, sicut ait[ο] apostolus, »probate spi-

---

α) *O* senior; *QR (D 1ª m.?)* seniorem; *D* seniori. β) *A* uno; *O* unus. γ) *AEP* duo *(O sic corr.)*. δ) *C* dimitti debet; *F* dimittendo; *O corr.* dimittendi sunt; *D add.* curet; *EGH add.* procuret. ε) *A* De artifices. ζ) *DGH add.* et reverentia. η) *KL* si tamen. θ) *C (O in marg.)* segregatur; *DHLR (G s. lin.)* evellatur; *IQ* eligatur; *O* egrediatur. ι) *DFGHIKLPQ* sunt (*A sic corr.*). κ) *OQR* aliqua fraude. [D.] λ) *ACOQR om.* inferre; [D.] *B add.* monasterio. μ) *CDEGHLOQ* datur *(in R post* da — *rasura habetur.* ν) *B* honorificetur. ξ) *CEFKOQ* conversationem. ο) *O om.* ait.

ritus, si ex Deo sunt.« Ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus.

Postea autem sit in cella novitiorum ubi meditet et manducet et dormiat.[α] Et senior ei[β] talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eos[γ] omnino curiose intendat et sollicitus[δ] sit, si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Praedicentur[ε] ei omnia dura et aspera per quae[ζ] itur ad Deum. Si[η] promiserit de stabilitatis suae perseverantia, post duorum mensuum[ϑ] circulum legatur ei haec regula per ordinem, et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam[ι] cellam novitiorum et iterum probetur in omni patientia.[κ] Et post sex mensuum circuitum[λ] relegatur[μ] ei regula, ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur[ν] ei eadem regula. — Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione sciens et lege[ξ] regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio nec collum excutere de sub iugo regulae quem[ο] sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare[π] aut suscipere.

α) *AB* meditent et manducent et dormiant. β) *ABR* eis γ) *DEFGHIKL* eum. δ) *BE* sollicitudo. ε) *COR* praedicantur. ζ). *OR* aspera qua (*R* quae). η) *DFGHIKL* Et si. ϑ) *Sic ABCOQR.* ι) *COR* superdictam. κ) *B* patientia et doctrina. λ) *DFGHIKL* circulum. μ) *AEKOR* legatur. ν) *DEFGHILOQR* legatur. [D.] ξ) *CDFGHILQR* sciens se (*H* sub, *R* e) lege (*O sic corr.*); *K* sciens sibi ex lege; *O* sciens (*sup. lin.* s) e (*ras. 1. lit.* sub *in marg.*) lege. ο) *OQR* regulae quia sub; [D.] *CFGI* quam; *H* quod; *L* qua. π) *GLOQR* licuit ei excusare (*O* recusare). [D.]

Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione[α] morum suorum et obedientia[β] coram Deo et sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo[γ] se damnandum sciat quem irridet.[δ] De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiae ibi sunt et abbatis praesentis.[ε] Quam petitionem manu sua scribat — aut certe, si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, et ille novitius signum faciat — et manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum: »Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea.« Quem versum omnis congregatio tertio respondeat adiungentes »Gloria Patri.« Tunc ille[ζ] frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et iam ex illa die in congregatione reputetur.

Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta solenniter donatione conferat monasterio nihil sibi reservans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum[η] sciat.[θ] — Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii proiiciatur. Illam tamen petitionem eius quam de super altare abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reservetur.

α) *BGOQR* [*L 1ª m.?*] conversatione. β) *ACO* obedientiam. γ) *EFGHILOQR* a Deo. [D.] δ) *O* irritat. ε) *COR* abbate praesente *(L sic corr.)*; *Q (A 1ª m)* abbati praesenti. [D.] ζ) *DFGHIL* ipse. η) *COQ* habere. θ) *ABO* scit.

LIX. DE FILIIS NOBILIUM AUT PAUPERUM QUI OFFERUNTUR.[α]

Si quis forte de nobilibus offerit[β] filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minore[γ] aetate est, parentes eius faciant petitionem quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant[δ] in palla altaris et sic eum offerant.

De rebus autem suis aut in praesenti per petitionem[ε] promittant sub iureiurando, quia numquam per se, numquam per suffectam[ζ] personam nec[η] quolibet modo ei aliquando aliquid dant aut tribuunt[ϑ] occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint et aliquid offerre voluerint[ι] in eleemosynam[κ] monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt monasterio, donationem reservato sibi, si ita voluerint, usum[λ] fructuum.[μ] Atque ita omnia obstruantur[ν], ut nulla suspicio remaneat puero per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus.

Similiter autem et pauperiores faciant. — Qui vero ex toto nihil habent[ξ], simpliciter petitionem faciant et cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

α) *CR om.* qui offeruntur; *EI add.* in monasterio. β) *CEFGILR* offert; *DHK* offerat; *OQ* offeret. γ) *ABP* minor *(KL sic corr.)*. δ) *OQR* involvat (*Q* involvant) . . . . offerat. [D.] ε) *Q* per petitione; *ABFP* (*om.* per) petitionem; *reliqui* petitione. ζ) *EOQR* subiectam (*AP sic corr.*); [D.] *CDGHL* suspectam *(K sic corr.)*. η) *BOQ* ne; *R om.* nec. ϑ) *DFGHIKLPQ* dent aut (*FG* nec) tribuant. ι) *ABE* volunt. κ) *DFGKR* in eleemosyna. λ) *KQ* usu. μ) *KOQR* fructum; *CDFGHI* usufructuario; *L 1ª m* usum fructuario. ν) *OR* (*L 1ª m.*) observantur; *Q* observentur. [D.] ξ) *OQR* habet . . . . faciat . . . . offerat. [D.]

LX. DE SACERDOTIBUS QUI[α] VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE.

Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem citius ei[β] assentiatur. Tamen si omnino persteterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulae disciplinam servaturum; nec aliquid ei relaxabitur, ut sit sicut scriptum est: »Amice, ad quod venisti?« Concedatur ei tamen post abbatem stare et benedicere aut missas tenere — si tamen iusserit ei abbas; sin alias, nullatenus[γ] aliqua praesumat sciens se disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det. Et[δ] si forte ordinationis[ε] aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quando[ζ] ingressus est in monasterio[η], non illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est.

Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio, sociari[θ] voluerit, loco mediocri collocentur[ι] — et ipsi tamen, si promittunt[κ] de observatione regulae vel propria stabilitate.[λ]

LXI. DE MONACHIS PEREGRINIS, QUALITER SUSCIPIANTUR.[μ]

Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio

---

α) *ABK add.* forte; *C om.* qui voluerint etc. β) *HIQ* non ei citius quidem. γ) *AB* nllatenus. δ) *DHLQ om.* et. ε) *O* ordinatione. ζ) *I* quem habuit quando. η) *CEFGHKL* in monasterium (*IO sic corr.*). θ) *R* (*O 1ᵃ m.*) sociare; *Q* se sociari. ι) *DEFHIKL* (*CG 1ᵃ m.*) collocetur. κ) *EILQ* et ipse (*Q* ipsi) tamen si promittit; *A om.* si. λ) *ABP* propriam stabilitatem (*in A et P* m *bis erasum est*). μ) *FGR om.* qualiter suscipiantur.

et contentus est[α] consuetudine[β] loci quam[γ] invenerit et non forte[δ] superfluitate sua perturbat monasterium sed simpliciter contentus est quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. — Si qua sane, rationabiliter et cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit, tractet abbas prudenter[ε], ne forte pro hoc ipsud[ζ] eum Dominus direxerit.[η]

Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non rennatur talis voluntas, et maxime quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci. Quod si superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non[θ] debet sociari corpori monasterii, verum etiam dicatur ei honeste ut discedat, ne eius miseria etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis qui mereatur proiici, non solum si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verum etiam suadeatur[ι] ut stet, ut eius exemplo alii erudiantur, et quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur. Quem si etiam talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiore aliquantum[κ] constituere loco. — Non solum autem monachum[λ] sed etiam de suprascriptis[μ] gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest abbas in maiori quam ingreditur[ν] loco, si eorum[ξ] talem perspexerit esse vitam.

Caveat autem abbas, ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis eius aut literas commendatitias[ο], quia scriptum est: »Quod tibi non vis fieri, alio[π] ne feceris.«

α) *DFGHK (L 1ª m.)* fuerit. β) *AB* consuetudinem. γ) *LQR* quem. δ) *CP om.* forte. ε) *A* providenter. ζ) *D* ipsum *(P sic corr.)*; *CFGIKLQR* ipso; *E* per hoc ipsum. η) *DR (C 1ª m.)* direxit. θ) *BP om.* non. ι) *EP (C 1ª m.)* suadetur. κ) *GHILR* aliquantulum *(ADP sic corr.)*. λ) *AC* monachorum. μ) *CO* supradictis. ν) *AEKOPQR* ingrediuntur *(C sic corr.)* [D?] ξ) *CDFGHL* eius. ο) *DEFGHIKLQR* literis commendatitiis. π) *COQR* alteri. [D]

LXII. DE SACERDOTIBUS MONASTERII.

Si quis abbas sibi presbyterum vel[α] diaconem ordinari[β] petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.

Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam nec quidquam praesumat nisi quod ei ab abbate praecipitur, sciens se multo magis disciplinae regulari subditum.[γ] Nec[δ] occasione sacerdotii obliviscatur regulae obedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Deum[ε] proficiat. Locum vero illum semper attendat quo[ζ] ingressus est in monasterium, praeter officium altaris et[η] si[θ] forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitae merito eum promovere voluerit.[ι] Qui tamen regulam a[κ] decanis vel praepositis[λ] constitutam sibi[μ] servare sciat.

Quod si aliter praesumpserit, non sacerdos sed rebellio[ν] iudicetur. Et saepe admonitus si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium.[ξ] Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis proiiciatur de monasterio — si tamen talis fuerit eius contumacia, ut subdi aut obedire regulae nolit.

LXIII. DE ORDINE[ο] CONGREGATIONIS.[π]

Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversationis[ρ] tempus, ut[σ] vitae meritum discernit utque[τ] abbas constituerit. Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum nec quasi libera utens potestate iniuste disponat

---

α) *DHIPQ (FG 1ª m.)* aut. β) *QR (O 1ª m.)* ordinare. [D.] γ) *ABK* subdendum. δ) *BCI* ne. ε) *D* in Domino; *K 2ª m.* in Deo. ζ) *C* quando; *R (O 1ª m.)* quod. η) *E om.* et; *FG (L 1ª m.)* aut; *D* aut et. θ) *O* et si *1ªᵉ manus mutat. in* nisi. ι) *ABP* voluerint. κ) *BEI om.* a. λ) *IOQ* praeposito. μ) *OQR* se constitutam servare; [D.] *B om.* sibi. ν) *O* rebellis. ξ) *COP* testimonio. ο) *O* De ordines; *Q* De ordinibus. π) *I* congregationum; *O* congregationes. ρ) *DFGHIKLQR* conversionis. σ) *DKLO* et; *I* vel; *HQR* aut. τ) *Q* atque; *H* aut quem.

aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus iudiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum; et in omnibus omnino locis aetas non discernat ordines[α] nec praeiudicet, quia Samuel et Daniel pueri presbyteros iudicaverunt. Ergo excepto hos[β] quos[γ], ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur ita sint, ut verbi gratia qui secunda hora diei venerit, in monasterio[δ] iuniorem se noverit illius esse qui prima hora venit[ε] diei, cuiuslibet aetatis aut dignitatis sit — pueris per omnia ab omnibus disciplina conservata.[ζ]

Iuniores igitur priores suos honorent, priores[η] minores[θ] suos diligant. In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine[ι], sed priores iuniores suos fratrum nomine[κ], iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi creditur agere[λ], dominus et abbas vocetur — non sua assumptione sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. — Ubicumque autem sibi obviant fratres, iunior a priore[μ] benedictionem petat. Transeunte maiore minor surgat et det ei locum sedendi; nec praesumat iunior consedere, nisi ei praecipiat senior suus, ut fiat quod[ν] scriptum est: »Honore invicem praevenientes.«

α) *CDEFGHIL* discernatur in ordine *(B sic corr.)*; *QR* discernatur ordines (*Q* ordinis). β) *CDEFGHIKLQR* exceptis his (*AOP sic corr.*). γ) *AB om.* quos. δ) *EFGHIQ (L 1a m.)* in monasterium. ε) *CFO* venerit. ζ) *CDEFGHI* teneatur (*om.* conservata); *P* conservata teneatur; *K* conservetur. η) *Q* maiores. θ) *CEGH* iuniores. ι) *CFGHIKOQR (L 1a m.)* nomine appellare. [D.] κ) *CEFHK* fratres nominent. λ) *OQR* agit; [D.] *CDHLP* agere videtur. μ) *AB* iunior priorem. ν) *B* sicut.

Pueri parvi[α] vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur; foris autem vel ubiubi[β] custodiam[γ] habeant[δ] et disciplinam, usque dum ad intelligibilem aetatem perveniant.

LXIV. DE ORDINANDO ABBATE.[ε]

In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore[ζ] consilio elegerit. Vitae autem merito et sapientiae doctrina[η] eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. — Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam[θ] episcopi ad cuius dioecesim[ι] pertinet locus ipse, vel ad abbates[κ] aut christianos vicinos[λ] claruerint[μ], prohibeant pravorum praevalere consensum, sed domui[ν] Dei dignum constituant dispensatorem scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et[ξ] zelo Dei faciant[ο], sicut e diverso[π] peccatum, si negligant.

Ordinatus autem abbas cogitet semper, quale onus suscepit[ρ] et cui redditurus est rationem villicationis suae; sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse. Oportet ergo eum esse doctum[σ] lege divina, ut sciat et sit unde

---

α) *IQ* parvuli. β) *C* ubique *(O sic corr.)*; *F* ubicumque; *LQR (DOP 1ª m.)* ubi et ubi; *E* ubi ibi. γ) *BEK* et custodiam. δ) *P* teneant. ε) *CO* De ordine abbatis; *Q* De abbatis ordinatione. ζ) *DL 1ª m.* seniore *(B sic corr.)*. η) *R* et doctrinae. θ) *ABP* (*L?*) in notitia. ι) *CQ* dioeceses. κ) *GHILQ* vel (*L* ad) abbatibus *(OP sic corr.)*. λ) *GHILOPR* christianis vicinis (*P* vicinos). μ) *R (COP 1ª m.)* claruerit. ν) *QR (O 1ª m.)* domus. [D.] ξ) *AP* ac. ο) *OQR* fiat. [D.] π) *CDFGHL* e contrario. ρ) *O* suscipit σ) *AC* doctum esse.

proferat nova et vetera, castum, sobrium, misericordem, et semper superexaltet[α] misericordiam[β] iudicio[γ], ut idem[δ] ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et — ne quid nimis[ε], ne[ζ] dum nimis eradere cupit[η] aeruginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspectus sit memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri[θ] vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet, ut[ι] viderit cuique expedire, sicut iam diximus; et[κ] studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia numquam requiescit. In ipsis imperiis suis sit[λ] providus et consideratus; et[μ] sive secundum Deum sive secundum saeculum sit opera quam[ν] iniungit, discernat et temperet cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: »Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.« Haec ergo aliaque testimonia discretionis, matris virtutum, sumens sic omnia temperet, ut sit, et fortes[ξ] quod cupiant, et infirmi non refugiant, et praecipue ut praesentem[ο] regulam in omnibus conservet[π], ut dum bene ministraverit, audiat a Domino quod servus bonus qui erogavit triticum conservis[ρ] suis in tempore suo: »Amen dico vobis,« ait, »super omnia bona sua constituet[σ] eum.«

α) *BC* superexaltat; *FK* superexaltantem. β) *EGHQR* misericordia. γ) *EFHLQ* iudicium. δ) *O 1ª m.* eadem, *2ª m.* eandem. ε) *O om.* et ne quid nimis. ζ) *B* et ne. η) *CFGHIKLOQR* nimis cupit eradere. [D.] θ) *QR (BO 1ª m.)* nutrire. ι) *FIKQ* prout. κ) *B* ut. λ) *BEFG om.* sit. μ) *EFGHIK om.* et. ν) *EFGHILQ* quae *(DP sic corr.)*. ξ) *FOQ* (*DL 1ª m.*) ut et forte sit; *EGIPR* ut sint et fortes quod (quot) cupiant (*DL sic corr.*). ο) *O add.* hanc. π) *EFGI* conservent. ρ) *DGOR* cum (*R om.* cum) servis. σ) *OQR (A 1ª m.)* constituit. [D.]

LXV. DE PRAEPOSITO[α] MONASTERII.[β]

Saepius quidem contingit[γ], ut per ordinationem praepositi scandala gravia in[δ] monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiae inflati, et aestimantes[ε] se secundos esse abbates[ζ] assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt et dissensiones in congregatione[η] faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et praepositus ordinatur. Quod quam sit absurdum, facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui: quia ab ipsis es et tu[ϑ] ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exordinationes, ut[ι] dum contraria[κ] sibi abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hac dissensione[λ] animas periclitari, et hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem.[μ] Cuius periculi malum illos[ν] respicit in capite qui talibus in ordinatione[ξ] se fecerunt auctores. Ideo nos praevidimus[ο] expedire propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui. Et si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

α) *ABC* De proposito. β) *CR om.* monasterii. γ) *BDEHIO* contigit. δ) *GOQR om.* in. [D.] ε) *O* existimant; *HKR* (*L* 1[a] *m.*) existimantes. ζ) *HOQR* abbates esse (*L sic corr.*). η) *AB* in congregationes. ϑ) *CDFGHLOQR* quia ab ipsis est ordinatus (*K sic corr.*). [D.] ι) *CFGIQ* et; *E* et ut. κ) *DFGL add.* invicem (*IK sic corr.*). λ) *AB* sub hanc dissensionem. μ) *AFK* perditione. ν) *DILP* illis (*G sic corr.*). ξ) *A* talius inordinationis; *KP* inordinationibus. ο) *B* (*A* 1[a] *m.*) vidimus (*C sic corr. ex* videmus); *DGHILQ* praevidemus; *R* praeiudicamus.

Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas iudicaverit expedire — quemcumque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi praepositum.

Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia, quae ab abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut α ordinationem faciens, quia quantum praelatus est ceteris, ita β eum oportet sollicitius γ observare praecepta regulae.

Qui praepositus si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbiae aut contemptor sanctae regulae fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater. Si non emendaverit, adhibeatur ei correptio δ disciplinae regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deiiciatur de ordine praepositurae, et alius qui dignus est in loco eius subrogetur. Quod si et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio pellatur. ε — Cogitet tamen abbas se de omnibus iudiciis suis Deo reddere rationem, ne forte zeli aut invidiae ζ flamma urat animam.

LXVI. DE OSTIARIIS MONASTERII.

Ad portam monasterii ponatur senex sapiens qui sciat accipere responsum et reddere et η cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet θ habere iuxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, »Deo gratias« respondeat aut bene-

---

α) *EFHIR* et. β) *CDEFKLP* tanto. γ) *DHLOQR* sollicite; [D.] *FIK* (*C 1ª m.*) sollicitus. δ) *O* correctio (*DIL sic corr.*). ε) *DFGHKLPR* expellatur; *EI* repellatur. ζ) *BD* invidiae aut zeli. η) *CDFGHILOQR om.* et. [D.] θ) *ABE* debebit; *C* debebet.

dicat[α]; et[β] cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore caritatis. — Qui portarius si indiget solatio[γ], iuniorem fratrem accipiat.

Monasterium autem, si possit fieri, ita debet constitui, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, pistrinum[δ], hortus vel artes diversae[ε] intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foris[ζ], quia omnino non expedit[η] animabus eorum. Hanc autem regulam saepius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

LXVII. DE FRATRIBUS IN VIA[θ] DIRECTIS.

Dirigendi fratres in via[ι] omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent; et semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de via fratres ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo[κ] oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus[λ], ne quid forte subripuerit[μ] in via visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis.[ν]

Nec[ξ] praesumat quisquam alio referre quaecumque foras[ο] monasterio[π] viderit aut audierit, quia plurima destructio[ρ] est. Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subiaceat; similiter et qui praesumpserit claustra mo-

---

α) *BOP* benedicet (*D sic corr.*). β) *BCPQR om.* et (*in AL delet.*). γ) *CIOR* solatium. δ) *ABP om.* pistrinum. ε) *ABEOP* hortum (*O* horto) vel artes diversas. ζ) *DHIR* (*L 1ª m.*) foras. η) *O* non expedit omnino. θ) *CFHKLOPQ* in viam. ι) *FGKO* in viam. κ) *OQR* (*P 1ª m.*) loco; [D.] *E* solo loco. λ) *BO* excessos; *F* excessum. μ) *AB* ne (*A* nec) qui forte subripuerint. ν) *AI* sermones (*O sic corr.*). ξ) *B* (*O 1ª m.*) Ne ο) *CDEFGHIKPQR* foris. π) *EHLP* (*D 1ª*, *O 2ª m.*) monasterium; *B* monasterii. ρ) *OQR* discretio; [D.] *I 1ª m.* districtio.

nasterii egredi vel quocumque ire vel quidpiam quamvis parvum[α] sine iussione abbatis facere.

LXVIII. SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIUNGANTUR.[β]

Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia iniunguntur[γ], suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia; quod si[δ] omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suae[ε] causas ei qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat iunior ita sibi expedire, et ex caritate confidens de adiutorio Dei obediat.

LXIX. UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE.

Praecavendum[ζ] est, ne quavis occasione praesumat alter alium[η] defendere monachum in monasterio aut[θ] quasi tueri, etiamsi qualivis[ι] consanguinitatis[κ] propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id a monachis praesumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coerceatur.

LXX. UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIQUIS[λ] CAEDERE.[μ]

Vetetur[ν] in monasterio omnis praesumptionis occasio. Ordinamus[ξ] atque constituimus, ut nulli liceat quemquam

---

α) *FGQR* (*O 1ª, D 2ª m.*) parum. [D.] β) *CGHIKQR* iniunguntur; *F* iubeantur. γ) *BP* (*L 1ª m.*) iniungantur. δ) *OQR* aut si. [D.] ε) *OQR om.* suae (*in C rec. m. add.*). [D.] ζ) *CQ* cavendum; *O* recavendum; *R* summopere cavendum. [D?] η) *CIKP* alterum; *DG* alius alium. θ) *I* nec; *Q* et; *R* at. ι) *EO* quavis; *DFGHIQ* qualibet. κ) *H* consanguinitate vel. λ) *EGHILQR* quisquam. μ) *EIR add.* aut excommunicare. ν) *P* (*G 2ª m.*) vitetur. ξ) *OQR om.* ordinamus. [D.]

fratrum suorum[α] excommunicare aut caedere nisi cui potestas ab abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

Infantum vero usque quindecim annorum aetates[β] disciplinae diligentia ab omnibus[γ] et custodia sit; sed et hoc cum omni mensura et ratione. — Nam in fortiori aetate qui praesumit[δ] aliquatenus sine praecepto abbatis vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinae regulari subiaceat, quia scriptum est: »Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris.«

LXXI. UT OBEDIENTES SIBI SINT[ε] INVICEM.[ζ]

Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita obediant fratres scientes per hanc obedientiae viam se ituros ad Deum. Praemisso ergo abbatis aut praepositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia praeponi, de cetero omnes iuniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine obediant. — Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.

Si quis autem frater pro quavis minima causa ab abbate[η] vel a quocumque priore suo corripitur[θ] quolibet modo vel si leviter senserit animos[ι] prioris cuiuscumque contra se iratos vel commotos quamvis modice, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod qui[κ]

α) *OQ add.* aut. β) *DEFGHIKLQ* Infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis. γ) *EFGHI add.* adhibeatur; *D* adhibeatur ab omnibus. δ) *DFGHKL* praesumpserit. ε) *HO* sint sibi; *K* sibi invicem sint. ζ) *DEFHIKQR* (*B 2a m*) *add.* fratres. η) *OQR om.* ab abbate. [D.] θ) *GQ* corripiatur. ι) *DFGO* animum . . . . iratum vel commotum. κ) *FGIOQR* quod si (*O* si *lit. parv.*) quis (*Q* qui). [D.]

contempserit facere, aut corporali vindictae subiaceat aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

LXXII. DE ZELO BONO QUOD[α] DEBENT MONACHI HABERE.

Sicut est zelus amaritudinis malus qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus[β] bonus qui separat a vitiis[γ] et ducit ad Deum et ad vitam aeternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi: id est ut honore se invicem praeveniant, infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent, obedientiam sibi certatim impendant (nullus quod sibi utile iudicat sequatur, sed quod magis alio[δ],) caritatem fraternitatis casto[ε] impendant amore, Deum timeant, abbatem suum sincera et humili caritate diligant, Christo omnino nihil praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat.[ζ]

LXXIII. DE HOC QUOD NON OMNIS IUSTITIAE OBSERVATIO IN HAC SIT REGULA CONSTITUTA.

Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere.[η]

Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinat[θ], sunt doctrinae sanctorum patrum quarum observatio perducat[ι] hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim pagina aut quis[κ] sermo divinae auctoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitae humanae? Aut quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non resonat,

---

α) *DEFGHKL* quem. β) *BHLR* et zelus. γ) *AB* vitia; *FGI* (*L?*) vitio. δ) *DHIQ* alii; *K* aliis. ε) *AB* caste. ζ) *A* 1ª *m.*, *B* 2ª *m.* perducant. *DEFHIKR add.* amen. η) *O* ut in hac observationem monasterii aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nostrae demonstraremus haberi. θ) *LR* (*G* 2ª *m.*) festinant. ι) *FGH* perducit. κ) *AP* 1ª *m.* qui.

ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Nec non et Collationes Patrum et Instituta et Vitae[α] eorum sed et Regula sancti patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus rubor confusionis est.

Quisquis ergo ad patriam coelestem festinas[β], hanc minimam inchoationis regulam descriptam adiuvante Christo perfice; et tunc demum ad maiora quae supra commemoravimus doctrinae virtutumque culmina Deo protegente pervenies. Amen.[γ]

Explicit regula.[δ]

α) *ABR* (*LP* 2^a *m.*) vitas. β) *FQR* festinans. γ) *BDFHI om.* Amen. δ) *AP add.* Facienti haec vita erit aeterna.

VITA

ET

REGULA SS. P. BENEDICTI

UNA CUM

EXPOSITIONE REGULAE.

III.

EXPOSITIO REGULAE AB HILDEMARO TRADITA ET NUNC PRIMUM TYPIS MANDATA.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

EXPOSITIO REGULAE

AB HILDEMARO TRADITA

ET

NUNC PRIMUM TYPIS MANDATA.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

SS. P. N. BENEDICTO
EJUSQUE BEATISSIMAE SORORI SCHOLASTICAE
AD ANNUM SAECULAREM MDCCCLXXX MONACHI METTENENSES.

PROLEGOMENA.

I.

Martenius, monachus doctissimus congregationis S. Mauri, commentarium in regulam S. Benedicti, qui Hildemari nomen prae se fert, omnium optimum esse judicat;*) et Haeftenus, homo praeclarissimus, auctorem commentarii Hildemaro adscripti *vel primum vel inter primos regulae commentatores* non dubitat nominare, etsi auctoritatem Trithemii secutus Ruthardum quendam, Rhabani Mauri discipulum, hujus commentarii auctorem esse conjicit.**) Attamen hic commentarius tam honorifice commemoratus usque ad id tempus nondum prelo subjectus est, neque quidquam ex eo praeter quosdam locos, quos Martenius suo commentario inseruit, notum exstat. Quamvis enim Martenius et Mabillonius, viri religiosi congregationis S. Mauri, ejus editionem enixe molirentur, tamen rem ad finem non perduxerunt.

Quae cum ita sint, excusati esse videmur, quod praelaudatum commentarium, praesertim cum XIV. solemnia saecularia diei natalitii S. Benedicti et S. Scholasticae agantur, edimus.

*) Praefat. ad commentar. in regulam S. Bened. Paris 1690

**) Disquisitiones monast. lib. 2. tract. 5. disquis. 4. pag. 160.

De Hildemari vita operibusque nihil nisi pauca tradita habemus. In monasterio *Franciae* se degisse, ipse dicit, et Rampertus episcopus Brixanus (a. 814—844)*) testatur. Ex nomine *Franciae* sine ulla appositione dictae fortasse eum ante annum DCCCXLIII, quo regnum Francorum Viroduni divisum est, in eodem degisse conjici potest. In qua autem parte, utrum in orientali (germanica) an occidentali vixerit, non constat. Quamvis enim nomina Hildemari et ejus amici Leutgari, quae sunt germanica, illum in Germania vixisse magis probare videantur, tamen et in Francia occidentali et meridionali multi Franci seu Germani degebant. Item ex quibusdam locis commentarii elucet, Hildemarum post mortem Caroli Magni († 814)**) et post concilium ab Eugenio papa II. a. 826 Romae peractum***) commentationem s. regulae tradidisse aut saltem absolvisse et perfecisse. Cumque in commentario tractatus, in quo de ratione legendi agitur, ad Ursum episcopum Beneventanum (a. 833—839) missi mentio fiat, quin Hildemarus etiam post annum 833, cum ejus expositiones super s. regulam ab auditoribus scribebantur, in monasterio docuerit, non est dubium.

Circa annum 840 et ipsum Hildemarum et Leutgarum abbatem natione Francum ab Angilberto II. episcopo vocatos Mediolani fuisse reperimus, ubi domicilium collocasse videntur; nam Angilbertum II. episcopum (a. 824—860) eos *ob illuminationem ecclesiae suae insolubili vinculo sibi sociavisse*, dicit Rampertus Brixanus. Angilbertus II. episcopus eos primum Brixiam misit, Ramperto episcopo rogante, ut monasterium SS. Faustini et Jovitae restaurarent atque reformarent;†) postea vero multis in causis eorum consilio et adjutorio usus esse videtur. Ram-

---

*) Mabillon. Analecta p. 418. Bullar. Casinens. tom. 2. p. 25.

**) Cap. 14. (pag. 303) piissimi imperatoris Ludovici fit mentio.

***) v. g. cap. 4. (p. 172) cap. 64. (p. 590.)

†) Cf. Quirini Cardinalis collectio Patrum Brixianae ecclesiae. p. 381—401.

pertus enim episcopus eorum vita atque doctrina plurimos illius regni illustratos fuisse, honorifice praedicat.*) Post annum autem 850 Hildemarum adhuc in vivis fuisse, non est verisimile.

Eum abbatem monasterio praefuisse, quod adhuc in dubium vocabatur, jam pro certo habendum esse videtur. Nam in capitulo XXIX (p. 369), ubi pertractatur, quomodo abbas de monachis, qui aufugerint, recipiendis agere debeat, de se ipso dicit: *et ego facio ita in nostro monasterio et hortor, ut ceteri (abbates?) similiter faciant.* In codicis Tegernseensis folio 103. annotatio marginalis fortasse XIV. aut XV. saeculo scripta invenitur, cujus haec sunt verba: »Hic habetur epistola, quam *abbas* Hildemarus misit Urso episcopo.«

Pauca, quae ab Hildemaro excogitata et conscripta exstant vel nota sunt, eum ingenio acutissimo praeditum et amplissima historiarum et theologiae scientia imbutum atque peritissimum librorum antiquorum et Patrum fuisse comprobant; quare discipuli *Hildemarum magistrum* merito vocare consueverant. Praeter commentarium in s. regulam exstat ab eo compositus tractatus de ratione legendi, qui capitulo XXXVIII commentarii in s. regulam insertus est; necnon in eodem capitulo fragmentum commentarii in evangelium S. Lucae ab eodem conscripti invenitur; item in cap. LXII (p. 569) commentarii in s. regulam tractatus Hildemari de irregularitatibus ordinandorum clericorum fit mentio, ex quo quaedam afferuntur.

II.

Commentarium in s. regulam ab Hildemaro excogitatum, non integrum ab eodem conscriptum, sed magna ex parte sermone tantummodo prolatum et a notariis, qui notis et signis scribebant, ex-

*) Mabillon. Analecta. pag. 618. 619. Bullar. Casinens. tom. 2. p. 25.

ceptum esse, codicibus, qui adhuc exstant, satis comprobatur. Codex (S. Benigni) Divionensis exeunte IX. aut ineunte X. saeculo conscriptus in fronte hoc inscriptum habet: *Incipit »traditio« super regulam S. Benedicti, quam magister Hildemarus monachis »tradidit« et docuit discipulis suis. Quocirca obsecro, cum aliquid incompositum sive inhonestum ibi inventum fuerit, non magistro, sed discipulis imputetur.*)* Martenius in praefatione commentarii sui etiam *multos alios codices Galliae eandem inscriptionem exhibere* tradit. Iisdem verbis inscripti sunt Germaniae codices, Tegernseensis et Fürstenzellensis, praeterquam quod in Tegernseensi pro *discipulis suis* dictum est *discipulos suos* et in Fürstenzellensi *docuit* prius et *tradidit* proxime ante *discipulis* positum est. In iisdem codicibus commentarius terminatur his verbis: *Explicit »traditio,« quam Hildemarus monachus exposuit super regulam S. Benedicti et »tradidit« discipulis suis.*

Codex Mellicensis ab his verbis initium sumit: *Incipit tractatus Hildemari monachi in regulam S. Benedicti*, et exhibet in fine haec: *»Traditio,« quam Hildemarus monachus exposuit super regulam S. Benedicti et »tradidit« discipulis suis.*

Denique in romanis monasterii S. Pauli consuetudinibus XI. aut XII. saeculo compositis hunc commentarium sub nomine Hildemari afferri atque laudari idem Martenius in praefatione sui commentarii affirmat.

Quamvis res ita se habeat, nil obstat, quomínus suspicemur, Hildemarum aut jam in Francia degentem aut saltem in Italia superiore docentem primas lineas seu designationem ac formam quandam commentarii sua manu conscripsisse. Quam designationem ipse in praelectionibus per tempus longum adhibendo

*) Hic codex postea Divione Parisios in bibliothecam S. Germani translatus est, ex quo Mabillonius et Martenius, quae excerpta tradunt, deprompserunt. (Cf. Martène praef. in commentar. — Mabillon. Analecta Ord. S. B. tom. 2. 619. — Migne, patrol. lat. tom. 106. col. 394.)

pedetentim modice mutavit, emendavit, auxit, perfecit, auditores autem ejus notarii, qui notis et signis sermones magistri excipiebant et scribebant, in eam formam redegerunt, in qua nobis nunc apparet. Verum illa brevior designatio, quae ab Hildemaro ipso scripta erat, cum pluribus communicata et sensim in regiones dissitas divulgata esse videtur; codex enim Emmeramensis Ratisbonensis, qui ad saeculum X. vel XI. pertinet et de quo mox infra agemus, nil aliud est quam illa Hildemari primaria forma et brevior designatio. Unde audaciae argui non possumus, si conjectamus, istam breviorem designationem saeculo decimo etiam Capuae a monacho Casinensi reportam et exscriptam esse. Qua de causa Hildemari lineae primae postea ad Paulum Warnefridum relatae sint, investigare et discutere, tempori insequenti committere eo magis debemus, cum novissimis demum diebus momenta et apparatus opportuni nobis propositi sint.*)

Hildemari commentarii quamvis praeclara sint argumenta et sententiae, tamen oratio et dictio sunt valde defectivae et imperfectae, quod quidem ex parte eo factum est, quod sermo nonnunquam ex *tempore* dictus et notis et signis ab auditoribus exceptus est. Currente flumine orationis evenit, ut multa et in sermone et in sententiis corrupte dicerentur, multa omitterentur aut repeterentur vel nimis late exponerentur, multae quoque comprehensiones verborumque complexiones vitiose et inconcinne construerentur, quae omnia ab auditoribus ad verbum excepta et posteris tradita sunt. Quaedam autem ab ipsis notariis male audita et intellecta, quaedam ab iis, qui notas et signa resolvebant, mendose transscripta sunt, quae menda a posterioribus librariis sunt etiam aucta. Quaedam quoque a notariis

*) Confer Pauli Warnefridi in sanctam regulam commentarium (editum a monachis Casinensibus typis abbatiae montis Casini 1880.)

ipsis, qui quandoque loco Hildemari *) sermonem faciunt, sunt addita, vel interdum explanata et mutata, quod maxime in XXXVIII. et LXI. capitulo invenitur.

Sermone Hildemarus illo tempore viris eruditis communi, sed hominibus XIX. saeculo degentibus gravi ad legendum et intellectu difficili usus est. Multae enim verborum comprehensiones a particulis minus aptis et inanibus, tantum ornatus causa dictis incipiunt. Plerumque primum aut secundum complexionis verbum vocabula conjunctionis: »*enim*,« »*vero*,« »*autem*,« »*nam*,« »*quippe*« etc. subsequuntur, quibus, cum essent scriptoribus illius temporis usitatissima, raro propria significatio subest. Item conjunctiones *et*, *sed*, aliaeque sexcenties superfluae videntur, ut complexiones verborum non solum non conjungant, sed dissolvant et intellectu difficiliores reddant. Particula consecutiva *ut* saepe cum indicativo construitur, et idem *ut* et *quod* aliquando in fronte comprehensionis solum ad augendam vim vocabulorum *si*, *ne*, vel *qui* ponuntur, ut *quodsi*, *quodqui*, *utsi*, *utne* quasi unum vocabulum sint intelligenda. Vocabulum »enim« in variis significationibus, modo pro *etiam*, modo pro *vero* vel *autem*, modo pro *ergo* etc. positum est. Aliquando priori enuntiationi (protasi) apodosis deesse, aut ei non secundum legem syntaxeos conjuncta invenitur (anacolutha). Haec et alia minus perfecte composita non aegre feramus, si Hildemari commentario delectari velimus.

Quis Hildemari discipulorum potissimum magistri sermones signis et notis exceperit et composuerit et in hanc formam redegerit, omnino non constat. Attamen Basilium quendam abbatem, qui in codice quodam Reichenaugiensi Hildemari commentarii auctor dicitur, illum compilasse Mabillonius suspicatur. Fortasse a pluribus discipulis sermones notis sunt excepti, quibus collatis et ex mutuo suppletis totus commentarius exstitit.

*) quem magistrum vocant et cujus opera honorifice citant

Verisimile est, Hildemarum Francum in Italia superiore degentem expositiones sacrae regulae in monasteriis civitatis et agri Mediolanensis persecutum esse et contexuisse easque ibidem, uti jam Martenius et Mabillonius crediderunt, et non in Francia a notariis exceptas esse. Haud multum quidem valet mentio Sanctorum ecclesiae Mediolanensis in capitulo XIV commentarii facta et a Martenio allata, quia iidem Sancti, v. g. Ambrosius, Celsus, Nazarius, Gervasius etc., jam tunc toti christianorum coetui noti et celebres erant, quare etiam in Francia ignoti esse non poterant. Sed nonnullae aliae minoris momenti res ad ecclesiam Mediolanensem pertinentes ab auctore commentarii proferuntur, quae scire et dicere vix poterat, nisi ecclesiae Mediolanensi adscriptus vel saltem familiaris. Capite XLVII (pag. 476) dicit, in ecclesia Mediolanensi diaconum antiphonas imponere seu intonare. Capite LIII (pag. 503) hospes vicinus appellatur, qui ex monasterio montis pedalis, i. e. Pedemontii, provinciae Mediolanensi agro adjacentis, advenit. Capite LXI (pag. 558) inter longinquas provincias numeratur Burgundia et Ravenna. Hic modus, longinquam aliquam provinciam versus orientem et occidentem dicendi, optime Mediolanum incolenti, minime vero in Francia habitanti convenit, quia viro in Francia habitanti superfluum erat, duas eundem situm versus provincias nominare; per se enim patet, Ravennam versus orientem multo remotiorem a Francis inter longinquas numerandam esse, postquam Burgundia eundem situm versus multo propior pro longinqua erat declarata. Eodem capite LXI (p. 561—565) exemplaria literarum formatarum proferuntur, quae non ab episcopo quodam Franciae datae sunt, sed ab episcopo Italiae superioris, i. e. Brixiae, Mediolano vicinae.

Verumtamen summi momenti est, quod auctor commentarii frequentissime commemorat, quae ipse aliquando in Francia viderit, audierit vel egerit, aut quod narrat, quinam sint Franciae modi monastici peculiares, v. g. capp. 29. 36. 43. 53. 55. 63. etc.; ex quo concludere licet, tam traditorem ex-

positionum jam non in Francia docuisse, quam auditores et notarios monasticas Franciae rationes nescisse. Sic e. g. capite XLIII (p. 462) affirmat, se in suo monasterio francico fratrem negligentem manducantibus fratribus in medio refectorio manducantem vidisse.

III.

Commentarium Hildemari edendum curantes praecipue quatuor codices: unum e monasterio St. Emmerami Ratisbonensi, alterum e monasterio Tegernseensi, tertium e monasterio Mellicensi Austriae inferioris, quartum e monasterio Fürstenzellensi prope Passaviam sumptum adhibuimus, quorum tres priores membranis inscripti sunt, codex Fürstenzellensis autem chartis. Codex Mellicensis monasterii adhuc exstantis proprius cum summa liberalitate nobis commodatus est, pro qua maximas agimus gratias. Caeteri tres Monachii in bibliotheca regia et quidem codex Emmeramensis sub num. 14764 clm., Tegernseensis sub num. 18103 clm., Fürstenzellensis sub num. 7232 clm. asservantur.

Codex Emmeramensis X. aut XI. saeculo scriptus multum a tribus caeteris differt, quippe qui nihil aliud nisi designatio brevior seu forma primaria sit, quare in oratione et literulis minus vitiosus, quam alii, apparet. Accedit quod septimo capitulo sive primo humilitatis gradu terminatur. Inscriptus est in fronte his verbis: »Expositio regulae usque ad primum gradum humilitatis.« Manu multo recentiori in charta exteriori scriptum est: »commentarius videtur esse Hildemari.« *)

Codex Tegernseensis XII. saeculo scriptus literularum et membranae elegantia excellit summaque diligentia est confectus.

*) Commentarius nuperrime (1880) a monachis Casinensibus sub nomine Pauli Warnefridi editus ad literam cum codice Emmeramensi convenit.

Quanquam non omnibus omnino caret erroribus, tamen Mellicensi et Fürstenzellensi est emendatior.

Codex Mellicensis*) fortasse XIII. saeculo scriptus aliquot externis ornamentis Tegernseensem praecellit. In initio prologi Ottonis Prioris, qui hunc codicem scripsit, et Waltheri abbatis, cui codex traditus est, imagines apparent. Cum autem Waltherus abbas Mellicensi monasterio ab anno 1224 usque ad annum 1247 praeesset, codicem, si in monasterio Mellicensi est exaratus, illo tempore scriptum esse sequitur. Attamen an is codex in monasterio Mellicensi eo jam tempore fuerit, quo bibliotheca Mellicensis cum libris ann. 1297 igne consumpta est, aliqua dubitatio esse potest; perpauca enim literarum opera ab igne servata sunt, in quibus Kropffius Mellicensis in libello »bibliotheca Mellicensis« hunc Hildemari commentarium *non* profert. Ista dubitatio eo augeri videtur, quod exeunte saeculo XIII in Cisterciensium quoque monasterio Fürstenzellensi, ex quo adhuc codex Hildemari commentarii exstat, Waltherus quidam abbas (1274—1285) et Otto quidam monachus, postea abbas († 1315), vixerunt;**) quin etiam et ille Otto Prior imagine supradicta depictus, et S. Benedictus, cujus effigies alia imagine ejusdem codicis Mellicensis expressa est,***) albo (Cisterciensium) vestitu induti esse videntur, ex quo conjici forsitan possit, codicem Mellicensem elegantissimum aliquo modo cum monasterio Fürstenzellensi connexum fuisse.

Codex Tegernseensis et Mellicensis sexcenties ipsis mendis & erroribus inter se conveniunt, ut codicem Mellicensem aut ex Tegernseensi transcriptum aut utrumque ex uno eodemque fonte ortum esse putare cogamur.

---

*) Cf. Bibliotheca Mellicensis Kropffii p. 31. n. 45.

**) Monum. boic. vol. V.

***) In prima litera »A« vocabuli »Ausculta« haec effigies picta est. SS. Pater Benedictus pedum abbatiale manu tenet.

Codex Fürstenzellensis, quem anno 1467 scriptum esse ipse textus indicat, quamvis passim errores aliorum codicum aperiat et emendet, minoris tamen est momenti.

Ex codice (S. Benigni) Divionensi plurima fragmenta, quae in Martenii commentario in s. regulam exstant, adhibere potuimus, quibus illum a codicibus Germaniae non discrepare, quin immo ipsis mendis et erroribus cum eis convenire satis demonstratur.

IV.

Codices, quos supra memoravimus, alios cum aliis discrepantibus conferentes eam, quae optima et convenientissima esse videbatur, lectionem elegimus. Variis lectionibus aeque convenientibus vel in dubio manentibus plerumque codicem Mellicensem secuti sumus. Non intendimus, librum ad pios sensus excitandos aptum scribere aut oblectamenta praebere, sed omnino nihil aliud, nisi Hildemari doctrinam et traditionem proferre vel ea tantum, quae ipse Hildemarus excogitavit et exaravit, non etiam ea, quae Hildemarus ex aliis scriptoribus, qui nunc omnibus noti sunt et ad quorum opera omnibus aditus patet, excerpta in sermonibus suis protulit vel recitavit, plena et integra tradere. Hac de causa nimis longa ex Patrum et antiquorum scriptorum libris excerpta non rursus typis imprimenda curavimus, sed verbis tantum primis et ultimis indicavimus. Potissimum in XXXVIII. capitulo quinquaginta excerpta de ratione legendi, cum sint a consilio, quod intendimus, aliena, paene omnino sunt omissa. Quae autem ab ipso Hildemaro excogitata atque dicta sunt, fidei et veritatis causa eadem forma et specie induta, qua aut ab Hildemaro scripta, aut ab auditoribus signis et notis formata exstiterunt et nunc extant, proferre voluimus; igitur etiam dictio et elocutio peculiaris et haud elegans retenta est. Scriptorum loci ab Hildemaro citatorum paene omnes quaesiti et spectati sunt, sed complures inveniri

non potuerunt. Scriptores christiani juxta cursum patrologiae latinae a Migne Parisiis editum indicati sunt.

Vocabula et verborum comprehensiones, quae superflua et inania esse et sententias intellectu difficiliores reddere videbantur, uncinis [ ], dubia autem lunulis ( ) inclusa sunt, conjecturas vero et adjuncta in modum annotationum marginalium addidimus.

P. Rupertus Mittermüller,
monachus Mettenensis O. S. B.

In nomine Domini. Incipit tractatus Hildemari monachi in regulam Sancti Benedicti. Incipiunt capitula regulae monachorum:

---

[1]) oratorio (?)

Incipit liber regulae S. Benedicti.

Incipit prologus sive adhortatio ejus. Tres enim sunt ecclesiasticae disciplinae: Prima physica, id est naturalis, secunda ethica, i. e. moralis, tertia logica, i. e. rationalis. Physica derivatur ab eo, quod est physin;[1] physin enim graece latine natura dicitur. Ethica autem derivatur ab eo, quod est ethin,[2] ethin quidem graece latine mores dicuntur. Logica derivatur ab eo, quod est logos; logos enim graece latine ratio dicitur. Et propter has tres disciplinas ecclesiasticas Salomon, sapientissimus omnium regum, tres libros edidit. Primum librum vocavit parabolam, secundum ecclesiasten,

---

1) *φύσις*, cod. Emmeram.
2) *ἤθη* (*ἠ* legitur ut i).

tertium vero cantica canticorum. Primus quidem liber convenit parvulis, in quo saepe parvulos quasi filios alloquitur dicens: *Audi fili mi,* et caetera: unde in ipso libro saepe mentio malarum rerum fit, id est meretricum et haereticorum. Secundus autem liber convenit majoribus, in quo libro majores admonentur, vanitates mundi despicere, unde ipse liber a vanitate inchoatur dicens: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Tertius autem liber congruit perfectis; nam in eo libro non adversa, sed laeta reperiuntur. Istius enim Salomonis ordinem tenens B. Benedictus non ignarus ecclesiasticae disciplinae dixit: *Ausculta o fili*, id est sicut Salomon in primo suo libro parvulos quasi filios allocutus est. Quidam libri habent *ausculta*, et quidam *obsculta*; sed sive dicas *ausculta*, sive *obsculta*, nihil obstat, eo quod *auscultare* est *auribus scultare; scultare* ponitur pro *audire*, *obscultare* vero est *communiter audire*, quia *ob* in hoc loco pro *simul* ponitur. Nunc videndum est, qua ratione Benedictus cum dixit: *fili!* praemisit *o*; suffecisset illi enim dixisse *fili* tantum, quia in illo nomine, quod est *fili*, vocatio intelligitur. Sed [quia] sicut solent multa nomina pro exaggeratione, id est augmentatione intellectus sui assumere quasdam adjectiones sillabarum, verbi gratia, sicut *dives*, *potens*, *excelsus* et caetera assumunt *prae* et *ex* i. e. *praedives* et *praepotens,* hoc est *valde dives* et *valde potens*, et *excelsus*, id est, *valde celsus:* ita S. Benedictus in hoc loco ut exaggeraret vocationem suam, *praemisit o*, cum dixit: *fili!* Nam *o fili* duo sunt vocativa, ac si diceret: fili! fili! Filius enim multis modis dicitur, id est natura, adoptione, imitatione, doctrina et gente. Natura enim et adoptione omnibus notum est; imitatione autem, quia illius est filius quis, cujus opera imitatur, unde Dominus in Evangelio dixit Judaeis: *Vos ex patre diabolo estis, quia ejus opera facere vultis.* Doctrina vero, sicut sunt filii docti a suis magistris; gente autem, sicut fuit ille dives, positus in inferno, videns Lazarum in sinu Abrahae; unde illum Abraham filium vocavit dicens: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Et similiter

ille dives eum patrem nominavit dicens: *Pater Abraham.* Et quamquam multis modis dicatur filius, tamen ubi filius invenitur, etiam non scriptus semper pater subintelligitur, quia filius non potest esse sine patre. — In hoc vero loco cum dicit: *fili*, paternitatis affectum atque magisterii disciplinam erga te ostendit se habuisse. Te vero sua oratio, qua dicit: *fili*, ostendit, ad quod te ducat, id est ostendit, te ducere ad paternitatis affectum, seu magisterii disciplinam suscipiendam. Sequitur: *Praecepta* dicuntur quasi *praemium captent*, eo quod sui servatores ex illis praemia capiant. *Magister* dictus est quasi *magis tritus*, id est magis doctus, sicuti dicitur *discipulus* a discendo. Nunc videndum est, quare dixit Benedictus *inclina*, cum potuit dicere *aperi*? Sed quia multi aperiunt aures et non inclinant i. e. non humiliant, ideo dixit *inclina*, id est: humilia. Nam multi, quamquam raro econtrario, superbi reperiuntur aures et cetera membra erecta habere, ut est illud: *aures eorum adgrava et oculos superborum humiliabis;* semper enim superbi in fastu superbiae erecti sunt; non enim ita dicuntur membra superborum superba, quasi illa sint superba, sed quia officia eorum superbia est, idcirco membra superba dicuntur. Nam in oculis solet cognosci superbia, in ceteris vero membris officia intelliguntur superba. Et est sensus, cum dicit: *inclina aurem*, id est, ad humilitatem discendam aures submitte; nam *inclinare* est ab excelsioribus ad humilia submitti. Iterum videndum est, quare, cum dicit *aures*, subjunxit *cordis*, cum suffecisset illi dixisse *aures* sine adjectione *cordis*, quia scriptura divina ubi *aures* dicit, cordis aures requirit; unde Dominus in Evangelio dicit: *Qui habet aures audiendi audiat;* ibi enim non de auribus corporeis dixit, quia omnes, qui illic aderant, aures corporis habebant, et nemo illic venisset ad audiendum, nisi aures corporis habuisset, sed quia Dominus cognoscens ut Deus vidit, ibi multos non aures cordis habuisse, [et] ideo dixit: *Qui habet aures audiendi audiat*, ac si diceret: Illos alloquor, qui aures cordis habent; nam aures exterioris hominis sonum audiunt, sed non discernunt, aures autem in-

terioris hominis audiunt et discernunt. Et ipse homo exterior communis est cum bestiis; homo autem interior communis est cum angelis, et ipse ad imaginem Dei factus est. S. vero Benedictus ideo dixit *cordis*, ut ibi nulla difficultas esset intelligendi, de quibus auribus diceret, quia humilibus et simplicibus loquebatur. Aures autem secundum antiquorum sapientium sensum dictae sunt quasi *audes* ideo, quod audiant. Secundum vero novorum sapientium aures dictae sunt ab hauriendo, eo quod hauriant sonum. Nunc iterum videndum est, qua ratione S. Benedictus, cum dixit *cordis,* subjunxit *tui*, cum suffecisset illi *cordis* dixisse tantum. Sed ideo dixit propter exaggerationem cordis, id est propter nimiam intentionem cordis. Ea quippe intentione dixit S. Benedictus *tui*, qua intentione dixit Deus ad Ezechielem prophetam *tuis*. ait enim: *Fili hominis, vide oculis tuis et auribus tuis audi et pone cor tuum in omnia, quae ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi, adductus es huc.* Ideo dixit *tuis*, quia oculos cordis vel aures cordis requirebat, ac si diceret: quia non potes ista, quae ego ostendo tibi, oculis corporeis videre, et auribus corporeis audire, idcirco dico *tuis,* ut ea propheticis oculis videas et auribus propheticis audias. Ita S. Benedictus in hoc loco dixit *tui*, ac si diceret: et quia haec, quae ego loquor tibi, non potes auribus corporeis audire, idcirco dixi *tui*, ut ea auribus cordis audias.

Et admonitionem pii patris libenter excipe. Inter admonitionem et doctrinam hoc potest interesse: doctrina est ostensio rei, quae debet fieri, et quae non debet fieri; admonitio vero est exoratio, ut fiat vel non fiat. Nunc iterum videndum est, qua ratione S. Benedictus cum dixit *patris* praemisit *pii,* cum suffecisset dixisse tantum *patris?* Sed ideo dixit *pii* propter exaggerationem paternitatis affectus id est, ut ostenderet, se nimium paternum amorem habere. Altero modo dixit *pii* ad seperationem illorum, qui crudeles sunt patres, veluti est diabolus, de quo Dominus in Evangelio dicit: *Vos ex patre diabolo estis, quia opera ejus facere vultis.* Diabolus enim, quanquam blanda et

dulcia tibi promittat, tamen quia intentio illius deceptionis atque perditionis est, ideo est crudelis, et ipse, qui nunc est suasor dulcedinis, ille erit accusator noster ante Deum. Multi vero carnales patres crudeles sunt in eo, quod mittunt filios suos ad furandum et ad rapiendum seu ad cetera mala peragenda causa dilectionis eorum, ut ex hoc abundent divitiis. Deinceps quidem sunt patres carnales, qui, quamvis non mittunt filios suos ad mala perpetranda, tamen quia non docent illos bene agere, aut non permittunt vel concedunt illos doceri, crudeles sunt. Et quid mirum, si multi patres carnales sunt crudeles, cum etiam multi doctores atque praepositi ecclesiae crudeles existunt? quia omnis, qui locum tenet regiminis ecclesiae, si plus amat vel diligit terrena quam coelestia, crudelis est.

Et sive intelligas in hoc loco patrem Benedictum sive alium quemquam doctorem in loco ejus constitutum, sive ipsum Dominum, est sensus, cum dicit: *admonitionem pii patris libenter excipe*, i. e. si forte quemquam crudelem patrem secutus es, hortor te atque admoneo, ut deseras illum crudelem et sequaris istum, qui pius est.

Iterum videndum est, qua ratione cum dixit *excipe*, praemisit *libenter?* Et non dixit *excipe* tantum, sed ideo dixit *libenter* propter exaggarationem devotionis tuae, ut imperium patris atque magistri summa cum devotione excipias. Nam sunt multi, qui imperium suscipiunt patris vel magistri, tamen non libenter suscipiunt, eo quod non bona voluntate suscipiunt illud: *libenter* namque potest intelligi quasi *placenter*, id est, sponte vel voluntarie, eo quod devotionem tuam voluit perfectam esse, cum ostendit in illo verbo, quod dicit *excipe*; *excipere* enim est valde accipere, id est: aeque atque devote accipere.

Iterum videndum est, qua ratione, cum dicit *comple*, praemisit *efficaciter?* Ideo enim dixit *efficaciter* propter exaggerationem, id est perfectionem operis, quia voluit ostendere, ut nihil perfectionis deesset tuo operi; *efficaciter* enim quasi *effectum, id est consummationem capienter* dicitur. *Efficaciter* namque est: pefecte, pl eniter; nam quia sunt

multi, qui opus sibi injunctum non efficaciter, id est studiose vel perfecte complent, propterea dixi tibi, efficaciter complere, ut non tepide aut negligenter compleas. Egregius enim est in hoc loco ordo; ideo enim est egregius, quia prius docuit libenter excipere, et postmodum efficaciter complere.

Nunc quasi tu aut aliquis, cui haec imperantur, interrogasset illum dicens: Quo fructu aut qua ratione, pater Benedicte, jubes me ita agere, id est libenter praeceptum patris excipere et efficaciter complere? reddit causam, qua hortetur haec agere, quasi dicat: Vis scire, quo fructu aut qua ratione, fili, ita dico tibi agere? Ideo te moneo, haec agere, *ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Sunt enim multa loca in divinis scripturis, in quibus nota persona manifestatur per pronomen et officium, veluti est in hoc loco, cum dicit *eum.* Ecce *eum* pronomen est relativum et positum est sine praemissione nominis. Sed quamvis B. Benedictus non nominatim indiceret personam, ad quam debeas redire, tamen quia Dei persona nota est omnibus, ideo manifestavit illam tibi per pronomen istud relativum et per officium illud, quod subjunxit: *a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Omnibus enim notum est, quia per inobedientiam recesseramus a Deo.

Nunc iterum videndum est, quare S. Benedictus adjunxit *laborem* obedientiae? Ideo enim junxit *laborem* obedientiae, quia cognovit, non posse esse obedientiam sine labore. Adam enim pater noster cum esset in paradiso, potuit sine labore obedientiam Deo exhibere; nos vero e contrario expulsi de paradiso et in hoc exilium missi non possumus sine labore obedientiam Deo exhibere.

Nunc iterum videndum est, qua ratione junxit S. Benedictus inobedientiae *desidiam?* Ideo junxit inobedientiae desidiam, quia cognovit, inobedientiam non posse esse sine desidia, eo quod *desidia* dictum est quasi *desinens.* Et ille est inobediens, qui desinit implere, quod sibi injunctum est. Item advertendum est, quia S. Benedictus in hoc loco

inobedientiam primi hominis tetigit et per illius inobedientiam tetigit nostram, cum dixit: *a quo per inobedientiae desidiam recesseras*, quia nostra inobedientia ex illius inobedientia nata est; et nisi ille inobediens esset, nos nequaquam inobedientes essemus, nos enim per illius inobedientiam omnes aequaliter recessimus a Deo, post vero unusquisque, in quantum plus peccat, tantum plus recedit a Deo. Et quod alii valde, alii minus longe recedunt a Deo, testatur sermo propheticus, qui ad Jerusalem dicit; ait enim: *Filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent.*[1]) Per hos, quos dixit de longe venire, indicat illos, qui de plurimis et de magnis peccatis convertuntur ad Deum, per illos vero, quos dixit *de latere surgent*, illos significat, qui non de multis vel magnis convertuntur, quia, sicut diximus, quantum plus peccat unusquisque, tantum plus recedit, et quantum minus peccat, tantum minus longe recedit.

Apte enim et congruenter nunc dicit: *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur*, postquam allocutus est parvulos quasi filios libenter excipere et efficaciter complere praeceptum patris, et postquam reddidit causam, qua debuisset ille discipulus libenter excipere et efficaciter complere. Neque enim consequens erat, ut prius coepisset docere, nisi ante allocutus fuisset illum, qui docendus esset, qualiter debuisset excipere vel perficere, quod sibi injunctum fuisset; prius enim sub generalitatis nomine quasi uni de multis dixit: *ausculta o fili*, nunc vero postquam tu decrevisti auditor esse et obtulisti te ei ad suscipiendam ejus doctrinam, idcirco specialiter tibi assumpto de multis dixit: *Ad te nunc sermo meus dirigitur.* Istud enim adverbium, quod est *nunc*, in isto loco positum est, quia ab hinc coepit docere.

Nunc videndum est, qua ratione dicit S. Benedictus *meus sermo*, cum Dominus dicat: *Mea doctrina non est mea*, et item ad Ezechielem[2]) prophetam Dominus dicat: *Fili hominis! speculatorem te dedi domui Israel; audies ex*

---

[1]) Isaias 60, 4.

[2]) c. 3. v. 17.

ore meo sermonem et annuntiabis eis ex me. Et item in Evangelio dicitur: *Quare non dedisti pecuniam meam nummulariis?* Jam si Domini pecunia est, restat, ut doctrina sanctorum non sua sit sed Domini. Et si praedicatio sanctorum non sua est sed Domini, videtur nunc contrarium esse, quod S. Benedictus dixit: *meus sermo.* Sed hoc non est contrarium, quod Benedictus *meus* dixit, quia doctrina sanctorum et sua et Domini est: sua est per susceptionem, Domini est per administrationem. Si vero interrogasses S. Benedictum dicens: cur tuum sermonem esse dicis et non Domini? ille vero similiter respondisset tibi dicens: iste sermo Domini est et meus. Domini est per administrationem, meus est per susceptionem. Sicut enim doctrina dicitur Domini esse et sanctorum, ita etiam et de virtutibus dicitur, veluti sunt hae: spes, fides, caritas, patientia et cetera. Domini quidem sunt per administrationem, sanctorum sunt per susceptionem. Et quod doctrina sive virtus et Domini et sanctorum sint, testatur Paulus apostolus una eademque sententia, cum dicit: *plus omnibus laboravi, sed non ego.* Ecce Paulus et se dixit laborasse et dicit non laborasse; in eo quod dicit: *plus omnibus laboravi*, per susceptionem dixit, et in eo, quod dixit: *non ego*, per administrationem dicit. Magna enim differentia est inter falsos et veros praedicatores; falsi enim dicunt: *mea est doctrina*, veraces iterum dicunt: *mea est doctrina*, utrumque enim verum est; et verum est, quod falsi dicunt, et verum est, quod veraces praedicatores dicunt; nam falsi praedicatores veraciter dicunt: *mea doctrina* est secundem inventionem, veraces e contrario verum dicunt: *mea doctrina est secundum susceptionem.*

Nunc videndum est, quis sensus sit in isto verbo, quod est *abrenuntians,* vel utatur isto sermone.

Abrenuntians enim intelligitur repellens aut respuens seu dejiciens. Isto enim sermone utitur sancta ecclesia, quando intromittuntur fideles in unitatem ecclesiae. Et nisi interrogati fuerint a sacerdotibus dicentibus sibi ita, id est: *Abrenuntias diabolo et operibus ejus, et iterum seculo*

et pompis ejus? non intromittuntur intra sanctam ecclesiam. Vide modo, quia sicut non intromittuntur fideles in sanctam ecclesiam, nisi abrenuntiaverint diabolo et operibus ejus, seculo et pompis ejus, ita etiam non suscipiuntur isti a disciplina monasticae doctrinae, nisi abrenuntiaverint prius propriis voluntatibus. Et sicut ecclesiae studium est maxime in abrenuntiando idolorum servitutibus, ita studium est monasticae disciplinae in abrenuntiando propriis voluntatibus.

Nunc videndum est, quid sit propria voluntas. Hic adtende, quia per circumlocutionem venit ad hoc, quod interrogatur, quid sit propria voluntas. Si enim interroges, quid sit proprium hominis, proprium hominis est, nil boni habere, quia, postquam primus homo libero arbitrio male utens ejectus est de paradiso, nil boni proprium habuit. Verum sciendum est, quia ita non dicimus, postquam expulsus est de paradiso, non habuisse hominem aliquid boni a se, quasi prius, cum erat in paradiso, habuisset, sed homo bonum, quod habuit in paradiso, a Deo habuit, et ita habuit, ut sine labore haberet. At nunc postquam pulsus est de paradiso, illud bonum, quod a Deo sibi datum sine labore in paradiso exercebat per liberum arbitrium [1]) — infirmatum est ipsum liberum arbitrium, ita ut sine labore nunc non possit illud bonum operari. Et quod homo nihil boni proprium habeat, testatur Dominus in evangelio, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere*, et in hoc loco, ubi dicit *nil*, subaudiendum est *boni*. Et sicut in hoc loco non potest excludi bona operatio vel cogitatio, ita etiam ipsarum bonarum cogitationum intentio non potest excludi. Et ita psalmista dicit: *Misericordia ejus praeveniet me,* et Paulus apostolus dicit: *Qui operatur in vobis velle.* His ergo exemplis testantibus noscimus, non solum bona opera vel cogitationes, sed etiam ipsas rimas bonarum cogitationum ab homine non esse. Jam ergo si nil boni habet homo a se, sed malum, tunc

---

[1]) Anacoluthon. (?)

cum dixit: *propriis voluntatibus*, consequens est, ut de vitiis intelligamus. Sed quia solet diabolus sub specie bonitatis hominem decipere, idcirco volens B. Benedictus utroque periculo carere suum auditorem. dixit: *abrenuntians propriis voluntatibus*, id est non solum illam, quae aperte mala suggerit, sed etiam illam, quae sub specie bonitatis occulte suadetur, debet respuere voluntatem. Secundum vero aliorum sensum propria voluntas intelligitur etiam de bona re, verbi gratia, vigiliae bonae sunt, orationes bonae sunt, jejunium bonum est, sed item propriae nostrae fiunt, cum ea separamus a senioris vel a bonorum fratrum consensu, verbi gratia, sicut equus aut bos aut aliqua res, quam cum possidemus sine communione aliorum fratrum, efficitur nostrum proprium. Necnon et iterum si bos aut ager est communis, dicitur noster, si vero non est communis, dicitur meus; ita etiam oratio aut nuditas aut caeterae operationes bonae si cum consensu spiritalis patris fiunt vel bonorum fratrum, tunc dicuntur nostrae; si vero proprio arbitrio, id est sine consensu spiritalis patris vel bonorum fratrum, dicitur meum. Ita etiam orationes vel nuditates, aut caeterae bonae virtutes, si eas proprio arbitrio, id est sine consensu spiritualis patris vel bonorum fratrum exercuerimus, efficitur nostrum proprium, quia, quamquam bonae sint, tamen si eas proprio arbitrio usi fuerimus, in proprium nobis reputabuntur. Ita enim dicimus bonas has res propriam voluntatem, verbi gratia, si vis triduanam aut biduanam agere aut totam quadragesimam jejunare, et dixerit abbas aut spiritalis frater, non esse bonum, tu debes dimittere, aut certe quidquid tu agis, ut displiceat aut abbati spiritali aut fratribus spiritalibus, et tu cognoveris, non debes in tua voluntate ipsa bona operando persistere dicens, bonum esse. Et hoc, si boni fuerint, quibus displicuerit; nam si mali fuerint, non est auscultandum, nam debes semper bona agere, ut tibi et aliis proficias.

Sequitur: *Domino Christo vero regi.*

Ista enim singula verba plena sunt gravitate; *Dominus* enim a domo dictus est, quia sicut ille, qui praeest domui,

ea, quae in domo sunt, regit et gubernat, ita Dominus omnia regit atque gubernat. Ubi enim mentionem Filii Dei audis vel legis, mysterium tuae redemptionis vel totius humani generis ibi recole. Et quamquam redemtio humani generis ad operationem sive miserationem sanctae et individuae Trinitatis referatur, tamen ad Filium specialiter refertur, quia ille sanguinem fudit pro redemtione humani generis, non Pater et Spiritus sanctus, eo quod Pater et Spiritus sanctus non assumpsit carnem, sed Filius.

Nunc videndum est, quare non dixit S. Benedictus tantum *Domino*, sed addidit *Christo?* Ideo addidit *Christo,* quia per istud nomen, quod est appellativum Filii, mysterium redemptionis tuae tibi voluit in memoriam reducere; superius enim dixerat, a quo per inobedientiae desidiam recesseras, nunc autem ideo addidit *Christum*, ut manifestaret tibi, quia per ejus specialiter redemptionem revocatus es ad Deum. Nam Christus ideo est appellativum nomen Filii, eo quod multi fuerunt, qui christi dicti sunt; sed quamquam cum hominibus appellativum sit, illi tamen non est appellativum cum Patre et Spiritu sancto, quia hoc nomen ad incarnationem Filii attinet. Unde Beda in tractatu actuum apostolorum ita dicit: Christus enim a chrismate, i. e. ab unctione nomen accepit juxta quod dicitur: *Unxit te Deus Deus tuus oleolaetitiae*, i. e. Spiritu sancto; *Christus* enim graece latine *unctus* dicitur. Quotquot enim antiquitus reges erant, *christi* dicebantur, quia uncti erant a prophetis unctione corruptibili. Iste autem Christus unctus est non unctione corruptibili, sed unctione spiritali, id est plenitudine Spiritus sancti, de quo dictum est: *Spiritus Domini super me, propter quod unxerit me*, cui etiam Psalmista dicit: *propterea unxit te Deus Deus tuus in aeternum oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Quando enim consortes nominantur, naturam carnis intellige, quia Deus consortes substantiae suae nos non habet. Et quia erat unctio spiritalis et nequaquam humani corporis, ut fuit in sacerdotibus Judaeorum, idcirco *prae consortibus*, id est prae ceteris sanctis unctus esse memoratur, cujus unctio illo expleta est tempore, quando

baptizatus est in Jordane et Spiritus sanctus in specie columbae descendit super eum et mansit in illo. Unctus est igitur oleo spiritali et virtute coelesti, ut paupertatem conditionis humanae thesauro resurrectionis rigaret aeterno et captivitatem mentis auferret atque caecitatem illuminaret animarum nostrarum.

Nunc etiam videndum est, qua ratione B. Benedictus cum dixit *regi* praemisit *vero*. Ideo enim dixit *vero regi*, ut separaret eum ab his, qui non sunt veri reges natura, eo quod alii sunt, qui non sunt veri reges natura. Sic enim B. Petrus apostolus cum dixit Domino: *Tu es Christus filius Dei*, addidit *vivi* ad separationem deorum mortuorum. Ita etiam lux sanctorum apostolorum non erat vera lux natura, nam Petrus lux erat, Johannes lux erat, de quo dictum est: *Erat Johannes lucerna ardens;* ardens erat Johannes fide et dilectione, lucerna autem verbo et actione, sed sicut dixit, non erat vera lux natura, quia alius erat vera lux, qui eos illuminabat, de quo dictum est: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Iterum videndum est, quid sit *militaturus*, aut cur dixit S. Benedictus *militaturus*, et non dixit *serviturus* vel *obediturus.* Militaturus enim intelligitur certaturus vel pugnaturus; et quia voluit tibi S. Benedictus indicare, ad pugnam vel laborem te accessurum. ideo dixit *militaturus*, quia militare proprie pugnare est. Hic etiam animadvertendum est, quia illud, quod Salomon multiplicibus verbis comprehendit dicens: *Fili! accede ad servitutem Dei et praepara animam tuam ad laborem*, ipsum etiam B. Benedictus uno eodemque sermone comprehendit, cum dixit *militaturus.* Nam cum superius dixit: *abrenuntians propriis voluntatibus,* nunc autem subjunxit *militaturus*, quid aliud ostendere voluit, nisi pugnam et laborem te esse subiturum? Tu vero quando propriis voluntatibus abrenuntias et alterius voluntati te submittis, quasi ad pugnam accedis. Hic etiam videndum est, quia cum dixit: *Christo vero regi militaturus*, non dixit: contra Christum, sed pro Christo militaturus,

sicuti cum dicitur miles terrenus regi terreno militaturus, non dicitur contra regem, sed pro rege terreno militaturus.

Et quia pugnam te indicavit subiturum, ideo subjunxit: *obedientiae arma.* Nam sicut reges isti, reges terreni, cum mittunt militem suum ad pugnam, arma illi praebent, ita et B. Benedictus, quia ad pugnam cognovit te accessisse, armatum te indicavit esse, et non alterius armis armatum te indicavit accessisse, sed armis obedientiae; nam quamvis sint arma castitatis aut jejunii aut ceterarum virtutum, tamen non te indicavit alterius virtutis arma sumsisse nisi obedientiae, eo quod sicut est initium peccati recedendi a Deo inobedientia, ita initium convertendi ad Deum est obedientia. Nam sicut in exordio conversionis abrenuntiando idolorum cultibus ab his, qui percipiunt baptismatis sacramentum, requiritur, ita etiam requiritur in initio conversionis ab his, qui recipiuntur a monastica disciplina, abrenuntiatio propriarum voluntatum, quae intelligitur obedientia.

Item etiam intuendum est, quare S. Benedictus indicavit, illum abrenuntiantem propriis voluntatibus arma suscepisse, et ipsa arma quare *fortissima* et non fortia? Cognoverat enim B. Benedictus, inimicum nostrum diabolum fortem esse et armatum testante Domino, qui de illo etiam in Evangelio dicit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet.* Ideo indicavit illi, arma sumpsisse, ut se cognoscat armatum contra armatum pergere; et propterea fortissima et non fortia, quia fortis non vincitur nisi a fortiore. Et bene postquam dixit *militaturus,* armorum fecit mentionem, ut se cognosceret ille, quando ad hoc opus venit, quasi ad proelium venisse. Nam sicut indecens est et periculosum, qui ad proelium pergit, sine armis pergere, ita inconsequens est, qui hoc opus adgreditur, arma, per quae virtutes intelliguntur, non sumere, ac si diceret illi, cum dixit *militaturus*: obedientiae fortissima atque *praeclara* arma assumis, id est, quia cum abrenuntiasti omnibus et meo discipulatui adhaesisti, ad

proelium te cognosce accessurum, et ideo te cognosce arma obedientiae sumpsisse.

Iterum videndum est, quia sicut Paulus apostolus hortatus est suos auditores arma sumere dicens: *Sumite armaturam Dei, ut possitis resistere diabolo*, ita S. Benedictus suum auditorem indicavit arma obedientiae sumpsisse. Et hoc etiam intuendum est, quia hostis noster diabolus aut vincitur per similia arma, aut per similia et dissimilia. Per similia vincitur, cum obedientia inobedientiam superat; similia enim sunt genere pugnae, quamvis sensu dissimilia sint; aut vincitur per similia, sicuti diximus, et dissimilia, id est, cum obedientia pugnat contra inobedientiam et videt sibi fortiter resistere inobedientiam, et tunc adhibet sibi alias virtutes in adjutorium, id est humilitatem, orationes atque lacrimas, et tunc faventibus sibi istis virtutibus, quae dissimilia sunt arma inobedientiae, et[1]) — tunc obedientia inobedientiae victrix existit.

Sequitur: *Imprimis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.*

Forte quaerit quis, quare dixit S. Benedictus: *imprimis quidquid inchoaveris bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas*, cum homo non potest a se ipso aliquid boni inchoare? Cui respondendum est, quia illud *imprimis* duobus modis potest intelligi, primo quidem, ut mox dicturi sumus, deinde quod dicit *inchoare*, non est intelligendum, ut homo a se possit inchoare nisi a Deo, sicut dicit psalmista: *Misericordia ejus praeveniet me*; sed inchoatio boni et nostra est et Dei; nostra per susceptionem, Dei vero est per praevenientem gratiam suam, sicut dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* ecce et nostrum dicimus et dari poscimus, sicut legitur in *Moralia* quintae partis beatissimi Job.[2]) Et iterum Paulus: *plus omnibus laboravi, sed non ego.* Et hoc, quia non est nostra tota inchoatio, manifestat, cum subjungit: *ut qui nos jam in*

---

[1]) Anacoluthon (?).

[2]) Videtur significare *Moral. lib. 23. in cap. 33. B. Job.* (Migne, tom. 76. col. 281—283.)

filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.

Sequitur: *In primis ut quidquid agendum inchoaveris bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* Multi enim, qui nesciunt, emendant in hac regula, ubi *assumis* habetur, pro *assumis*, *assume*, et faciunt imperativum pro indicativo, ut sit: *obedientiae fortissima atque praeclara arma assume*, ut sit sensus, id est, ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus,[1]) assume obedientiae fortissima atque praeclara arma, et admoneo te inprimis, ut poscas instantissima oratione ab eo perfici, quidquid inchoas bonum agendum, ita ut suus sermo sit primus[2]) oratio, quam assumtio armorum, quia genus locutionis est, ut primum dicat multa agi, et in fine dicatur: in primis hoc fac, sicut Dominus in Evangelio dicit multa prius, postea dicit: *primum quaerite regnum Dei.* Si vero fuerit indicativus *assumis*, est sensus: *ad te nunc meus sermo dirigitur, tu quisquis assumis obedientiae fortissima atque praeclara arma militaturus Domino Christo vero Regi, abrenuntians propriis voluntatibus*, ac si diceret: tu qui hoc agis, id est, qui assumis arma obedientiae militaturus Domino Christo vero Regi, ad te modo meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis, inprimis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut qui jam nos in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari, id est, ut in primis deposcas Dominum. Sed sive sit imperativus, sive indicativus, nihil sensui impedit. Istud enim adverbium, quod est *inprimis*, duobus modis intelligitur, id est, si enim velis, illud ad superiorem sensum referre potes: similiter et ad inferiorem sensum potes Quod si ad superiorem sensum istud retuleris, ita intelligitur: Dixerat enim

[1]) militaturus es (?).
[2]) prius (?).

Pater Benedictus superius sub generalitatis nomine: *Ausculta o fili praecepta magistri et inclina aurem cordis tui et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Audita hac voce quis reliquit omnia et assumpsit arma obedientiae et separavit se ab aliis, stetit ante illum dicens: En Pater Benedicte, relictis omnibus, quae possedi et assumptis armis obedientiae, quia te cognovi pium, ecce sto ante te; nunc quid vis, jube. Ille vero quasi respondens dixisse videtur: Jam postquam relictis omnibus et assumptis armis obedientiae decrevisti, meus discipulus esse, ad te nunc ergo meus sermo dirigitur. Tu vero iterum, quasi interrogasses illum dicens: Quis est ille sermo, Pater, quem ad me dirigis? Ille iterum, quasi respondisset dicens: Inprimis, inquit, meum praeceptum istud est, id est, *ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut qui nos jam in filiorum dignatus est computare numero, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.* In isto namque sensu concordat se Apostolis dicentibus Domino: *Domine auge nobis fidem*; et iterum concordat se Domino dicenti: *Oportet semper orare et non deficere*, necnon Paulo Apostolo dicenti: *Sine intermissione orate.* Item alter sensus est ita, id est, si volueris istud *inprimis* ad inferiorem sensum referre, ita intelligi debet: Superius enim dixerat sub generalitatis nomine: *Ausculta o fili praecepta magistri et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis.* Sermo meus namque, qui ad te dirigitur, fili, iste est, id est, *ut inprimis quidquid agendum inchoas bonum ab eo perfici instantissima oratione deposcas.*

Sed tamen videtur in hoc sensu aliqua contrarietas esse in eo, quod dixit: *Inprimis*, et *instantissima oratione*, eo quod jam, quando inprimis homo orare debet Deum,

cum inchoat bonum, ut ab eo perficiatur suum opus, apparet, quia postea non debeat orare; sed, sicut diximus, contrarium videtur esse, cum dicit *instantissima*, eo quod si instantissime, id est invictissime debet orare, tunc non *inprimis* orat, sed semper. Et ideo istud *inprimis* in hoc loco positum est pro *semper*, sicuti est illud: *Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus et haec omnia adjicientur vobis.* Hic *primum* pro *semper* positum est.

Nam quid sit illa inchoatio, manifestat, cum dicit: *ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari*, ac si diceret: ideo instantissime orandum est, ne bonum, quod nobis tribuit, id est in adoptando in filiorum numero, per nostram negligentiam perdamus, ut, *qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.* Reddit enim causam, qua quis debeat instantissime orare, cum dicit: *ut, qui nos jam in filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis nostris actibus contristari.* In hoc loco quia voluit B. Benedictus dignationem Dei ostendere et dignitatem nostram, ideo dixit: *dignatus est in filiorum* etc., quia in eo, quod dixit, illos[1]) filios habere, patrem illum esse ostendit. Quomodo dignatio Dei ostenditur vel dignitas nostra? Dignatio Dei est in eo, quod, cum ille est omnipotens et immortalis et aeternus, condescendit nobis et se humiliando fecit se patrem nostrum. Nostra enim dignitas est in eo, quod ascendimus. Quomodo ascendimus? Nos enim cum simus mortales et temporales et corruptibiles ascendendo facti sumus filii immortales et incorruptibiles et aeterni. Isto enim modo locutionis nunc loquitur B. Benedictus, cum dicit *filiorum*, quomodo loquitur B. Johannes Evangelista, cum dicit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quo etiam modo loquimur accepta licentia in oratione dicentes: *Pater noster, qui es in coelis.*

---

[1]) illum (?)

Nunc videndum est, qua ratione S. Benedictus dicit, Deum contristari, cum Dei natura simplex sit et immutabilis, non contristetur, non irascatur?

Non enim B. Benedictus proprie dicit, Deum contristari, sed figuraliter. Cognoverat enim ille, quia, quibus modis loquuntur homines inter se, ipsis etiam modis loquitur de Deo vel ad Deum scriptura divina; nam decem modi sunt, quibus loquuntur homines inter se. Primus enim modus est natura, secundus qualitas, tertius quantitas, quartus facere, quintus: ad aliquid, sextus habitus, septimus situs, octavus locus, nonus tempus, decimus pati. Natura enim sive substantia est, cum dicitur Deus. Qualitas Dei est, cum dicitur bonus, sicuti est illud: *Quam bonus Israel Deus!* Quantitas Dei est, cum dicitur magnus, ut est illud: *Magnus Dominus et laudabilis valde.* Facere Dei est, ut est illud: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Et iterum: *Omnia, quaecunque voluit, fecit in coelo et in terra.* *Ad aliquid* Dei est, cum dicitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quamvis secundum personas proprium sit Patris, quod pater est, et Filii, quod filius est, et Spiritus Sancti, quod spiritus sanctus est, id est, nec persona Patris est persona Filii et Spiritus Sancti. Similiter et persona Filii nec persona Patris est et Spiritus Sancti. Et iterum nec persona Spiritus Sancti persona est Patris et Filii. Tamen cum dicitur Filius, respicit ad Patrem, et iterum cum dicitur Pater, respicit ad Filium, quia nec pater intelligitur sine filio, nec filius sine patre. Similiter cum dicitur Spiritus Sanctus, respicit ad Patrem et Filium, quia ex utroque procedit; nam Deo proprium est, quod Deus est; bonus enim et magnus proprium est Dei, quia non ex accidentia illi accidit, bonum esse et magnum, sed ipsum, quod illi est esse, bonum et magnum est atque perfectum. Facere enim Dei proprium est, eo quod ipse fecit omnia, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Reliqui vero modi quinque isti sunt: primus habitus, secundus situs, tertius locus, quartus tempus, quintus pati. Habitus enim in Deo dicitur, sicuti

est illud: *Abyssus sicut vestimentum opertorium ejus.* Situs enim in Deo dicitur, ut est illud: *Qui sedes super Cherubim.* Iste enim modus, qui dicitur situs, tribus modis constat: jacere, sedere, stare. Item locus in Deo dicitur, ut est illud: *Qui es in coelis*, et iterum: *Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades.* Tempus in Deo dicitur, ut est illud: *Anni tui non deficient.* Pati vero est tristari, laetari, irasci, gaudere, oblivisci, recordari, poenitere et cetera. Sed hi quinque modi non proprie dicuntur in Deo, sed abusive; nam habitus Dei, situs Dei, locatio Dei, tempus Dei, pati Dei, more nostro dicuntur. Hoc notandum est, quia natura proprium hominis est et Dei. Hominis, quia accepit, Dei, quia Deus illam fecit. Qualitas autem et quantitas, si in malo est, tunc est proprium hominis; si autem bonum est, et Dei et hominis, Dei dando, hominis vero accipiendo. Similiter et facere Dei est per dationem, hominis vero per susceptionem. Decimus enim modus est iste, cum dicit B. Benedictus, tristari Deum; nam figura est, quae dicitur a propria significatione ad non propriam significationem; nam proprium est hominis tristari, Dei enim non est proprium, quia ille immutabilis est et in uno tenore semper permanet, sicut de illo scriptum est: *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Sed quamvis non proprie, tamen ideo dicitur Deus tristari de malis nostris actibus, ut cognoscamus nos, cujus poenae digni sumus, si ea fecerimus, quae illi displicent, verbi gratia, generas filium vel optas aliquem in filium et das illi haereditatem vel bona tua; ille vero confortatus plenus divitiis tuis facit amicitiam cum inimico tuo et erigit se contra te faciens ea, quae tibi displicent. Tu vero vides illum tuis bonis confortatum ac plenum contra te erigere; statim contristaberis vel poenitebit te, eo quod illi dedisti bona tua, quia, nisi haberet bona tua, non potuisset facere contra te quidquam. Ita et in Deo: Deus enim cum creavit nos et adoptavit nos in filios, [et] tribuit nobis sua bona, nos vero pleni de ejus bonis atque confortati facimus amicitiam cum diabolo, qui est inimicus Dei

et agimus ea, quae Deo displicent. Deus vero videndo hoc, quia ei displicent, dicitur tristari, non ut ille tristitiam habeat, sed ut nobis demonstret, sicut diximus, cujus poenae digni sumus facientes illud, quod illi displicet. Haec autem locutio talis est, qualis illa, quae in psalmis legitur, ubi Christus ad Judam dicit: ait enim: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo; tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul dulces capiebas cibos!* Subaudiendum est in hoc loco: cur me tradis? Et est sensus in hoc loco, cum dicit, Deus[1]) tristari de malis nostris actibus, econtrario intelligitur gaudere Deus de bonis nostris actibus, quamvis non proprie, sed abusive, quia cum dicitur, ut ille gaudeat, non ut ille gaudeat, sed ut nobis demonstret, quia gaudii sumus digni, si ejus tamen voluntatem implemus.

Sequitur: *Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.* Perseverat adhuc Benedictus in intentione sua i. e. in illa similitudine, quam superius dixit contristari, cum dicit: *ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.* Sed nunc prius ipsa verba inspicienda sunt. *Ita* enim intelligitur *taliter*; *ei* subauditur *Deo,* qui nos in filiorum dignatus est numero computare. *Omni tempore*, i. e. non per intervallum temporis, sed jugi tempore. Egregia enim admonitio est, cum dicitur: *omni tempore*, quia, ubi dicitur servitus Dei, monetur omni tempore ea esse; [nam] hominis vero servitus non

[1]) Deum (?).

potest omni tempore esse, sed per intervallum temporis. Sed hic inspiciendum est, quia istud, quod dicitur *omni tempore*, non ad exterioris hominis officium attinet, sed interioris, quia noster exterior (homo) non potest assidue Dei servitium exercere propter singulas praeoccupationes terrenas, quibus praeoccupari solet, sine quibus non potest subsistere, sed ad interioris hominis officium attinet, quia ille semper potest Dei servitium exhibere. Et quamquam noster homo exterior sicut diximus, praeoccupetur diversis curis terrenis, sine quibus non potest subsistere, tamen interior noster homo intentione Deo semper potest servire, i. e. si ejus intentio in Deo consistit.

Hoc etiam animadvertendum est, quia istud *omni tempore* ad illas virtutes attinet, quae omni tempore debent fieri, nec ad momentum praeteriri. Nam sunt virtutes, quae jugiter exerceri possunt et debent, ut sunt istae: caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Hae autem virtutes ideo possunt et debent semper exerceri, quia si aliquando pro aliquibus causis, quae accidere solent, non possunt in ostentatione operis fieri, tamen in intentione mentis semper possunt et debent exerceri, eo quod sine his interior homo noster non potest salvus consistere. Et sunt iterum aliae virtutes, quae non possunt nec etiam debent semper exerceri tam in ostensione operis quam in mente, ut sunt istae: lectio, jejunium, silentium. Unde Salomon dicit: *tempus tacendi et tempus loquendi, tempus jejunandi et tempus manducandi* etc., quia, cum pro aliqua accidentia non possunt in ostensione operis fieri, quamvis pro his faciendis si in corde voluntas fuerit legendi aut jejunandi, tamen non dicitur lectio vel jejunium, sed tantum bona voluntas. Nam istae tales virtutes si pro aliqua re meliore, verbi gratia pro caritate dimittuntur, sicut in ostensione operis non fiunt, ita etiam nec in corde debent teneri, eo quod caritas de corde debet procedere puro.

Sequitur: *de bonis suis*, i. e. pro bonis, quia *de* pro *pro* ponitur; *in nobis*, id est a nobis; nam *in* pro *a* poni-

tur, quia solet poni praepositio *in* in scripturis divinis pro praepositione alia, ut est illud: *locutus est Deus in Filio,* id est per Filium. *Parendum*, id est obtemperandum vel obediendum.

Sequitur: *ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam.* In hoc enim loco dividit illam similitudinem, quam superius dixerat, Deus tristari, in duas species vindictae; prima species, id est in ultione mali filii, secunda in vindicta mali servi; verbi gratia: Ecce! quis habet filium et servum, et isti ambo provocant animum ejus ad iram. Ille vero filium suum exhaeredat, servum autem mittit in carcerem aut excutit illi oculos aut caetera mala, quae servus promeretur pati, illi facit. Ita et Dominus nobis facit, si ejus voluntati non fuerimus obedientes; nam ille noster et pater et dominus est. Pater est in filios adoptando, quia nos adoptavit in filios, id est, fecit nos haeredes esse suos, cohaeredes autem filii sui, sicut Paulus Apostolus dicit: *haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Dominus enim noster est creando, quia nos, cum nihil essemus, fecit nos esse aliquid. Et ideo nobis duo sua beneficia donavit, id est creationis ex nihilo et adoptionis ex perditione. Metuenda est valde haec sententia nobis, qua dicit: *ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam.* Et reddit causam, in quos? id est in illos, *qui eum sequi noluerint ad gloriam*, id est, quia non solum pro tantis beneficiis nobis impensis, si suae voluntati non placuerimus, exhaeredat nos ab illa haereditate, quam nobis dedit per gratiam, verum etiam tradet nos in poenam perpetuam, sicut in subsequentibus manifestat, cum dicit: *qui eum sequi noluerint ad gloriam.* In hoc enim loco notandum est, quia plus est *irritatus* quam *iratus*: nam ille irritat, id est provocat, qui ex studio malae voluntatis alterum facit irasci; nam irasci facere potest, qui simpliciter peccat.

Sequitur: *Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos scriptura ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere.* Apte enim et congrue, postquam diviserat illam similitudinem in duas species, id est in vindictam mali filii, qui exhaereditatur, et in ultionem mali servi, qui poenis traditur, nunc subjunxit: *Exsurgamus ergo tandem aliquando;* solet enim divina scriptura aliquando praeceptum dare, aliquando narrare, aliquando exhortari sive admonere. Praecipit enim divina scriptura, ut est illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos,* et cetera multa, quae praeteriri sine peccato non possunt. Narrat enim, ut est illud: *In principio fecit Deus coelum et terram;* nam ille narrat, qui rem praeteritam vel praesentem dicit. Exhortatur enim vel admonet, sicuti idem B. Benedictus in hoc loco facit, cum dicit: *Exsurgamus tandem ergo aliquando.* Istud enim *aliquando* sub uno accentu proferri debet et intelligitur *vel sero saltem, tarde* vel *nunc.* Istud enim *exsurgamus* situm mentis significat. In situ enim tria sunt consideranda, sicut diximus: jacere, sedere et stare. Sed *surgamus* ad jacere et sedere respicit, quia nemo nisi jacenti aut sedenti surgere dicit. Ubi vero *ergo* repetitur semper ad superiorem sensum respicit. Et est sensus, cum dicit: *Exsurgamus ergo tandem aliquando,* id est, si ita est, ut malus filius exhaeredetur et malus servus puniatur, nos ergo, qui filii sumus et servi, surgamus vel sero, vel nunc, ut qui usque modo jacuimus in peccatis nostris, nunc exsurgamus ad bona facienda, ne nobis talia contingant, qualia filio vel servo malo contingunt, quia utrumque sumus, id est filii et servi. Somnus enim iste non de somno corporis, sed de somno mentis dicit: multi enim sunt, quibus iste somnus somnus est, et sunt alii, quibus iste somnus mors est; illis enim est iste somnus mors, qui a sua malitia non sunt conversuri, et illis est iste somnus somnus, qui a suo torpore conversuri sunt. Felices enim illi, quibus iste somnus somnus est, et infelices illi, quibus iste somnus mors est.

Sequitur: *Excitante nos scriptura ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere.* Bene sermo magistralis cum scriptura divina exhortatur suum auditorem: *exsurgere.* Voluit B. Benedictus exemplum dare suis sequacibus, ut ea quae docenda vel admonenda sunt, cum auctoritate divinarum scripturarum admoneantur; ideo dixit: *excitante non scriptura*, ac si diceret: O fili! non meus sermo solus, sed cum scriptura exhortatur te, exsurgere velociter. Et hoc animadvertendum est, quia non qualicumque modo dixit: *surgamus*, sed: *exsurgamus*, id est: cito surgamus: nam in hoc loco, ubi *scriptura* dicit, subaudiendum est *divina.* Istud enim, quod dixit: *Hora est jam nos de somno surgere,* de Paulo apostolo sumpsit: dixerat enim B. Paulus ad gentes sub allegorico sensu dicens: *hora est*, in quantum somnus dicitur, eo quod somnus dicitur et infidelitatem significat, jam nos de somno, id est de infidelitate mentis surgere. Sufficit enim vobis, tanto tempore in infidelitatis permansisse somno, quia ab ipsius primi hominis deceptione usque modo in infidelitatis somno permansistis. Hora est jam nos de somno surgere, id est, jam maxima pars saeculi, hoc est quinque aetates consumtae sunt; nunc vero parva pars saeculi, i. e. ultima aetas est. Et quod per horam ultima aetas saeculi intelligatur, testatur Joannes coapostolus ejus, cum dicit; ait enim: *Filioli, novissima hora est.* Et idem ipse Paulus alibi hoc manifestat, dicit enim: *Nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt.* Et quamquam intentio Pauli ista fuit, dicere gentibus sub allegorico sensu, tamen et moraliter potest ad christianos referri. Unde Benedictus, sciens illum allegoricum sensum supradictum, non secundum allegoricum, sed secundum moralem hic illud locutus est. Et est sensus, cum dicit: *Hora est, jam nos de somno surgere,* id est: o peccator! jam hora est, ut nos convertamur a nostris iniquitatibus, quia ultimum tempus vitae nostrae instat, et non solum ad ultimam aetatem hominis hoc attinet, verum etiam ad unamquamque aetatem hoc referri potest, si mortis tempus

adtendimus, verbi gratia: hora est jam nos de somno surgere, id est, o infans! hora est jam a tua malitia convertendi, quia hora est, id est, finis vitae tuae instat.

Sequitur: *Et apertis oculis nostris ad deificum lumen attonitis auribus audiamus.* Quia perseverat [enim] in excitatione somni mentis, quam superius dixerat, manifestat ista particula, quae est *et*. Et bene *apertis oculis* dixit, quia sicut ille, qui a somno corporali excitatur, oculos corporis aperit, ita et ille, qui a somno mentis, i. e. torpore, oculos aperit cordis. Et forte ideo dixit *nostris*, quia mentis oculos voluit intelligi: nam quod ad oculos cordis hoc attineat, etiam istud manifestat, quod subjunxit: *ad deificum lumen*, ac si diceret: Non te, o fili, ad istud lumen temporale videndum excito, quod omnes bestiae seu animalia vident, sed ad illud, quod a nullo nisi ab angelis seu hominibus spiritalibus videtur, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Deificum* enim divinum intelligitur. Nam bene post apertionem oculorum subjunxit sollicitudinem aurium, quae per *attonitis* intelligitur; quia nostri interioris hominis auditus et visus non sunt divisa, sicut exterioris hominis, eo quod videre et audire insimul habet ille interior, et ubi videt, audit et intelligit. Exterior autem potest caecus audire et surdus videre.

Sequitur: *Divina quotidie clamans quid admoneat vox dicens. Divina* ideo dixit ad separationem humanae vocis. Nunc videndum est, quo modo est ista vox divina, cum ea non Dominus, sed David dixit. Vere divina est, quia quamquam David hoc dicat, tamen Spiritus sanctus per David locutus est; et quod Dominus per os prophetarum seu apostolorum et cunctorum sanctorum loquatur, testatur Paulus apostolus, cum dixit: *An experimentum ejus quaeritis, qui in me loquitur Christus?* Nunc iterum videndum est, quo modo quotidie divina clamet vox, cum sint multi, qui non habent expositores vel etiam librum divinarum scripturarum? [Et] Quamquam illis vox divina non clamet per exterioris hominis officium, tamen illa lex naturalis in cordibus eorum clamat: lex enim naturalis est cognitio crea-

turae et creatoris. Et tunc enim, quando se cognoscit unusquisque creaturam esse et habere creatorem, quid aliud est ista cognitio nisi clamatio legis naturalis? Et tunc monetur ille ab hac cognitione, ut non ulli creaturae, nisi creatori suo creatura serviat. Est etiam alia lex, quae clamat in cordibus fidelium, ut de virtute in virtutem ascendat, unde sub allegorico sensu de Domino Jesu dictum est: Et erat Jesus quotidie docens in templo; quotidie enim Jesus docet in templo suo, cum quotidie dignatur inspirare in corde uniuscujusque fidelis, ut de virtute in virtutem ascendat. *Hodie* enim pro praesenti vita ponitur, quia in hac vita sibi dies succedunt, in futura vero vita unus dies est. Et quod *hodie* ad praesentem vitam attineat, manifestat Paulus, cum dicit ad Hebraeos; ait enim: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis (habens) discedendi a Deo vivo, sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut nemo ex vobis obduretur fallacia peccati.* Istud enim, quod dicit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,* David propheta dixerat ad populum Israel; necnon et Paulus id ipsum eidem populo dicens interpretatus est: *hodie si vocem ejus audieritis* et caetera. Dixerat enim, sicut diximus, David ad illos Israelitas, qui fuerant filii eorum, qui erant liberati de Aegyptiaca servitute et transierant mare rubrum et in deserto suscepti sunt et manna de coelo perceperunt et XL annis in deserto morati sunt et ibi contra Deum murmurati sunt, et ob hoc nullus eorum intrare meruit in terram repromissionis, nisi solus Caleph et Josue. Ideo dixerat hoc David propheta, ne sicut patres eorum obdurarent corda sua. Et quamvis hoc historialiter ad Judaeos attinet, tamen ad Christianos, id est confessores Christi moraliter refertur, quia sicut illi de Aegyptiaca historialiter servitute liberati sunt, ita et isti moraliter de diaboli servitute, quae per Aegyptiacam servitutem intelligitur, liberati sunt. Et sicut illi historialiter per mare rubrum transierunt, ita et isti moraliter quasi per mare rubrum transeunt, cum baptizantur, quia mare rubrum

baptismum intelligitur; rubrum vero est baptismum propter passionem sanguinis Christi. Et sicut illi historialiter suscepti sunt in eremo post transitum maris rubri, ita isti moraliter suscipiuntur ab ecclesia post baptismum, quae per eremum intelligitur. Et sicut illi historialiter in eremo manna perceperunt, ita et isti moraliter in ecclesia corpus et sanguinem Christi percipiunt, quod per manna intelligitur. Et sicut post XL annos historialiter in terram repromissionis intraverunt, ita et isti moraliter post praesentem vitam, quae per illos annos intelligitur, ad gaudia coelestis patriae intromittuntur. Et sicut illi historialiter murmuraverunt in eremo, ita ex istis multi in ecclesia moraliter murmurant, cum per adulterium et caetera vitia ad pristinam vitam vel actionem revertuntur. Et sicut ex illis pauci id est tantum duo, hoc est Josue et Caleph in terram repromissionis intrarunt, ita ex istis moraliter pauci ad aestimationem multorum malorum intromittuntur in terram coelestis patriae, hoc est in paradisum, sicut scriptum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et sicut ex illis historialiter multi tribus plagis perierunt propter murmurationem, i. e. terrae hiatu et igni atque morsu serpentium, ita et isti propter mala sua opera moraliter plagis sibi divinitus illatis pereunt. Et quid mirum, si hoc moraliter ad populum catholicum, hoc est christianum generaliter refertur, cum etiam ad unumquemque monachorum moraliter hoc potest similiter referri? Et quod ad unumquemque monachorum hoc attineat, testatur Spiritus Sanctus, qui per B. Benedicti os in hac regula in testimonium adhibuit, ne, sicut illi Israelitae perierunt post perceptionem donorum Dei et ingrati dono divino extiterunt, ita monachus per conversionem, retro respiciens pereat. Nequaquam enim B. Benedictus istud in testimonium adhibuisset suo auditori, cum eum monere studuit, nisi illud per Spiritum Sanctum cognovisset, ad monachos etiam attinere. Nam sicut illi populi historialiter de Aegyptiaca servitute exierunt, ita etiam monachi moraliter, cum de saeculari conversione exeunt, quasi de Aegyptiaca servitute liberantur. Et sicut illi histo-

rialiter ad mare rubrum venerunt. ita et isti moraliter quasi ad mare rubrum veniunt, cum ad monasterium veniunt. Et sicut illi historialiter mare rubrum transierunt. ita etiam et isti quasi mare rubrum transeunt, cum propriis voluntatibus abrenuntiant, i. e. cum tria promittunt, i. e. de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientia coram Deo et Sanctis ejus. Et sicut illi in eremo suscepti sunt post transitum maris rubri, ita etiam isti quasi in eremo, cum post promissionem suam in monasterio suscipiuntur. Et sicut historialiter isti manna in eremo et aquam de petra acceperunt. ita etiam et isti moraliter manna quasi in deserto accipiunt, cum in monasterio spiritalem praedicationem a spiritali patre percipiunt. necnon etiam spiritalem cibum et potum percipiunt. cum panem vel potum monasterii percipiunt, quia ipse panis et potus monasterii spiritalis est, eo quod a fratribus pro caritate servientibus illum percipiunt. Etiam ipse Benedictus alibi testatur, rem monasterii quasi vasa altaris sacratam esse; ait enim: *Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Et sicut XL annis historialiter illi morati sunt in eremo. ita et isti moraliter quasi in eremo XL annis permanent, cum omnibus diebus vitae suae, i. e. tota vita sua, quae per illos annos intelligitur, intra claustra monasterii perseverant. Et sicut illi post XL annos historialiter in terram repromissionis ingressi sunt, ita etiam et isti moraliter post praesentem vitam, cum ad gaudia coelestia intromittuntur, quasi in terram repromissionis intrant. Et sicut multi eorum murmuraverunt in eremo, ita et isti moraliter multi in monasterio murmurant. Et sicut illi murmuratores perierunt tribus plagis, ita et isti pereunt tribus plagis divinitus illatis; nam potest intelligi per hiatum terrae claustra inferni, et per illum ignem ignem perpetuum,[1]) et per morsus serpentium suasiones pestiferas[2]) daemonum similiter potest intelligi.

---

[1]) ignis perpetuus (?)
[2]) pestiferae (?).

Sequitur: *Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.* Hoc autem B. Joannes Evangelista in libro Apocalypsi multipliciter, sicut sibi revelatum est, dixit; nam in fine uniuscujusque sermonis, quem singulae ecclesiae loquebatur, locutus est.

Nunc videndum est, quare S. Joannes Evangelista ecclesiis pluraliter dixit, cum Paulus apostolus unam ecclesiam esse praedicavit; ait enim: *despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ecce per virginem et castam unam ecclesiam designavit. sed quia unus Christus est, ita una est ecclesia; et sicut septem dona S. Spiritus, item et septem ecclesiae sunt propter septem dona Spiritus sancti. Quae septem ecclesiae per septem dona S. Spiritus ita intelliguntur: primum enim donum S. Spiritus est sapientia, ac per hoc, qui isto dono S. Spiritus, i. e. sapientia, plusquam alii repleti sunt, una esse ecclesia dicuntur. Deinde secundum donum S. Spiritus intellectus; similiter secunda ecclesia dicuntur illi, qui isto dono S. Spiritus, i. e. intellectu plusquam caeteri repleti sunt. Tertium donum S. Spiritus est consilium; similiter tertia ecclesia est, quotquot dono isto S. Spiritus, i. e. consilio plus quam caeteri abundant. Quartum donum S. Spiritus est fortitudo; similiter quarta ecclesia est omnes illi, qui isto S. Spiritus dono, i. e. fortitudine plus quam alii repleti existunt. Quintum donum S. Spiritus est scientia, ac per hoc quinta ecclesia dicuntur illi, qui isto dono quinto S. Spiritus, i. e. scientia plus quam caeteri abundant. Sextum donum S. Spiritus est pietas. deinde illi, qui istum donum sextum, quod est pietas, plus quam caeteri videntur habere, sexta ecclesia dicuntur. Similiter etiam septima ecclesia dicuntur omnes illi, qui isto septimo dono S. Spiritus, i. e. timore plus quam caeteri superabundant. Minus enim aptum videtur hoc esse testimonium superiori testimonio, i. e. non recte intelligentibus, eo quod in isto fit mentio aurium, et in superiore fit mentio cordis; sed in his nulla est contrarietas, quia superiora verba istius S. Benedicti, in quibus fecit mentionem aurium dicens: *attonitis auribus audiamus*, et istud inferius testimo-

nium, in quo similiter mentio aurium fit, cum dicitur: *Qui habet aures audiendi audiat*, faciunt intelligi illud testimonium, ubi mentio cordis est, de auribus cordis esse dictum. Nec non etiam superiora verba ipsius testimonii similiter aurium faciunt mentionem, cum dicunt: *hodie si vocem ejus audieritis*. Et est sensus, cum dicit: *Qui habet aures audiendi audiat*, *quid Spiritus dicat ecclesiis*, i. e. qui habet aures cordis, intelligat, quae dona S. Spiritus impertit ecclesiis, sive etiam, sicut Beda dicit: *Qui habet aures audiendi audiat*, *quid Spiritus dicat ecclesiis*, i. e. qui habet aures intelligentiae, quibus Dei verbum percipere possit, non contemnat, sed audiat, obediendo videlicet et faciendo, quae didicit, concordans cum B. Jacobo apostolo dicente: *Non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

Sequitur: *Et quid dicit?* Subaudiendum est: illa vox divina, ac si diceret interrogando: Quid dicit illa vox divina? Nunc vero quasi respondendo dicit: *Venite filii, audite me*, *timorem Domini docebo vos*. Si enim in hoc loco sensum proprium adtenderimus, sermo prophetae gentes allocutus est; hortatur enim sermo propheticus gentes, ad credulitatem venire, et bene dixit *venite*, et postmodum *audite*, quia nullus valet intelligere divina, nisi ea prius crediderit, ac si diceret: Venite credendo, quia nisi prius fidem habueritis, nequaquam poteritis verba doctrinae percipere, sicut dictum est: *Nisi prius credideritis, nequaquam intelligetis*. Et propterea vocavit filios eos, qui necdum crediderant, quia futuri erant filii credentes; nam unusquisque, qui imbuitur, ejus filius est, qui imbuit. Unde Paulus apostolus suos auditores filios vocat dicens: *Filioli mei*, *quos iterum parturio,* eo quod illos docebat credulitatem habere. Quia cognovit B. Benedictus tam sermonem propheticum, quam etiam Paulum plurimum suos auditores filios vocare, ideo in principio doctrinae suae suum auditorem filium vocavit dicens: *Ausculta, o fili!* Nam ipsi filii quasi respondendo dicunt: Ecce venimus, quid nobis proderit? Ille vero sermo propheticus quasi respondendo

dicit: *Timorem Domini docebo vos.* Et bene addidit *Domini,* quia non timorem hominis, sed timorem Domini docere cupiebat, ac si diceret: Non timorem humanum, sed Domini vos docebo, quia timor hominis poenam habet, timor vero Domini non poenam, sed requiem habet. Vox autem ista etiam moraliter potest intelligi. Omnes autem, qui post perceptionem baptismatis ad vitia revertuntur, a Deo longe recedunt, et tamen non pedibus, sed moribus recedunt; nam si non recessissent peccatores, nequaquam illos sermo propheticus vocasset venire, quia nemini dicitur venire nisi illi, qui recedit, ac si dicat illi sermo propheticus, cum dicit illis: *Venite, filii, audite me*, id est, quia recessistis a Deo pravis moribus, quamvis non fide, ideo hortor vos, o peccatores, id est, flendo venite et poenitendo atque mores vestros corrigendo venite. Et nunc videndum est, quare dicat *filii*, si peccatoribus dicit? Ideo dicit *filii*, ut audiendo nomen filii non se desperent, sed confidentiae vires sumant, ac si diceret: Nolitè desperare, sed fiduciam convertendi atque poenitendi sumite.

Sequitur: *Audite me,* ac si diceret: Nisi prius voluntatem convertendi seu poenitendi habueritis, nequaquam poteritis audire, quae vos docuero.

Sequitur: *Timorem Domini docebo vos.* Nunc iterum videndum est, quare dixit: timorem, et non dixit: fidem? Ideo non dixit: fidem, quia quamquam peccatoribus, tamen fidelibus loquitur. Et quare ergo non dixit: caritatem? Ideo non dixit: caritatem, sed timorem, quia caritas a timore inchoatur et nisi a timente Deum non habetur, eo quod fundamentum omnis boni operis timor Dei est. Unde Dominus dicit ad Job: *Ubi eras, quando fundamentum terrae ponebam?* Istum enim versiculum B. Papa Gregorius exponit dicens: ***Per terram intelligitur anima peccatrix***, *et per fundamentum intelligitur timor Dei*, *quia sicut in fundamento omnis operis fabrica collocatur*, *ita et in timore Dei omnis boni operis fabrica constituitur.*

Sequitur: *Currite, dum lumen vitae habetis, ne vos tenebrae mortis comprehendant. Currite*, ac si diceret quis:

quando curramus? dicit enim: *dum lumen vitae habetis.* Iterum quasi interrogaret aliquis, quare? reddit causam: *ne vos tenebrae mortis comprehendant;* verba enim superiora non sunt Benedicti sed prophetae, ubi dicitur: *Venite, filii, audite me.* Nunc vero sunt S. Benedicti, id est: *Currite, dum lumen vitae habetis,* ac si diceret suis auditoribus B. Benedictus: Audistis, o filii, vocem *currite;* Quo? Id est, ad illam vocem divinam, quam audistis. Quasi quidam hortatur suum amicum, qui audit vocem se clamantis: Cur stas et quare non curris ad illam vocem, quam audisti? Et reddit causam, quare debeant currere, cum subjunxit: *dum lumen vitae habetis,* id est, dum licentiam habetis, dum tempus habetis convertendi. Hoc etiam Paulus Apostolus latius exponit, cum dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Superius enim dixerat testimonium prophetae dicens: *Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adjuvi te.* Deinde exposuit, quid sit illud tempus dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus acceptabile istud est ad exaudiendum, quia in eo exaudimur; dies vero salutis isti sunt, quia in his invenitur salus. Necnon et Esaias ait: *Quaerite Dominum, dum inveniri potest.*

Et iterum: *ne tenebrae mortis vos comprehendant.* De his quippe Dominus tenebris dicit sub noctis nomine, cum loquitur: *Dum sum in mundo, lux sum hujus mundi; veniet autem nox, in qua nemo potest operari.* Jam si in illa nocte nemo potest operari, currendum est nobis et satagendum, dum lumen vitae habemus, ne, cum voluerimus, non possimus. Sic enim Dominus dicit: *Me oportet operari, donec dies est; veniet autem nox, in qua nemo potest operari.* Et est sensus, cum dicit: *dum lumen vitae habetis,* i. e. dum licentiam habetis currendi, dum tempus, dum spatium habetis operandi, ne dies mortis vos praeoccupet.

Et quaerens Dominus in multitudine populi sui, cum haec clamat, operarium suum. Et iterum dicit: *Dominus quaerens operarium suum in multitudine populi sui, haec clamat.* Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione sua,

cum dicit: *Iterum dicit.* Nam prius exemplum scripturae dicit, quod provocat audire; nunc vero subjunxit alterum exemplum, quod similiter provocat audire, cum dicit: *Quis est, qui vult vitam et cupit videre dies bonos?* Si vero haec multitudo ad multitudinem generis humani referatur, operarius Domini intelligitur sancta ecclesia, quae quasi pro uno homine posita sub hoc intellectu de multitudine humani generis quaesita est a Deo. Si autem ad sanctam ecclesiam referatur, quod magis ad hunc sensum attinet, operarius Domini intelligitur ordo sequacium apostolorum. Et bene ecclesia pro multitudine populi in hoc sensu ponitur, quia sibimet comparata multitudo est.

Nunc videndum est, qua ratione dicatur Dominus operarium suum quaerere in multitudine populi. Numquid caeteros relinquit et unum operarium quaerit? Non, sed sicut facit rex. Ecce habet rex maximam multitudinem populi, sed ex ipsa multitudine eligit aliquos, quos praedestinat singulis officiis, alios quidem ad consilium dandum, alios autem ad caetera officia peragenda. Ita et Dominus facit; Dominus enim de ecclesia sua eligit illum ordinem, qui audiat vocem illam, quam diviti dixit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et veni, sequere me.* Necnon etiam Dominus praedicans in carne fecit, cum multos discipulos habuit et elegit de illa multitudine duodecim. Et quid mirum, si hoc Dominus fecit praedicans in carne vel in sancta ecclesia quotidie faciat, cum etiam ab initio mundi hoc fecit? Nam de multitudine totius generis humani elegit Noë cum domo sua, qui superstes fuit primi saeculi et auctor saeculi secundi. Necnon de multitudine populi sui elegit Abraam, elegit Moysen et Aaron, similiter et caeteros sanctos.

Sed quid enim dicat Dominus de operario suo, quem de multitudine populi quaerit, in subsequentibus manifestat; ait enim: *Quis est homo, qui vult vitam et cupit videre dies bonos?* In hoc enim loco S. Benedictus testimonium sumpsit propheticum; nam iste sermo propheticus gentibus est locutus. Videndum est enim in hoc loco, de qua vita

dicatur; non enim in hoc loco, cum dicit *vitam*, de praesenti dicit vita, sed de vita aeterna, et ideo, ubi vitam dicit, subaudiendum est: aeterna. Nam si de hac vita dixisset, superfluum fuisset dicere, eo quod illos alloquitur, qui in hac vita praesenti sunt; haec enim vita non est vita, sed iter vitae est, per quam ad illam vitam aeternam pervenitur. Vita vero, quae in inferno est, et vita est et non est vita. Vita est quidem per substantiam, eo quod illi, qui illic cremantur, nunquam per substantiam deficiunt; et non est vita per bonitatem, quia illi, qui illic ardent, nunquam bono fruuntur. Nam de qua vita dicat, idem ipse propheta manifestat, cum subjungit: *et cupit videre dies bonos.* Bene autem addidit *bonos* ad separationem malorum dierum praesentis vitae; in praesenti etenim vita non sunt boni, sed mali dies. Mali etenim dico non per substantiam, sed per actionem malorum. Et quod mali dies sint in praesenti vita, testatur Paulus, cum dicit, ait enim: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* In hoc enim loco cum Paulus dicit: *dies mali* de diebus praesentis vitae dicit, non ut per substantiam, sicut jam diximus, dies mali sint, sed secundum actionem malam, quae in praesentis vitae diebus agitur. In futura vero vita dies boni sunt, eo quod ibi illa vita fruuntur, quae (qui) dicit: *Ego sum via, veritas et vita.*

Sequitur: *quod si audiens respondeas: Ego,* id est, si ad hanc vocem audiendam temetipsum obtuleris illi, *dicit tibi Dominus.* Hic enim talis, qui ita agit, similis est Esaiae, qui audiens Dominum dicentem: *Quis ibit ex nobis?*[1]) respondit dicens: *Ecce ego, mitte me.*

Sequitur: *Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.* In hoc enim loco nomine mali omnis malitia comprehenditur; nam speciem manifestavit, cum dixit *dolum,* ait enim: *labia tua ne loquantur dolum*; *dolus* enim intelligitur fraus. Omnis enim fraus sive dolus malum dicitur; nam omne

[1]) Isaia. (6, 8): Et quis ibit nobis?

malum non potest dici dolus, eo quod est et aliud malum, hoc est adulterium et cetera. Dolus enim duobus modis dicitur, uno enim modo. sicut hypocritae faciunt; illi enim aliud praetendunt extrinsecus et aliud sunt intrinsecus, id est, manifeste faciunt opera bona. occulte vero mala. Altero quidem modo dolus sive fraus dicitur, cum quis aliud habet in corde et aliud loquitur ore. Nam non unius sunt poenae digni, qui malum simpliciter agit et ille, qui simulate, id est callide. Sive aliter: dolus est mentis calliditas, eo quod deludat; aliud enim agit et aliud dissimulat. Et quod non sint unius poenae digni vel perditionis, manifestat illud, quod in libro beati Job dicitur; legitur enim ibidem: *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Qui enim simpliciter malum agit, meretur iram Dei; nam qui callidi sunt et simulatores, isti non solum merentur iram Dei, sed etiam provocant iram Dei. Sed aliud est mereri, aliud provocare. Bene ergo, cum dixit *simulatores* subjunxit *callidi*, quia non possunt simulatores sine calliditate esse.

Sequitur: *Declina a malo et fac bonum.* Egregius enim ordo est, prius mala destrui et post bonum bona aedificari.[1]) Secundum hunc ordinem etiam Dominus locutus est ad Jeremiam dicens: *Ecce posui te, ut evellas et destruas et dissipes et disperdas,* et subjunxit: *et aedifices et plantes.* Ecce in hoc loco ideo dixit quatuor mala et duo bona, quia plus sunt mala quam bona. Similiter etiam Simeon de Domino dicit: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Necnon B. Jacobus apostolus dicit: *Abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Vide modo, quia non potest bonum aedificari, nisi prius eradicatum fuerit malum.

Sequitur: *Inquire pacem et sequere eam.* Homo rem, quam non habet ex toto et diligit, aut ex parte habet et diligit, quam non habet, quaerit; nam illam, quam habet ex toto, non quaerit. Bene enim dixit: *Inquire pacem,* et

---

[1]) et postmodum bona aedificari (?).

non qualemcunque habe, eo quod perfecte pax in praesenti vita non potest haberi, sed tantum inquiri, ut in futuro habeatur. Vide modo, quia pax magna virtus est. ideo postquam dixit: *Fac bonum*, subsecutus est: *Inquire pacem;* adeo est enim pax magna virtus, ut sine illa nemo possit Deum videre. Et quod sine pace Dominum nemo possit videre, testatur Paulus apostolus, ait enim: *Pacem sequimini cum omnibus hominibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Pax enim valde pernecessaria est; et quod pax valde pernecessaria sit, testatur chorus Angelorum, qui in nocte, in qua natus est Dominus, pacem hominibus commendavit, ait enim: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus.* Et reddit causam, quibus hominibus? *bonae voluntatis.* Similiter et Dominus in nocte, in qua tradebatur, antequam traderetur, pacem commendavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem, inquit, meam relinquo vobis, ut concorditer vivatis, pacem meam do vobis, ut non dissentiatis.

Sequitur: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras.*

Usque modo dixit verba et sensum psalmistae; nunc autem verba dimittens sensum dicit. Nam superius dixerat, sicut psalmista: *prohibe linguam tuam a malo et labia tua. ne loquantur dolum. declina a malo et fac bonum. inquire pacem et persequere eam.* Psalmista enim subjunxit post haec in vice Domini causam, qua quis debeat linguam suam a malo prohibere et labia sua a dolo et caetera. dicens: *Oculi Domini super justos et aures ejus ad preces eorum.* S. Benedictus vero verba dimittens et tenens sensum non in vice Domini, sed ipsum Dominum intromittit dicentem persemetipsum, ait enim: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras.*

Nunc videndum est. qua ratione dicatur oculos Dominus habere vel aures. Non enim proprie sed translative dicitur Deus habere oculos aut aures vel manus aut caetera membra, i. e. a propria significatione ad non propriam significationem, quia proprium est hominis, manus vel pedes

vel caetera membra habere, Deo autem non proprium est: Deus enim non localis, sed ubique est; ille enim omnia videt, omnia audit. Sed scriptura divina condescendendo nobiscum Deum dicit oculos vel aures habere. Et hoc nostro more loquitur, i. e. quia nos non possumus videre et audire, nisi oculis et auribus, ut sciamus, dicitur ipsa visio divina, qua cuncta videt, oculus, et illa vis divina, qua cuncta Deus audit, dicitur auris, et illa vis divina, qua cuncta Deus operatur, dicitur manus. Nisi enim scriptura divina nostro more, sicut diximus, Dominum videre vel audire dixisset, nequaquam nos Deum videre vel audire intellexissemus.

Sed nunc videndum est, quid per Dei respectionem intelligendum sit. Dei enim respectus duobus modis dicitur. Scriptura enim divina aut Deum dicit, quamvis raro, respicere malos, aut certe dicit respicere bonos. Sed ipsi boni cum respiciuntur a Deo, aut respiciuntur, si in peccatis sunt, ut corrigantur, aut certe si boni sunt, ut perficiant in melius. Mali vero cum respiciuntur, idcirco dicuntur respici tantum, ut puniantur. Unde per respectionem Dei in bonos respectus divinae clementiae intelligitur, in malos autem per respectionem Dei ipsa condemnatio intelligitur, quia aliter respicit in bonos, aliter vero in malos. Nos autem illam rem animadvertimus, quam diligimus, illam vero rem, quam non diligimus, intendere nolumus. Unde illi boni, qui a Deo respiciuntur, Deo amabiles esse comprobantur. Dicitur autem et alia visio, ut est visio Esaiae et Jeremiae, et in hoc loco, cum dicit: *visio Jeremiae*, subaudiendum est *Domini*. Nam etiam per respectionem humanitatis Christi possumus animadvertere, quid intelligi debeat per respectionem divinam; legitur enim: *respexit in arborem sycomorum.*[1]) Sed ipse Evangelista reddit fructum respectionis, ubi subjunxit: *Amen, dico vobis, quia hodie salus huic domui facta est.* Necnon et alibi respexit Petrum,

---

[1]) Luc. 19, 4: ascendit in arborem sycomorum .... suspiciens Jesus vidit illum.

et reddit causam, quare respectus est dicens: *Et egressus foras flevit amare.* Nequaquam enim Petrus amare flevisset, nisi respectus esset. Similiter et Zachaeus ideo respectus est a Domino, quia dicturus erat illi Dominus: *Domui huic salus facta est.* Semper enim, ubi Dominus respiciebat secundum carnem, causa misericordiae suae respiciebat. Et ita intelligitur respectus divinitatis, id est, sicut jam diximus, respectus divinae misericordiae. Nam etiam per oculos Dei dona S. Spiritus intelliguntur; et quod dona S. Spiritus per oculos Dei intelligantur, testatur illud, quod legitur in Apocalypsi: *Septem oculos, qui sunt spiritus missi in omnem terram.* Et illud in Zacharia: *Et vide lapidem septem oculos habere.* Per lapidem intelligitur Christus, per septem oculos septem dona S. Spiritus. Et bene per oculos Domini dona S. Spiritus intelliguntur, quia ille salvatur per respectum Dei, qui dona S. Spiritus accipit; non enim salvabitur quis, nisi dona S. Spiritus acceperit. Nam quia per Spiritum S. gratia distribuatur, testatur Paulus apostolus, cum dicit, ait enim: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* et reliqua, et pervenit usque ad illum locum, ubi subjunxit dicens: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.*

Sequitur: *Et aures meae ad preces vestras.* Sicut enim per oculos intelligitur respectus divinae clementiae, ita per aures Dei intelligitur facilis exauditio, ut est illud: *Cum invocarem, exaudisti me Deus,* id est, in ipsa invocatione me stantem exaudisti. Nam cum omnia Deus videat et omnia audiat, tamen ubi visus Dei et aures dicuntur, respectus divinae clementiae per visum, et facilis exauditio per aures intelligitur.

Sequitur: *Et antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum.* Hic oritur quaestio, quid est, quod Dominus dicit: *Antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum,* cum multos legamus atque videamus sanctos laborantes sub fasce tentationum et clamantes ad Deum liberari et nequaquam exauditos? Quod si forte dicas: nequaquam sunt sancti, qui non exaudiuntur, ideo necesse est, ut etiam ille

sanctus adhibeatur tibi in testimonium, de cujus sanctitate nemo dubitat, qui hujuscemodi oravit et non est exauditus. Ecce Paulus rogavit Deum, et non est exauditus, ait enim: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Ecce Paulus, sicut diximus; rogavit Dominum, et non est exauditus, sed tantum tarde audivit Dominum dicentem sibi: *Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur.* Sed ista quaestio ita solvitur. Sancti enim, si non exaudiuntur ad votum, tamen exaudiuntur ad salutem et melius exaudiuntur, cum non exaudiuntur, quam si exaudirentur, sicuti Paulus. Ille enim est melius exauditus, cum non est exauditus, quam si exaudiretur; eo quod ille, sicut jam dictum est, exauditus est ad salutem, sed non exauditus est ad votum. Et in hoc se cognovit Paulus apostolus exauditum esse ad salutem, cum audivit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Et quia se cognovit esse ad salutem exauditum, ideo dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Ecce iterum qui petit Deum castitatem, humilitatem, aut caeteras virtutes, et non exauditur ad votum, quia exauditur ad salutem; verbi gratia petit infantulus matrem suam panem, illa autem non illi dat, et solum non dat, verum etiam subtrahit illi. Non ideo illi non dat, quia nunquam vult dare, sed quia scit tempus, in quo melius debeat dare, et ille melius accipere. Tunc ille infantulus melius exauditur, cum non exauditur, quam si exaudiretur, quia exauditur ad salutem, si non exauditur ad votum. Haec autem sancti scientes Deum agere, ideo non murmurant, cum non exaudiuntur, sed submittunt alas suas et stant humiles. Unde S. Augustinus dicit: *Nil fixum orandum est praeter vitam aeternam, quia sicut Apostolus dicit: nam quid oremus sicut oportet, nescimus.*

Sequitur: *Quid nobis dulcius hac voce dominica invitante nos,*[1]) *fratres charissimi?* Consuetudo est sanctorum

---

[1]) Communius legitur: *hac voce Domini invitantis nos.*

praedicatorum, post doctrinam aut exhortationem aut certe orationem subjungere, quod frequentissime Paulus apostolus fecisse legitur. S. vero Benedictus, quia, sicut non distabat longe a merito sanctorum, ita etiam noluit distare doctrina, propterea post doctrinam exhortationem subjunxit.[1]) Nam etiam in hoc loco consuetudinem tenuit illius, qui cibum ministrat vel tribuit: ille enim qui cibum ministrat, prius gustat de cibo et postmodum hortatur ceteros dicens: Quid dulcius, fratres, hoc cibo vel potu? subaudiendum est: nihil. Ita S. Benedictus gustavit de cibo Dei, hoc est intelligentia mandatorum ejus, et quia sapuit in palato cordis sui, hortatur etiam nos sumere dicens: *Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi?* Et in hoc loco, ubi dicit: *quid dulcius?* subaudiendum est: nihil. Qua voce? Illa, qua superius dixerat: *Prohibe linguam tuam a malo et labia tua, ne loquantur dolum; declina a malo et fac bonum; inquire pacem et sequere eam*, et cetera his similia. Necnon et illa voce, qua dictum est: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos, et aures meae ad preces vestras, et antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum.* In hoc enim loco notandum nobis est, quia ista dulcedo non palato corporeo, sed palato cordis percipitur; nam sicut noster homo exterior habet palatum suum vel fauces, quibus cibum vel potum degustat, ita etiam noster homo interior habet palatum suum vel fauces, quibus cibum spiritalem percipit. Et quod noster homo interior habet fauces, testatur psalmista, qui ait: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Et iterum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Non enim in hoc loco de faucibus corporeis, sed de faucibus cordis dicit, quia eloquia Domini non in faucibus corporeis sed cordis sapiunt, quia, sicut jam diximus, palato corporeo percipitur cibus et potus temporalis, ita etiam palato cordis percipitur cibus spiritalis.

Sequitur: *Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae.* Nos enim, cum aliquid digito monstramus, *ecce!*

---

[1]) Cod. Divionens. ex Marten.

dicimus, quia *ecce* adverbium demonstrantis est. S. vero Benedictus, quia superius exempla posuit, in quibus nos Dominus admonet bene agere, *ecce!* demonstrando dixit. Nam bene dixit: *pietate sua*, quia nullus suo merito salvatur; nam postquam in Adam expulsi sumus de paradiso. tota massa humani generis periit. Nunc vero qui ex illa salvatur, non suo merito. sed pietate et misericordia Dei salvatur. S. vero Benedictus sciens hoc, idcirco dixit: *pietate sua*, ac si diceret: non nostro merito. sed pietate sua demonstrat nobis viam vitae, qua redeamus ad vitam.

Sequitur: *Subcinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris et calciati in praeparatione evangelii pacis pergamus itinera ejus.* Intuendum est enim in hoc loco, cujus consuetudinem tenet B. Benedictus, cum dicit: *succinctis lumbis.* Morem tenet ducis mittentis militem suum ad bellum; dux enim cum mittit militem suum ad proelium, hortatur illum subcinctos lumbos habere, quia si subcinctos lumbos non habuerit, impedientur gressus ejus vestibus dissolutis, et ex hoc nequaquam poterit in hostem irruere vel ab hoste eripi. Ita B. Benedictus in hoc loco facere comprobatur. Ille vero, quia mittit auditorem suum contra invisibilem hostem. idcirco hortatur illum, subcinctos lumbos habere, quia, sicut jam diximus, si subcinctos lumbos non habuerit, nequaquam contra hostem suum praevalebit irruere vel ab illo eripi. Videndum est etiam nunc, de quibus lumbis in hoc loco dicat S. Benedictus. Numquid de carnalibus lumbis dicit? Non; nam nequaquam aliquid magni diceret, si de carnalibus lumbis dixisset. cum est consuetudo paene omnium, subcinctos lumbos habere, sed scriptura divina solet aliquid spiritaliter designare per quem[1]) omnium est facere consuetudo, sicuti est illud, quod Dominus in Evangelio dicit: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.* Omnes enim faciem suam lavant; caput enim ungere pertinet ad laetitiam spiritalem, id est, cum quis aliquid boni agit, gaudet in spiritali in-

[1]) per hoc, quod (?).

tentione, quia id agendo subtrahitur ab amore terreno. Lavare enim faciem, pertinet ad munditiam mentis. Ita et in hoc loco per lumbos subcinctos aliquid nobis scriptura divina spiritaliter innuit; nam hoc, quod dixit B. Benedictus, subcinctos lumbos et calciatos pedes evangelii habere, de Pauli apostoli epistola ad Ephesios data sumpsit. Paulus enim apostolus prius admonuerat unumquemque singillatim, id est virum et uxorem, filios et parentes, servos et dominos; deinde pervenit ad eum locum, ubi postea generali admonitione omnes admonuit dicens: *De caetero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo subcincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae et calciati pedes in praeparatione Evangelii*[1]) *pacis.* Ac si diceret: Scio vos exercitatum hostem habere, et idcirco vos adhortor, ut non in vestris viribus sed in Dei omnipotentis virtute confidatis. Haec autem succinctio lumborum non tantum in libro Job reperitur, ubi ait Dominus ad Job: *Accinge sicut vir lumbos tuos; interrogabo te, et responde mihi;* verum etiam in Evangelio haec succinctio lumborum invenitur; ait enim Dominus: *Sint lumbri vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.* Nam ista succinctio lumborum varie intelligitur a magnis praedicatoribus. Alii quidem intelligunt per succinctionem lumborum refraenationem delectationis carnalis, alii autem per succinctionem lumborum intelligunt coërcitionem omnium vitiorum, nonnulli vero per succinctionem lumborum intelligunt compressionem vanae gloriae, quia sicut isti, qui non refraenant (secundum quosdam) delectationem carnalem, aut etiam non refraenant delectationem (secundum multos) omnium vitiorum, non

[1]) Vulgata (Ephes. VI. 10–14) sic: v. 10.: De cetero fratres confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. v. 11.: Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. v. 13.: Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. v. 14: State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae etc.

dicuntur lumbos succinctos habere, ita etiam et hi non dicuntur succinctos lumbos habere, qui de superatis vitiis superbiunt vel intumescunt. Verum etiam intuendum est in hoc loco, qualiter B. Benedictus dixit praecinctos lumbos habere; ait enim: *succinctis fide vel observantia bonorum actuum lumbis vestris.* Bene enim dixit *fide et observantia bonorum actuum*, eo quod omnia illa, quae ab aliis intellecta sunt, in fide et observantia bonorum actuum consistunt; nam pulchre, postquam dixit *fide*, subjunxit *bonorum actuum*, quia unum sine altero nil proficit. Nam quod fides sine operibus nil sit utile, testatur Jacobus apostolus, qui dicit: *Fides sine operibus mortua est.* Et quod opus similiter sine fide nihil valeat, idem ipse B. Jacobus[1]) (?) testatur dicens: *Impossibile est enim, sine fide placere Deo.* Et bene post succinctionem lumborum calciatos pedes in praeparatione Evangelii pacis hortatur suum auditorem habere, quia, sicut diximus, morem ducis tenet; dux enim primum hortatur suum militem succinctos lumbos habere, deinde calciatos pedes, ne pungatur spinis aut offendat in lapidem, et ex hoc debilitato toto corpore non poterit contra hostem suum dimicare vel ab illo eripi. Ita et B. Benedictus; ille enim, qui auditorem suum contra invisibilem et exercitatum hostem dirigit, ideo hortatur illum pedes suos calciatos, i. e. munitos habere, ne forte debilitetur coram inimico suo. Notandum est etiam, quia non de exterioris hominis pedibus dicit sed interioris, quia sicut noster homo exterior habet pedes suos, in quibus movetur, ita interior homo. Et quod homo noster interior habeat pedes, testatur psalmista, cum dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Non enim de exterioris hominis pedibus dicit sed interioris, quia nullum lumen praebent divinae scripturae exterioris hominis pedibus ambulantibus in tenebris, sed magis offendiculum, in quod offendant.. Unde sicut indiget homo noster exterior lumine temporali ambulans in tenebris, quia sine illo non valet iter suum peragere in tenebris, ita etiam

---

[1]) *S. Paulus* ad Hebr. 11, 6.

noster homo[1]) ambulans hoc nocturnum iter hujus vitae praesentis, quae aeternae vitae comparata mors est potius dicenda quam vita, indiget lucerna spiritali, scilicet verbo Dei, ut valeat hanc praesentem vitam sine offendiculo pertransire, eo quod sine illo lumine, hoc est verbo Dei errat in praesenti vita, sicuti et ille exterior homo, cum in tenebris absque lumine ambulat, errat. Horum enim pedes propheta videbat, quando sub admiratione dicebat: *O quam speciosi pedes evangelizantium pacem.*[2]) Pacis enim ideo adjectionem fecit B. Benedictus, ut declararet, cujus evangelii esset illa praeparatio, i. e. pacis. Et bene dixit ergo, cum dixit: *Succinctis ergo lumbis nostris et calciatis pedibus;* succinctio enim lumborum tribus modis potest intelligi, sive subjugatio luxuriae, sive refraenatio vanae gloriae, vel etiam compressio omnium vitiorum. Per calciatos enim pedes intelliguntur exempla sanctorum. Et bene, cum dixit: *succinctis lumbis*, subjecit: *et calciatis pedibus pergamus itinera ejus*, i. e. refraenata delectatione carnali vel compressis omnibus vitiis sive subjugata vana gloria et vestigiis nostris, hoc est gressibus mentis nostrae munitis sanctorum exemplis, pergamus itinera ejus. *Ergo* enim, sicut jam diximus, ubi invenitur, ex superioribus pendet. Et est sensus, cum dixit *ergo,* id est, si ita est, ut, qui prohibuerit linguam suam a malo et labiis suis non locutus fuerit dolum et declinaverit a malo et fecerit bonum et inquisierit pacem ac secutus fuerit illam, oculi Domini super illum sint et aures ejus ad precem suam, et Dominus, antequam illum invocaverit, dicat: *Ecce adsum tibi:* nos ergo succinctis lumbis et pedibus calciatis faciamus, quae ille praecepit, ut nobis talia contingant.

Sequitur: *Pergamus itinera ejus.* Itinera ejus, non nostra pergamus, quia ejus itinera ad vitam, nostra autem ducunt ad mortem.

Sequitur: *Ut mereamur eum, qui nos vocavit, in regno suo videre.* De hac visione, qua nobis B. Benedictus nunc

---

[1]) interior.

[2]) Rom. 10, 15. Isaias. 52, 7. Nahum. 1, 15.

narrat Dominum videre in regno suo, Dominus in Evangelio dicit; ait enim: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et hoc etiam notandum. quia quod in Evangelio dicitur per futurum tempus, i. e. videbunt, hic B. Benedictus dixit *suo*, quia non in praesenti vita Deus videtur, sed in futura, h. e. in regno suo. Hoc etiam iterum notandum est, quia haec visio spiritalis est, quia ille, qui videtur, spiritus est et a spiritalibus videbitur. Similiter etiam hoc notandum est, quod ista visio non aequaliter omnibus tribuitur. Et quod non aequaliter omnibus tribuatur, testatur Dominus, qui dicit: *In domo patris mei mansiones multae sunt.* Mansiones ideo dixit multas propter disparia merita. Et quamquam non aequaliter haec visio propter dissimilia merita tribuatur, tamen una visio erit, sicut unum regnum. Et hoc etiam est notandum, quia, cum dicitur *videre*, non ita dicitur, ut videatur Deus, sicut aliqua res materialis oculis videtur, sed istud *videre* ponitur pro *intelligere.* Et hoc, quod diximus, quia Deus non aequaliter videatur, id est intelligatur, possumus animadvertere in rege terreno; rex enim quamquam intelligatur ab omnibus, quia rex est, tamen non aequaliter ab omnibus intelligitur ejus qualitas; alii enim sunt, qui eum intelligunt plus, alii minus, id est tantum unusquisque eum intelligit, quantum se ipse permittit intelligi. Ita et Deus; Deus enim in uno semper tenore consistit, sed tamen non aequaliter ab omnibus intelligitur, quia non omnium aequalia merita sunt. Haec autem visio non erit fastidialis sed concupiscibilis. Et quod haec visio non erit fastidialis, sed concupiscibilis, testatur Petrus apostolus, qui dicit, ait enim: *In quem concupiscunt angeli prospicere.*. Ista visio erit sanctis refectio et claritas atque regnum. Et forte dicit aliquis: Quomodo ista visio a spiritalibus videbitur, cum nos in corporibus nostris videbimus Deum? sicut scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Non videbitur Deus corporalibus oculis, sed tantum spiritalibus sensibus et oculis intelligitur. Nam qualia erunt corpora sanctorum, docet B. Augustinus, cum de novitate corporis spi-

ritalis, in qua sanctorum caro mutabitur, (tractat et dicit: *tale erit,) quale erit corpus, quod omnino spiritui subditum et eo sufficienter vivificatum nullis alimoniis indigebit.*[1]) Non enim animale sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione, substantiam. Ideo enim non est credendum, ut Deus corporalibus oculis videatur, quia non est Deus localis, ut aliquam similitudinem habeat, sed spiritus est, qui omnia in se comprehendit et continet. Et quod non sit Deus localis, docet B. Augustinus dicens: *Quod alicubi enim est, continetur, quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus, non igitur alicubi est. Et tamen, qui est et in loco non est, in illo potius sunt omnia, quam ille alicubi. Nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus; locus enim in spatio est, quod longitudine, latitudine, altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est. Locus tamen abusive dicitur templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei praesens sit; id autem nihil melius quam munda anima intelligitur.*

Sequitur: *In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur.* Superius enim dixerat: *in regno suo videre*, nunc vero ejusdem regni facit mentionem cum adjectione tabernaculi. Intelligens B. Benedictus contra opinionem ceterorum sanctorum, idem esse regnum et tabernaculum, ideo dixit: *in cujus regni tabernaculo si volumus habitare*, veluti quis dicit alicui iter agenti: Ingens palatium et magna domus ad habitandum est in illo loco, et nisi currendo ieris, non poteris illuc pervenire. Ita B. Benedictus facit, cum dicit: *tabernaculum vel regnum Dei*, et subjunxit: *nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur.* Sed ille, qui palatium denuntiat, vel sero vel tarde dicit illuc pervenire, B. vero Benedictus ex toto denegat, illuc posse quemquam pervenire, nisi bonis actibus illuc curratur. Quapropter nullus illuc perveniet, nisi bonis actibus currendo venerit.

[1]) cf. S. Augustini retract. lib. I. c. 13. n. 4.

Sequitur: *Sed interrogemus cum propheta Dominum dicentes ei*, ac si diceret aliis verbis: jam postquam cognovimus tabernaculum, necesse nobis est, ut interrogemus Dominum cum propheta suo: Qui sunt illi, qui in ejus tabernaculo habitant, vel per quam viam potest quis illuc pervenire?

Sequitur: *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Haec locutio sub una interrogatione debet dici, id est: Domine! q. h. in t. t. a. q. r. in m. s. t.? Nunc videndum est, quid sit tabernaculum aut mons, et quare prius tabernaculum et postmodum montem dicit? aut quare in tabernaculo habitare et in monte requiescere? Tabernaculum enim dicitur domus non habens fixum fundamentum, quod ad libitum movetur, sicuti fuit illud, quod Moyses in deserto fecit, quod ad placitum portabatur. Et per tabernaculum enim intelligitur praesentis peregrinatio ecclesiae. Ecce videmus multas ecclesias, quae periturae sunt, nec non et nos, qui ecclesia sumus, transituri sumus. Per montem autem intelligitur coelestis Jerusalem. Et bene prius ecclesiam et postmodum montem dixit, quia per praesentis ecclesiae peregrinationem pervenitur ad coelestem Jerusalem. Nam bene in tabernaculo habitare et in monte requiescere dicit, quia in hac praesentis ecclesiae peregrinatione habitatio est, non requies; in coelesti autem Jerusalem requies est. Aliud est enim habitare, et aliud requiescere; potest enim habitare et non requiescere.

Sequitur: *Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi dicens,*[1]) id est, non ab aliquo homine vel ab angelo, sed ab ipso Domino nobis respondente audiamus viam tabernaculi, qua quis possit illuc pervenire.

Sequitur: *Qui ingreditur sine macula.* Ecce prima vox est ostendentis viam tabernaculi, cum dicit: *Qui ingreditur sine macula;* ingredi enim inchoanti viam carpere convenit.

[1]) dicentem (?) vel: dicit enim (?).

Vide modo, quod hic dicit: *Qui ingreditur sine macula.* In alio psalmo dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* non est enim beatus, nisi immaculatus, et ille est immaculatus, qui in via ambulat; via enim praecepta Dei intelliguntur; ergo ille est beatus, qui in via, i. e. in lege Dei ambulando immaculatus existit. Sive etiam sicut Cassiodorus dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege, i. e. qui aut non peccant aut per gratiam coelestem digna sibi satisfactione prospiciunt.*

Forte dicit aliquis: sufficit mihi, ut sine macula sim, i. e. ut non operer solum modo malum. Non enim sufficit tibi, frater, tantummodo sine macula esse, quia ille, qui dixit: *qui ingreditur sine macula,* subjunxit etiam: *et operatur justitiam.* Nunc videndum est, quare dixit: *operatur justitiam,* et non dixit: *operatur castitatem aut orationem aut jejunium?* Ideo dixit justitiam et non castitatem aut jejunium aut orationem, quia ille, qui operatur castitatem, se adjuvat sua castitate, et non alterum; similiter qui orat vel jejunat, se et non alterum laetificat. Nam qui justitiam operatur, magis alterum quam se adjuvat, verbi gratia, habes patrem potentem, et ille opprimit pauperem, tu autem si jejunas vel oras aut castitatem habes, quid illum pauperem adjuvat tua oratio aut jejunium aut castitas? si vero inter patrem tuum et illum pauperem justitiam feceris, tunc magis illum quam te adjuvabit tua justitia.

Sequitur: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Bene dixit: *in corde suo,* quia sunt multi, qui veritatem in ore loquuntur et non in corde, et sunt multi, qui in corde tantum et non in ore veritatem loquuntur. Et propterea subjunxit: *Qui non egit dolum in lingua sua.* Nam si loquaris in ore tantum et non in corde, non ambulabis perfecte in via Dei, quae ducit ad tabernaculum sive montem; et sive loquaris in corde tantum et non in ore, non ambulas in via Dei, quamquam pejor sit ille, qui in ore tantum et non in corde, quam ille, qui in corde et non in ore loquitur veritatem. Et quia vult te Deus perfecte in via Dei ambulare, ideo cum dixit: *qui loquitur veri-*

tatem in corde suo, subjunxit: *qui non egit dolum in lingua sua.*

Sequitur: *Qui non fecit proximo suo malum.* Nunc videndum est, (quis?) quid sit noster proximus. Proximus noster est secundum quosdam, qui nobis miseretur, propter illam parabolam, quam Dominus proposuit de illo, qui descendit in Jericho dicens: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones* et reliqua, et pervenit usque ad illum locum, ubi subjunxit dicens: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam cum illo. Et ait illi Jesus: Vade et tu fac similiter.* Alii quidem dicunt: Proximus noster est omnis christianus propter illud, quia unum patrem habemus in coelo. Alii dicunt, proximum nostrum esse omnem hominem, quia omnes unum patrem terrenum habemus Adam. Sed in hoc loco de omni homine dicitur proximus noster; et est sensus, cum dicit: *qui non fecit proximo suo malum*, i. e. qui nulli homini fecit malum. Et tamen, sicut Beda dicit, juxta litteram manifestat Domini sententia, nullum nobis amplius, quam qui miseretur, esse proximum, si Jerosolimitae civi non sacerdos, non levita ex ea gente, sed accola, quia magis misertus est, factus est proximus.

Sequitur: *Qui opprobrium non accepit adversus proximum suum.* Hunc enim versum B. Hieronymus intelligit dicens: *Ille enim non accipit opprobrium adversus proximum suum, qui nullum laesit, neminem nocuit, neminem scandalizavit, ut ab illo debuisset accipere opprobrium.* Sed difficile est; et quamquam difficile sit, tamen inveniuntur duo sine querela, de quibus scriptura divina dicit: *Erant ambo sine querela.* Aliter, ille accipit opprobrium adversus proximum suum, qui libenter malum de proximo suo audit.

Sequitur: *Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum.* Hactenus B. Benedictus verba et sensum Domini tenuit; nunc autem dimisit verba, tenuit sensum, cum dixit: *Qui malignum diabolum aliqua suadentem*

sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum. Nam Dominus subjunxit: *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat*, quem versum B. Hieronymus ita intellexit dicens: verbi gratia, est rex malignus vel episcopus aut presbyter, de istis enim personis dico, qui aliis praeminent; hos tales, qui maligni sunt, videns justus ad nihilum deducit; nam pauperem sive mendicum Deum timentem cum viderit, honorat atque magnificat. Sed S. Benedictus aliter hoc intelligens, malignum dixisse diabolum,[1]) qui mala nobis suggerit. Et bene dixit: *a conspectibus cordis respuens*, quia hominem interiorem magis scriptura studet admonere. Nam quid sit malignum diabolum a conspectibus cordis respuere et illum ad nihilum reducere, idem ipse B. Benedictus exponit, cum subjunxit, ait enim: *Et parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum.* In hoc enim loco intravit in ordinem alterius psalmi; legitur enim: *Filia Babylonis misera, beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Sed quid sit retributionem retribuere, idem ipse propheta exponit, cum subjunxit, ait enim: *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram.* Historialiter enim intelligitur de illo populo Babylonico, qui Israelitas in captivitatem ducebat, parvulos autem eorum tenentes pedibus allidebant ad petram. Populus autem catholicus intelligens haec spiritaliter dicit de diabolo, quia unusquisque cum sibi in principio suggeritur a diabolo, i. e. dum parvula illa est cogitatio, debet illam ad petram allidere, i. e. amore Christi eam extinguere; nam si creverit illa cogitatio et lactata fuerit, non poteris eam nisi cum grandi labore extinguere, sicuti homo grandis non potest pedibus teneri et ad petram percuti.

Sequitur: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum*

---

[1]) Sed S. Benedictus aliter hoc intelligens ita intelligit, quasi Dominus *malignum* dixerit diabolum, qui etc.

magnificant. Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione ostendendi viam, quae ducit ad tabernaculum sive montem, quam jam monstraverat; nunc dicendo verba Domini et sensum, nunc dicendo solummodo sensum Domini cum verbis suis et nunc exponendo verba psalmistae, incipiens ab eo loco, in quo dicit: *Qui ingreditur sine macula,* et pervenit ad hunc locum, ubi dixit de elatione cavenda; ait enim: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos.* Parum enim fuerat Benedicto solummodo dicere de compressione vitiorum et operatione virtutum, nisi etiam addidisset coertionem vanae gloriae. Cognoverat, non minus posse nasci vanam gloriam de perfectione virtutum, quam de compressione vitiorum. Et bene, postquam dixit, mala esse cavenda et bona agenda, subjunxit, cavere debere vanam gloriam, quia solet vitiare bonum malum elationis, aliquando in principio, aliquando in medio, aliquando in fine. Intuendum est hoc, quia in eo, quod dixit: *timentes Dominum*, ostendit timore Domini posse vitari vanam gloriam; nam timendo Dominum potest quis elationem cavere, i. e. si se considerat, qualem eum invenit gratia Dei, de hoc quod agit, nequaquam superbit. Ad quam considerationem nos provocat Deus, cum dicit ad Job: *Ubi eras, quando fundamenta terrae ponebam?* ac si diceret: Si te consideras, qualem te reperi, de hoc, quod egisti, non te reddis elatum. Iterum intuendum est in hoc loco, quia cum dixit: *sed ipsa bona in se non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* haec (autem)[1]) vox humilium est. Nunc videndum est, quomodo vel quando dat Deus gloriam nomini suo. Sub hoc sensu dat Deus gloriam nomini suo, cum ita nos dignatur protegere atque custodire, ut non nostri sed sui nominis gloriam quaeramus.

---

[1]) Anacoluthon (?).

Sequitur: *Sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit dicens: Gratia Dei sum id, quod sum.* Quaerendum est, qua ratione dicit B. Benedictus: *Paulus de sapientia*, et non dixit *de virtute*, cum ipse eximius fuit virtute etiam, sicut ipse Paulus testatur dicens: *Plus omnibus laboravi.* Paulus apostolus fuit incomparabilis sapientia, quam sapientiam Petrus Apostolus miratus est, cum dixit: *Sicut carissimus frater noster Paulus secundum sibi datam sapientiam scripsit vobis.* Hanc sapientiam admiratus est B. Benedictus, ideo dixit *sapientia* et non dixit *virtute*, quia forte virtute fuit aliquis sanctus similis illi, sed sapientia nullus, ac si diceret: ita non se reddunt elatos, qui per viam Dei tendunt ad tabernaculum sive montem operantes bona, quod non sunt incomparabilia, id est, non sibi imputant sed Deo, sicut nec apostolus Paulus sibi de incomparabili sapientia sua sed Deo adscripsit.

Sequitur: *Gratia Dei sum id, quod sum.* Gratia ideo dicitur, eo quod gratis datur; ubi enim gratia dicitur, omne meritum excluditur. Paulus itaque apostolus eximius praedicatione atque virtute cognovit, quia a se non habebat, quae habebat, et ideo dixit: *Gratia Dei sum*, ac si diceret: quidquid habeo, non meo merito, sed gratia Dei habeo. Et tamen quia in gratia Dei laboraverat, propterea subjunxit: *et gratia Dei in me vacua non fuit;* nam non fuisset magni dicere: *gratia Dei in me vacua non fuit*, nisi scivisset, in aliis gratiam Dei vacuam esse: et quia scivit, gratiam Dei in aliis vacuam esse, ideo alias dixit: *Hortamur vos fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; ille enim in vacuum gratiam Dei recipit, qui non vivit secundum donum Dei, quod accepit; verbi gratia, accepisti baptismum; si non vivis secundum baptismum, gratiam Dei in vacuum accepisti. Iterum: accepisti donum obedientiae; si non vis obedientiam exhibere, in vacuum gratiam Dei accepisti. Accepisti donum praedicationis, si non vis aliis praedicare, gratiam Dei in vacuum accepisti.

Sequitur: *Et iterum ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Pseudoapostoli gloriabantur se de nobilitatis genere, non in virtutibus, eo quod erant de semine Abrahae; et ideo, sicut dixi, gloriabantur, sed de genere nobilitatis, non in virtutibus; non enim poterant dicere: *pericula in fluminibus.* Et ab his decepti Corinthii gloriabantur de sapientia sua. Unde apostolus Paulus tam de illis falsis Apostolis se gloriantibus quam etiam Corinthiis, qui ab illis fuerant decepti, necnon etiam per illos dicit omnibus nobis utens testimonio prophetico: *Qui gloriatur, in Domino glorietur,* ac si diceret: qui nobilis est genere et vult gloriari nobilitatis genere, in Domino glorietur. Similiter qui potens est, de potentia sua in Domino glorietur, non in potentia sua. Quid est: *in Domino glorietur?* id est, in Domino gloriam suam et non in se transferat, quia in Domino gloriari est: quidquid habet, non sibi, non suo merito, sed Deo abscribat.

Sequitur: *Unde et Dominus in evangelio ait: Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram; venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam et non cecidit, quia fundata erat supra petram.* Subaudiendum est: *Qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam; descendit pluvia, flaverunt venti, advenerunt flumina et offenderunt in domum illam, et cecidit et erat ruina ejus magna.* Hactenus B. Benedictus manifestavit viam, quae ducit ad tabernaculum sive montem Dei dicendo compressionem vitiorum sive perfectionem virtutum et subjunxit refraenationem vanae gloriae, eo quod cognoverat, non minus instare periculum jactantiae in perfectione virtutum quam in coërtione malorum. Nunc perseverat in intentione B. Benedictus, cum dicit: *Qui audit verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* et reliqua. Istud enim *unde* superius respicit, ac si diceret, cum dicit: *unde et Dominus in Evangelio ait,* i. e. de ipsa ostensione viae

tabernaculi non solum in psalmis, verum etiam in Evangelio dicit. Nam idcirco in ostensione viae est, quia, qui in via est, adhuc sustinet aliquid, i. e. pluvias et flumina seu ventos patitur. Istud vero, quod dicit: *quia qui audit verba mea haec*, in fine sermonis, quem in monte habuit, Dominus locutus est. Ille enim in monte dixit praecepta moralitatis, maxime ea, quae erga communem conversationem attinent, et idcirco non absolute dixit *mea*, sed subjunxit *haec*, ac si diceret: ista quae in hoc monte locutus sum. B. vero Benedictus quia ex diversis locis scripturarum divinarum verba adhibuit, idcirco istud *haec* hic locutus est, i. e. quia, sicut istud *haec* concludit illa verba, quae Dominus locutus est in monte, ita etiam ista concludit, quae S. Benedictus hinc[1]) adhibuit. Nec non in fine psalmi quarti decimi istud *haec* propheta concludens posuit: ait enim: *Qui facit haec, non movebitur in aeternum*. Vide modo, quia sicut ibi dicitur: *Qui facit haec, non movebitur in aeternum*, ita et in Evangelio: *Qui audit verba mea haec, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Duos enim viros Dominus in Evangelio, qui aedificium aedificant, proposuit, id est, qui aedificat super petram, et qui aedificat super arenam. Sed quamvis haec duo aedificia aequaliter videantur, tamen non aequaliter sunt permanentia; nam illa domus, quae super petram aedificata est, firma et stabilis est, eo quod petram, i. e. firmum fundamentum habet, illa autem, quae super arenam aedificata est, infirma est et instabilis, eo quod arena, quae fluida est et augmentari non potest, nec in unam copulam redigi, fundamentum non habet. Vide modo, quia aequaliter haec utraque domus undique concutitur; desuper concutitur pluviis, subtus fluminibus, e regione, id est e latere ventis. Sed sicut diximus, illa domus, quae super petram firmata est, his concussionibus pulsata non cadit, illa autem domus, quae super arenam fundata est, corruit. Ita et in spiritalibus. In spiritalibus vero rebus duo sunt aedificatores, id est unus,

[1]) hnc (?).

qui aedificat supra petram, et alter, qui aedificat super arenam; ille enim aedificat supra petram, qui amore Christi bona opera agit, qui Christum in fundamento, id est in intentione operis habet, quia per petram multis testimoniis scripturarum divinarum Christus comprobatur intelligi. Et ille aedificat super arenam, qui in intentione humanae laudis aliquid agit boni, verbi gratia, iste jejunat et ille jejunat, iste orat, et ille orat, et caetera his similia; sed quamvis utraque aedificia aequaliter videantur fieri, tamen non aequaliter istorum aedificium, id est actio, firmum et stabile est, eo quod non aequaliter fundamentum, id est intentionem habet. Vide modo, quia utraque istorum actio undique concutitur; desuper concutitur pluviis, subtus fluminibus, e regione, id est e latere ventis. Sed nunc videndum est, quid per pluvias sive flumina atque ventos intelligi debeant[1]). Per pluvias enim intelliguntur superstitiones caliginosae, per flumina autem delectationes carnales, per ventos enim rumores humani. Caliginosae superstitiones sunt, sicut hypocritae faciunt. Quamquam rationabiliter non quaeratur, si quis quaerit, quare per pluvias superstitiones caliginosae, et per ventos rumores humani, et per flumina delectationes carnales intelligantur, tamen ita conjicere possumus: caliginosae superstitiones idcirco per pluvias intelliguntur, quia sicut pluviis fuscatur aër et tenebratur, ita hypocritarum actio obscura et tenebrosa est, eo quod ignoratur, qua intentione fiat, id est utrum amore Christi an saeculi nescitur. Per flumina delectationes carnales conjicimus, quia sicut in fluminibus coercendis solet esse neccessarius magnus labor adhibendus, ita etiam in multis delectationibus carnalibus amputandis magnus necessarius est labor adhibendus. Et sicut flumina solent aliquando fortiter currere et aliquando extra terminos exire, ita et delectationes carnales solent aliquando fortes esse, aliquando extra terminos transire, sicuti est in cibo et potu, si sit ultra mensuram progressio. Per ventos autem idcirco

---

[1]) debeat (?).

conjicimus rumores humanos posse intelligi, quia sicut venti e latere veniunt, ita laudes humanae illi solent evenire, qui intentione placendi Deo aliquid agere incipit. Sed illa actio, quae amore Christi fit et incipitur, his tentationibus concussa non cadit, illa autem, quae intentione humanae laudis incepta est et agitur, cum his concutionibus concussa fuerit, cadit et evanescit. Animadvertendum est, quia hoc, quod dixi, quare per flumina delectationes carnales et per pluvias caliginosae superstitiones et per ventos rumores humani intelligantur, non secundum auctoritatem dictum est sed secundum aestimationem: nam Augustinus ita intellexit. Propterea haec tria per flumina et ventos atque pluvias propter numerum intellexi. Altero vero modo intelligitur per domum fundatam super petram sancta ecclesia fundata in Christo, per ventos intelligitur Antichristus et ejus sequaces, per pluvias gentilitatis perfidia, per flumina haereticorum errores.

Sequitur: *Haec complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere.* Legerat B. Benedictus illa verba, quae Dominus in monte secundum Mathaeum locutus est, et cognovit, omnem perfectionem in his esse, volens ille omnem perfectionem similiter in his verbis esse ostendere, hoc est in suo sermone hoc, quae tam de psalmo XIV., quam etiam ex aliis locis scripturarum huc adhibuit, idcirco finem verborum illorum, quae Dominus in monte locutus est, his verbis, quae huc adhibuit, subjungere studuit: et est sensus, cum dicit: *Haec complens Dominus exspectat nos*, id est, haec narrando complevit et exspectat nos quotidie. *Quotidie* enim intelligitur *omni die.* Et bene dixit *quotidie*, ut si forte diu praeceptum Domini implere distulisti, non te desperes, quia quotidie exspectat Dominus, i. e. omnibus diebus vitae tuae. *His suis* intelligitur quasi: istis suis sanctis monitis; idcirco dixit, ad separationem illorum, quae non sunt sancta, factis nos respondere debere. In hoc loco B. Benedictus sacrarum scripturarum morem observavit, cum dicit: *factis respondere debere*, quia scriptura divina, ubi dicit *respondere*,

ritus, si ex Deo sunt.« Ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus.

Postea autem sit in cella novitiorum ubi meditet et manducet et dormiat.[α] Et senior ei[β] talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eos[γ] omnino curiose intendat et sollicitus[δ] sit, si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Praedicentur[ε] ei omnia dura et aspera per quae[ζ] itur ad Deum. Si[η] promiserit de stabilitatis suae perseverantia, post duorum mensuum[θ] circulum legatur ei haec regula per ordinem, et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam[ι] cellam novitiorum et iterum probetur in omni patientia.[κ] Et post sex mensuum circuitum[λ] relegatur[μ] ei regula, ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur[ν] ei eadem regula. — Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione sciens et leges[ξ] regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio nec collum excutere de sub iugo regulae quem[ο] sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare[π] aut suscipere.

α) *AB* meditent et manducent et dormiant. β) *ABR* eis. γ) *DEFGHIKL* eum. δ) *BE* sollicitudo. ε) *COR* praedicantur. ζ) *OR* aspera qua (*R* quae). η) *DFGHIKL* Et si. θ) *Sic ABCOQR*. ι) *COR* superdictam. κ) *B* patientia et doctrina. λ) *DFGHIKL* circulum. μ) *AEKOR* legatur. ν) *DEFGHILOQR* legatur. [D.] ξ) *CDFGHILQR* sciens se (*H* sub, *R* et lege (*O sic corr.*): *K* sciens sibi ex lege; *O* sciens (*sup. lin.* s) e (*ras.* 1. *lit.* sub *in marg.*) lege. ο) *OQR* regulae quia sub: [D.] *CFGI* quam; *H* quod; *L* qua. π) *GLOQR* licuit ei excusare (*O* recusare). [D.]

Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione[α] morum suorum et obedientia[β] coram Deo et sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo[γ] se damnandum sciat quem irridet.[δ] De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiae ibi sunt et abbatis praesentis.[ε] Quam petitionem manu sua scribat — aut certe, si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, et ille novitius signum faciat — et manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum: »Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea.« Quem versum omnis congregatio tertio respondeat adiungentes »Gloria Patri.« Tunc ille[ζ] frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et iam ex illa die in congregatione reputetur.

Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta solemniter donatione conferat monasterio nihil sibi reservans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum[η] sciat.[θ] — Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii proiiciatur. Illam tamen petitionem eius quam de super altare abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reservetur.

α) *BGOQR* [*L* 1ª *m.*?] conversatione. β) *ACO* obedientiam. γ) *EFGHILOQR* a Deo. [D.] δ) *O* irritat. ε) *COR* abbate praesente (*L sic corr.*); *Q* (*A* 1ª *m*) abbati praesenti. [D.] ζ) *DFGHIL* ipse. η) *COQ* habere. θ) *ABO* scit.

LIX. DE FILIIS NOBILIUM AUT PAUPERUM QUI OFFERUNTUR.[α]

Si quis forte de nobilibus offerit[β] filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minore[γ] aetate est, parentes eius faciant petitionem quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant[δ] in palla altaris et sic eum offerant.

De rebus autem suis aut in praesenti per petitionem[ε] promittant sub iureiurando, quia numquam per se, numquam per suffectam[ζ] personam nec[η] quolibet modo ei aliquando aliquid dant aut tribuunt[θ] occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint et aliquid offerre voluerint[ι] in eleemosynam[κ] monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt monasterio, donationem reservato sibi, si ita voluerint, usum[λ] fructuum.[μ] Atque ita omnia obstruantur[ν], ut nulla suspicio remaneat puero per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus.

Similiter autem et pauperiores faciant. — Qui vero ex toto nihil habent[ξ], simpliciter petitionem faciant et cum oblatione offerant filium suum coram testibus

α) *CR om.* qui offeruntur; *EI add.* in monasterio β) *CEFGILR* offert; *DHK* offerat; *OQ* offeret γ) *ABP* minor (*KL sic corr.*). δ) *OQR* involvat (*Q* involvant) . . . offerat. [D.] ε) *Q* per petitione; *ABFP* (*om.* per) petitionem; *reliqui* petitione. ζ) *EOQR* subiectam (*AP sic corr.*); [D.] *CDGHL* suspectam (*K sic corr.*). η) *BOQ* ne; *R om.* nec. θ) *DFGHIKLPQ* dent aut (*FG* nec) tribuant. ι) *ABE* volunt. κ) *DFGKR* in eleemosyna. λ) *KQ* usu. μ) *KOQR* fructum; *CDFGHI* usufructuario; *L P m* usum fructuario. ν) *OR* (*L P m.*) observantur; *Q* observentur. [D.] ξ) *OQR* habet . . . . faciat . . . . offerat. [D.]

LXII. DE SACERDOTIBUS MONASTERII.

Si quis abbas sibi presbyterum vel[α] diaconem ordinari[β] petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.

Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam nec quidquam praesumat nisi quod ei ab abbate praecipitur, sciens se multo magis disciplinae regulari subditum.[γ] Nec[δ] occasione sacerdotii obliviscatur regulae obedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Deum[ε] proficiat. Locum vero illum semper attendat quo[ζ] ingressus est in monasterium, praeter officium altaris et[η] si[θ] forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitae merito eum promovere voluerit.[ι] Qui tamen regulam a[κ] decanis vel praepositis[λ] constitutam sibi[μ] servare sciat.

Quod si aliter praesumpserit, non sacerdos sed rebellio[ν] iudicetur. Et saepe admonitus si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium.[ξ] Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis proiiciatur de monasterio — si tamen talis fuerit eius contumacia, ut subdi aut obedire regulae nolit.

LXIII. DE ORDINE[ο] CONGREGATIONIS.[π]

Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversationis[ρ] tempus, ut[σ] vitae meritum discernit utque[τ] abbas constituerit. Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum nec quasi libera utens potestate iniuste disponat

α) *DHIPQ (FG 1a m.)* aut. β) *QR (O 1a m.)* ordinare. [D.] γ) *ABK* subdendum. δ) *BCI* ne. ε) *D* in Domino; *K 2a m.* in Deo. ζ) *C* quando; *R (O 1a m.)* quod. η) *E om.* et; *FG (L 1a m.)* aut; *D* aut et. θ) *O* et si *1ae manus mutat. in* nisi. ι) *ABP* voluerint. κ) *BEI om.* a. λ) *IOQ* praeposito. μ) *OQR* se constitutam servare; [D.] *B om.* sibi. ν) *O* rebellis. ξ) *COP* testimonio. ο) *O* De ordines; *Q* De ordinibus. π) *I* congregationum; *O* congregationes. ρ) *DFGHIKLQR* conversionis. σ) *DKLO* et; *I* vel; *HQR* aut. τ) *Q* atque; *H* aut quem.

aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus iudiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum; et in omnibus omnino locis aetas non discernat ordines[α] nec praeiudicet, quia Samuel et Daniel pueri presbyteros iudicaverunt. Ergo excepto hos[β] quos[γ], ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur ita sint, ut verbi gratia qui secunda hora diei venerit, in monasterio[δ] iuniorem se noverit illius esse qui prima hora venit[ε] diei, cuiuslibet aetatis aut dignitatis sit — pueris per omnia ab omnibus disciplina conservata.[ζ]

Iuniores igitur priores suos honorent, priores[η] minores[θ] suos diligant. In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine[ι], sed priores iuniores suos fratrum nomine[κ], iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi creditur agere[λ], dominus et abbas vocetur — non sua assumptione sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. — Ubicumque autem sibi obviant fratres, iunior a priore[μ] benedictionem petat. Transeunte maiore minor surgat et det ei locum sedendi; nec praesumat iunior consedere, nisi ei praecipiat senior suus, ut fiat quod[ν] scriptum est: »Honore invicem praevenientes.«

α) *CDEFGHIL* discernatur in ordine (*B sic corr.*); *QR* discernatur ordines (*Q* ordinis). β) *CDEFGHIKLQR* exceptis his (*AOP sic corr.*). γ) *AB om.* quos. δ) *EFGHIQ* (*L. 1a m.*) in monasterium. ε) *CFO* venerit. ζ) *CDEFGHI* teneatur (*om.* conservata); *P* conservata teneatur; *K* conservetur. η) *Q* maiores. θ) *CEGH* iuniores. ι) *CFGHIKOQR* (*L. 1a m.*) nomine appellare. [D.] κ) *CEFHK* fratres nominent. λ) *OQR* agit; [D.] *CDHLP* agere videtur. μ) *AB* iunior priorem ν) *B* sicut.

Pueri parvi[α] vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur; foris autem vel ubiubi[β] custodiam[γ] habeant[δ] et disciplinam, usque dum ad intelligibilem aetatem perveniant.

LXIV. DE ORDINANDO ABBATE.[ε]

In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore[ζ] consilio elegerit. Vitae autem merito et sapientiae doctrina[η] eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. — Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam[θ] episcopi ad cuius dioecesim[ι] pertinet locus ipse, vel ad abbates[κ] aut christianos vicinos[λ] claruerint[μ], prohibeant pravorum praevalere consensum, sed domui[ν] Dei dignum constituant dispensatorem scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et[ξ] zelo Dei faciant[ο], sicut e diverso[π] peccatum, si negligant.

Ordinatus autem abbas cogitet semper, quale onus suscepit[ρ] et cui redditurus est rationem villicationis suae; sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse. Oportet ergo eum esse doctum[σ] lege divina, ut sciat et sit unde

α) *IQ* parvuli. β) *C* ubique *(O sic corr.)*; *F* ubicumque; *LQR (DOP 1a m.)* ubi et ubi; *E* ubi ibi. γ) *BEK* et custodiam. δ) *P* teneant. ε) *CO* De ordine abbatis; *Q* De abbatis ordinatione. ζ) *DL 1a m.* seniore *(B sic corr.)*. η) *R* et doctrinae. θ) *ABP (L?)* in notitia. ι) *CQ* dioeceses. κ) *GHILQ* vel (*L* ad) abbatibus *(OP sic corr.)*. λ) *GHILOPR* christianis vicinis (*P* vicinos). μ) *R (COP 1a m.)* claruerit. ν) *QR (O 1a m.)* domus. [D.] ξ) *AP* ac. ο) *OQR* fiat. [D.] π) *CDFGHL* e contrario. ρ) *O* suscipit σ) *AC* doctum esse.

proferat nova et vetera, castum, sobrium, misericordem, et semper superexaltet[α] misericordiam[β] iudicio[γ], ut idem[δ] ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et — ne quid nimis[ε], ne[ζ] dum nimis eradere cupit[η] aeruginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspectus sit memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri[θ] vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet, ut[ι] viderit cuique expedire, sicut iam diximus; et[κ] studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia numquam requiescit. In ipsis imperiis suis sit[λ] providus et consideratus; et[μ] sive secundum Deum sive secundum saeculum sit opera quam[ν] iniungit, discernat et temperet cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: »Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.« Haec ergo aliaque testimonia discretionis, matris virtutum, sumens sic omnia temperet, ut sit, et fortes[ξ] quod cupiant, et infirmi non refugiant, et praecipue ut praesentem[ο] regulam in omnibus conservet[π], ut dum bene ministraverit, audiat a Domino quod servus bonus qui erogavit triticum conservis[ρ] suis in tempore suo: »Amen dico vobis,« ait, »super omnia bona sua constituet[σ] eum.«

α) *BC* superexaltat; *FK* superexaltantem. β) *EGHQR* misericordia. γ) *EFHLQ* iudicium. δ) *O 1^a^ m.* eadem, *2^a^ m.* eandem. ε) *O om.* et ne quid nimis. ζ) *B* et ne. η) *CFGHIKLOQR* nimis cupit eradere. [D.] θ) *QR* (*BO 1^a^ m.*) nutrire. ι) *FIKQ* prout. κ) *B* ut. λ) *BEFG om.* sit. μ) *EFGHIK om.* et. ν) *EFGHILQ* quae (*DP sic corr.*). ξ) *FOQ* (*DL 1^a^ m.*) ut et forte sit: *EGIPR* ut sint et fortes quod (quot) cupiant (*DL sic corr.*). ο) *O add.* hanc. π) *EFGI* conservent. ρ) *DGOR* cum (*R om.* cum) servis. σ) *OQR* (*A 1^a^ m.*) constituit. [D.]

LXV. DE PRAEPOSITO[α] MONASTERII.[β]

Saepius quidem contingit[γ], ut per ordinationem praepositi scandala gravia in[δ] monasteriis oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiae inflati, et aestimantes[ε] se secundos esse abbates[ζ] assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt et dissensiones in congregatione[η] faciunt, et maxime in illis locis ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et praepositus ordinatur. Quod quam sit absurdum, facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui: quia ab ipsis es et tu[θ] ordinatus a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exordinationes, ut[ι] dum contraria[κ] sibi abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub hac dissensione[λ] animas periclitari, et hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem.[μ] Cuius periculi malum illos[ν] respicit in capite qui talibus in ordinatione[ξ] se fecerunt auctores. Ideo nos praevidimus[ο] expedire propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui. Et si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

α) *ABC* De proposito. β) *CR om.* monasterii. γ) *BDEHIO* contigit. δ) *GOQR om* in. [D.] ε) *O* existimant; *HKR* (*L* *P* *m.*) existimantes. ζ) *HOQR* abbates esse (*L sic corr.*). η) *AB* in congregationes. θ) *CDFGHLOQR* quia ab ipsis est ordinatus (*K sic corr.*). [D.] ι) *CFGIQ* et; *E* et ut. κ) *DFGL add.* invicem (*IK sic corr.*). λ) *AB* sub hanc dissensionem. μ) *AFK* perditione. ν) *DILP* illis (*G sic corr.*). ξ) *A* talius inordinationis; *KP* inordinationibus. ο) *B* (*A* *P* *m*) vidimus (*C sic corr. ex* videmus); *DGHILQ* praevidemus; *R* praeindicamus.

Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas iudicaverit expedire -- quemcumque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi praepositum.

Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia, quae ab abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut[α] ordinationem faciens, quia quantum praelatus est ceteris, ita[β] eum oportet sollicitius[γ] observare praecepta regulae.

Qui praepositus si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbiae aut contemptor sanctae regulae fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater. Si non emendaverit, adhibeatur ei correptio[δ] disciplinae regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deiiciatur de ordine praeposíturae, et alius qui dignus est in loco eius subrogetur. Quod si et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio pellatur.[ε] — Cogitet tamen abbas se de omnibus iudiciis suis Deo reddere rationem, ne forte zeli aut invidiae[ζ] flamma urat animam.

LXVI. DE OSTIARIIS MONASTERII.

Ad portam monasterii ponatur senex sapiens qui sciat accipere responsum et reddere et[η] cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet[θ] habere iuxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, »Deo gratias« respondeat aut bene-

α) *EFHIR* et. β) *CDEFKLP* tanto. γ) *DHLOQR* sollicite; [D.] *FIK* (*C 1a m.*) sollicitus. δ) *O* correctio (*DIL sic corr.*). ε) *DFGHKLPR* expellatur; *EI* repellatur. ζ) *BD* invidiae aut zeli. η) *CDFGHILOQR om.* et. [D.] θ) *ABE* debebit; *C* debebet.

dicat[α]; et[β] cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore caritatis. — Qui portarius si indiget solatio[γ], iuniorem fratrem accipiat.

Monasterium autem, si possit fieri, ita debet constitui, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, pistrinum[δ], hortus vel artes diversae[ε] intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foris[ζ], quia omnino non expedit[η] animabus eorum. Hanc autem regulam saepius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

LXVII. DE FRATRIBUS IN VIA[θ] DIRECTIS.

Dirigendi fratres in via[ι] omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent; et semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de via fratres ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo[κ] oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus[λ], ne quid forte subripuerit[μ] in via visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis.[ν]

Nec[ξ] praesumat quisquam alio referre quaecumque foras[ο] monasterio[π] viderit aut audierit, quia plurima destructio[ρ] est. Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subiaceat; similiter et qui praesumpserit claustra mo-

---

α) *BOP* benedicet (*D sic corr.*). β) *BCPQR om.* et (*in AL delet.*). γ) *CIOR* solatium. δ) *ABP om.* pistrinum. ε) *ABEOP* hortum (*O* horto) vel artes diversas. ζ) *DHIR* (*L 1a m.*) foras η) *O* non expedit omnino. θ) *CFHKLOPQ* in viam. ι) *FGKO* in viam. κ) *OQR* (*P 1a m.*) loco; [D.] *E* solo loco. λ) *BO* excessos; *F* excessum. μ) *AB* ne (*A* nec) qui forte subripuerint. ν) *AI* sermones (*O sic corr*). ξ) *B* (*O 1a m.*) Ne ο) *CDEFGHIKPQR* foris. π) *EHLP* (*D 1a*, *O 2a m.*) monasterium; *B* monasterii. ρ) *OQR* discretio; [D.] *I 1a m.* districtio.

nasterii egredi vel quocumque ire vel quidpiam quamvis parvum[α] sine iussione abbatis facere.

LXVIII. SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIUNGANTUR.[β]

Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia iniunguntur[γ], suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia; quod si[δ] omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suae[ε] causas ei qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat iunior ita sibi expedire, et ex caritate confidens de adiutorio Dei obediat.

LXIX. UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE.

Praecavendum[ζ] est, ne quavis occasione praesumat alter alium[η] defendere monachum in monasterio aut[θ] quasi tueri, etiamsi qualivis[ι] consanguinitatis[κ] propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id a monachis praesumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coerceatur.

LXX. UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIQUIS[λ] CAEDERE.[μ]

Vetetur[ν] in monasterio omnis praesumptionis occasio. Ordinamus[ξ] atque constituimus, ut nulli liceat quemquam

α) *FGQR* (*O* 1ª. *D* 2ª *m.*) parum. [D.] β) *CGHIKQR* iniunguntur; *F* iubeantur. γ) *BP* (*L* 1ª *m.*) iniungantur. δ) *OQR* aut si. [D.] ε) *OQR om.* suae (*in C rec. m. add.*). [D.] ζ) *CQ* cavendum; *O* recavendum; *R* summopere cavendum. [D?] η) *CIKP* alterum; *DG* alius alium. θ) *I* nec; *Q* et; *R* at. ι) *EO* quavis; *DFGHIQ* qualibet. κ) *H* consanguinitate vel. λ) *EGHILQR* quisquam. μ) *EIR add.* aut excommunicare. ν) *P* (*G* 2ª *m.*) vitetur. ξ) *OQR om.* ordinamus. [D.]

fratrum suorum[α] excommunicare aut caedere nisi cui potestas ab abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

Infantum vero usque quindecim annorum aetates[β] disciplinae diligentia ab omnibus[γ] et custodia sit; sed et hoc cum omni mensura et ratione. — Nam in fortiori aetate qui praesumit[δ] aliquatenus sine praecepto abbatis vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinae regulari subiaceat, quia scriptum est: »Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris.«

LXXI. UT OBEDIENTES SIBI SINT[ε] INVICEM.[ζ]

Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita obediant fratres scientes per hanc obedientiae viam se ituros ad Deum. Praemisso ergo abbatis aut praepositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia praeponi, de cetero omnes iuniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine obediant. — Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.

Si quis autem frater pro quavis minima causa ab abbate[η] vel a quocumque priore suo corripitur[θ] quolibet modo vel si leviter senserit animos[ι] prioris cuiuscumque contra se iratos vel commotos quamvis modice, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod qui[κ]

α) *OQ add.* aut. β) *DEFGHIKLQ* Infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis. γ) *EFGHI add.* adhibeatur; *D* adhibeatur ab omnibus. δ) *DFGHKL* praesumpserit. ε) *HO* sint sibi; *K* sibi invicem sint. ζ) *DEFHIKQR* (*B* 2ª *m.*) *add.* fratres. η) *OQR om.* ab abbate. [D.] θ) *GQ* corripiatur. ι) *DFGO* animum . . . . iratum vel commotum. κ) *FGIOQR* quod si (*O* si *lit. parr.*) quis (*Q* qui). [D.]

contempserit facere, aut corporali vindictae subiaceat aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

LXXII. DE ZELO BONO QUOD[α] DEBENT MONACHI HABERE.

Sicut est zelus amaritudinis malus qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus[β] bonus qui separat a vitiis[γ] et ducit ad Deum et ad vitam aeternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi: id est ut honore se invicem praeveniant, infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent, obedientiam sibi certatim impendant (nullus quod sibi utile iudicat sequatur, sed quod magis alio[δ],) caritatem fraternitatis casto[ε] impendant amore, Deum timeant, abbatem suum sincera et humili caritate diligant, Christo omnino nihil praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat.[ζ]

LXXIII. DE HOC QUOD NON OMNIS IUSTITIAE OBSERVATIO IN HAC SIT REGULA CONSTITUTA.

Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere.[η]

Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinat[ϑ], sunt doctrinae sanctorum patrum quarum observatio perducat[ι] hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim pagina aut quis[κ] sermo divinae auctoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitae humanae? Aut quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non resonat,

α) *DEFGHKL* quem. β) *BHLR* et zelus. γ) *AB* vitia; *FGI* (*L?*) vitio. δ) *DHIQ* alii; *K* aliis. ε) *AB* caste. ζ) *A* 1ª *m.*, *B* 2ª *m.* perducant. *DEFHIKR* *add.* amen. η) *O* ut in hac observationem monasterii aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nostrae demonstraremus haberi. ϑ) *LR* (*G* 2ª *m.*) festinant. ι) *FGH* perducit. κ) *AP* 1ª *m.* qui.

ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Nec non et Collationes Patrum et Instituta et Vitae[α] eorum sed et Regula sancti patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus rubor confusionis est.

Quisquis ergo ad patriam coelestem festinas[β], hanc minimam inchoationis regulam descriptam adiuvante Christo perfice; et tunc demum ad maiora quae supra commemoravimus doctrinae virtutumque culmina Deo protegente pervenies. Amen.[γ]

Explicit regula.[δ]

α) *ABR* (*LP 2ª m.*) vitas. β) *FQR* festinans. γ) *BDFHI om.* Amen. δ) *AP add.* Facienti haec vita erit aeterna.

VITA

ET

REGULA SS. P. BENEDICTI

UNA CUM

EXPOSITIONE REGULAE.

III.

EXPOSITIO REGULAE AB HILDEMARO TRADITA ET NUNC PRIMUM TYPIS MANDATA.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

EXPOSITIO REGULAE

AB HILDEMARO TRADITA

ET

NUNC PRIMUM TYPIS MANDATA.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

1880.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

SS. P. N. BENEDICTO
EJUSQUE BEATISSIMAE SORORI SCHOLASTICAE
AD ANNUM SAECULAREM MDCCCLXXX MONACHI METTENENSES.

PROLEGOMENA.

I.

Martenius, monachus doctissimus congregationis S. Mauri, commentarium in regulam S. Benedicti, qui Hildemari nomen prae se fert, omnium optimum esse judicat;*) et Haeftenus, homo praeclarissimus, auctorem commentarii Hildemaro adscripti *vel primum vel inter primos regulae commentatores* non dubitat nominare, etsi auctoritatem Trithemii secutus Ruthardum quendam, Rhabani Mauri discipulum, hujus commentarii auctorem esse conjicit.**) Attamen hic commentarius tam honorifice commemoratus usque ad id tempus nondum prelo subjectus est, neque quidquam ex eo praeter quosdam locos, quos Martenius suo commentario inseruit, notum exstat. Quamvis enim Martenius et Mabillonius, viri religiosi congregationis S. Mauri, ejus editionem enixe molirentur, tamen rem ad finem non perduxerunt.

Quae cum ita sint, excusati esse videmur, quod praelaudatum commentarium, praesertim cum XIV. solemnia saecularia diei natalitii S. Benedicti et S. Scholasticae agantur, edimus.

*) Praefat. ad commentar. in regulam S. Bened. Paris 1690

**) Disquisitiones monast. lib. 2. tract. 5. disquis. 4. pag. 160.

De Hildemari vita operibusque nihil nisi pauca tradita habemus. In monasterio *Franciae* se degisse, ipse dicit, et Rampertus episcopus Brixanus (a. 814—844)*) testatur. Ex nomine *Franciae* sine ulla appositione dictae fortasse eum ante annum DCCCXLIII, quo regnum Francorum Viroduni divisum est, in eodem degisse conjici potest. In qua autem parte, utrum in orientali (germanica) an occidentali vixerit, non constat. Quamvis enim nomina Hildemari et ejus amici Leutgari, quae sunt germanica, illum in Germania vixisse magis probare videantur, tamen et in Francia occidentali et meridionali multi Franci seu Germani degebant. Item ex quibusdam locis commentarii elucet, Hildemarum post mortem Caroli Magni († 814)**) et post concilium ab Eugenio papa II. a. 826 Romae peractum***) commentationem s. regulae tradidisse aut saltem absolvisse et perfecisse. Cumque in commentario tractatus, in quo de ratione legendi agitur, ad Ursum episcopum Beneventanum (a. 833—839) missi mentio fiat, quin Hildemarus etiam post annum 833, cum ejus expositiones super s. regulam ab auditoribus scribebantur, in monasterio docuerit, non est dubium.

Circa annum 840 et ipsum Hildemarum et Leutgarum abbatem natione Francum ab Angilberto II. episcopo vocatos Mediolani fuisse reperimus, ubi domicilium collocasse videntur; nam Angilbertum II. episcopum (a. 824—860) eos *ob illuminationem ecclesiae suae insolubili vinculo sibi sociavisse*, dicit Rampertus Brixanus. Angilbertus II. episcopus eos primum Brixiam misit, Ramperto episcopo rogante, ut monasterium SS. Faustini et Jovitae restaurarent atque reformarent;†) postea vero multis in causis eorum consilio et adjutorio usus esse videtur. Ram-

*) Mabillon. Analecta p. 418. Bullar. Casinens. tom. 2. p. 25.

**) Cap. 14. (pag. 303) piissimi imperatoris Ludovici fit mentio.

***) v. g. cap. 4. (p. 172) cap. 64. (p. 590.)

†) Cf. Quirini Cardinalis collectio Patrum Brixianae ecclesiae. p. 381—401.

pertus enim episcopus eorum vita atque doctrina plurimos illius regni illustratos fuisse, honorifice praedicat. *) Post annum autem 850 Hildemarum adhuc in vivis fuisse, non est verisimile.

Eum abbatem monasterio praefuisse, quod adhuc in dubium vocabatur, jam pro certo habendum esse videtur. Nam in capitulo XXIX (p. 369), ubi pertractatur, quomodo abbas de monachis, qui aufugerint, recipiendis agere debeat, de se ipso dicit: *et ego facio ita in nostro monasterio et hortor, ut ceteri (abbates?) similiter faciant.* In codicis Tegernseensis folio 103. annotatio marginalis fortasse XIV. aut XV. saeculo scripta invenitur, cujus haec sunt verba: »Hic habetur epistola, quam *abbas* Hildemarus misit Urso episcopo.«

Pauca, quae ab Hildemaro excogitata et conscripta exstant vel nota sunt, eum ingenio acutissimo praeditum et amplissima historiarum et theologiae scientia imbutum atque peritissimum librorum antiquorum et Patrum fuisse comprobant; quare discipuli *Hildemarum magistrum* merito vocare consueverant. Praeter commentarium in s. regulam exstat ab eo compositus tractatus de ratione legendi, qui capitulo XXXVIII commentarii in s. regulam insertus est; necnon in eodem capitulo fragmentum commentarii in evangelium S. Lucae ab eodem conscripti invenitur; item in cap. LXII (p. 569) commentarii in s. regulam tractatus Hildemari de irregularitatibus ordinandorum clericorum fit mentio, ex quo quaedam afferuntur.

II.

Commentarium in s. regulam ab Hildemaro excogitatum, non integrum ab eodem conscriptum, sed magna ex parte sermone tantummodo prolatum et a notariis, qui notis et signis scribebant, ex-

*) Mabillon. Analecta. pag. 618. 619. Bullar. Casinens. tom. 2. p. 25.

ceptum esse, codicibus, qui adhuc exstant, satis comprobatur. Codex (S. Benigni) Divionensis exeunte IX. aut ineunte X. saeculo conscriptus in fronte hoc inscriptum habet: *Incipit »traditio« super regulam S. Benedicti, quam magister Hildemarus monachis »tradidit« et docuit discipulis suis. Quocirca obsecro, cum aliquid incompositum sive inhonestum ibi inventum fuerit, non magistro, sed discipulis imputetur.*)* Martenius in praefatione commentarii sui etiam *multos alios codices Galliae eandem inscriptionem exhibere* tradit. Iisdem verbis inscripti sunt Germaniae codices, Tegernseensis et Fürstenzellensis, praeterquam quod in Tegernseensi pro *discipulis suis* dictum est *discipulos suos* et in Fürstenzellensi *docuit* prius et *tradidit* proxime ante *discipulis* positum est. In iisdem codicibus commentarius terminatur his verbis: *Explicit »traditio,« quam Hildemarus monachus exposuit super regulam S. Benedicti et »tradidit« discipulis suis.*

Codex Mellicensis ab his verbis initium sumit: *Incipit tractatus Hildemari monachi in regulam S. Benedicti*, et exhibet in fine haec: *»Traditio,« quam Hildemarus monachus exposuit super regulam S. Benedicti et »tradidit« discipulis suis.*

Denique in romanis monasterii S. Pauli consuetudinibus XI. aut XII. saeculo compositis hunc commentarium sub nomine Hildemari afferri atque laudari idem Martenius in praefatione sui commentarii affirmat.

Quamvis res ita se habeat, nil obstat, quominus suspicemur, Hildemarum aut jam in Francia degentem aut saltem in Italia superiore docentem primas lineas seu designationem ac formam quandam commentarii sua manu conscripsisse. Quam designationem ipse in praelectionibus per tempus longum adhibendo

*) Hic codex postea Divione Parisios in bibliothecam S. Germani translatus est, ex quo Mabillonius et Martenius, quae excerpta tradunt, deprompserunt. (Cf. Martène praef. in commentar. — Mabillon. Analecta Ord. S. B. tom. 2. 619. — Migne, patrol. lat. tom. 106. col. 394.)

pedetentim modice mutavit, emendavit, auxit, perfecit, auditores autem ejus notarii, qui notis et signis sermones magistri excipiebant et scribebant, in eam formam redegerunt, in qua nobis nunc apparet. Verum illa brevior designatio, quae ab Hildemaro ipso scripta erat, cum pluribus communicata et sensim in regiones dissitas divulgata esse videtur; codex enim Emmerameusis Ratisbonensis, qui ad saeculum X. vel XI. pertinet et de quo mox infra agemus, nil aliud est quam illa Hildemari primaria forma et brevior designatio. Unde audaciae argui non possumus, si conjectamus, istam breviorem designationem saeculo decimo etiam Capuae a monacho Casinensi reportam et exscriptam esse. Qua de causa Hildemari lineae primae postea ad Paulum Warnefridum relatae sint, investigare et discutere, tempori insequenti committere eo magis debemus, cum novissimis demum diebus momenta et apparatus opportuni nobis propositi sint.*)

Hildemari commentarii quamvis praeclara sint argumenta et sententiae, tamen oratio et dictio sunt valde defectivae et imperfectae, quod quidem ex parte eo factum est, quod sermo nonnunquam ex *tempore* dictus et notis et signis ab auditoribus exceptus est. Currente flumine orationis evenit, ut multa et in sermone et in sententiis corrupte dicerentur, multa omitterentur aut repeterentur vel nimis late exponerentur, multae quoque comprehensiones verborumque complexiones vitiose et inconcinne construerentur, quae omnia ab auditoribus ad verbum excepta et posteris tradita sunt. Quaedam autem ab ipsis notariis male audita et intellecta, quaedam ab iis, qui notas et signa resolvebant, mendose transscripta sunt, quae menda a posterioribus librariis sunt etiam aucta. Quaedam quoque a notariis

*) Confer Pauli Warnefridi in sanctam regulam commentarium (editum a monachis Casinensibus typis abbatiae montis Casini 1880)

ipsis, qui quandoque loco Hildemari *) sermonem faciunt, sunt addita, vel interdum explanata et mutata, quod maxime in XXXVIII. et LXI. capitulo invenitur.

Sermone Hildemarus illo tempore viris eruditis communi, sed hominibus XIX. saeculo degentibus gravi ad legendum et intellectu difficili usus est. Multae enim verborum comprehensiones a particulis minus aptis et inanibus, tantum ornatus causa dictis incipiunt. Plerumque primum aut secundum complexionis verbum vocabula conjunctionis: »*enim*,« »*vero*,« »*autem*,« »*nam*,« »*quippe*« etc. subsequuntur, quibus, cum essent scriptoribus illius temporis usitatissima, raro propria significatio subest. Item conjunctiones *et*, *sed*, aliaeque sexcenties superfluae videntur, ut complexiones verborum non solum non conjungant, sed dissolvant et intellectu difficiliores reddant. Particula consecutiva *ut* saepe cum indicativo construitur, et idem *ut* et *quod* aliquando in fronte comprehensionis solum ad augendam vim vocabulorum *si*, *ne*, vel *qui* ponuntur, ut *quodsi*, *quodqui*, *utsi*, *utne* quasi unum vocabulum sint intelligenda. Vocabulum »enim« in variis significationibus, modo pro *etiam*, modo pro *vero* vel *autem*, modo pro *ergo* etc. positum est. Aliquando priori enuntiationi (protasi) apodosis deesse, aut ei non secundum legem syntaxeos conjuncta invenitur (anacolutha). Haec et alia minus perfecte composita non aegre feramus, si Hildemari commentario delectari velimus.

Quis Hildemari discipulorum potissimum magistri sermones signis et notis exceperit et composuerit et in hanc formam redegerit, omnino non constat. Attamen Basilium quendam abbatem, qui in codice quodam Reichenaugiensi Hildemari commentarii auctor dicitur, illum compilasse Mabillonius suspicatur. Fortasse a pluribus discipulis sermones notis sunt excepti, quibus collatis et ex mutuo suppletis totus commentarius exstitit.

*) quem magistrum vocant et cujus opera honorifice citant

Verisimile est, Hildemarum Francum in Italia superiore degentem expositiones sacrae regulae in monasteriis civitatis et agri Mediolanensis persecutum esse et contexuisse easque ibidem, uti jam Martenius et Mabillonius crediderunt, et non in Francia a notariis exceptas esse. Haud multum quidem valet mentio Sanctorum ecclesiae Mediolanensis in capitulo XIV commentarii facta et a Martenio allata, quia iidem Sancti, v. g. Ambrosius, Celsus, Nazarius, Gervasius etc., jam tunc toti christianorum coetui noti et celebres erant, quare etiam in Francia ignoti esse non poterant. Sed nonnullae aliae minoris momenti res ad ecclesiam Mediolanensem pertinentes ab auctore commentarii proferuntur, quae scire et dicere vix poterat, nisi ecclesiae Mediolanensi adscriptus vel saltem familiaris. Capite XLVII (pag. 476) dicit, in ecclesia Mediolanensi diaconum antiphonas imponere seu intonare. Capite LIII (pag. 503) hospes vicinus appellatur, qui ex monasterio montis pedalis, i. e. Pedemontii, provinciae Mediolanensi agro adjacentis, advenit. Capite LXI (pag. 558) inter longinquas provincias numeratur Burgundia et Ravenna. Hic modus, longinquam aliquam provinciam versus orientem et occidentem dicendi, optime Mediolanum incolenti, minime vero in Francia habitanti convenit, quia viro in Francia habitanti superfluum erat, duas eundem situm versus provincias nominare; per se enim patet, Ravennam versus orientem multo remotiorem a Francis inter longinquas numerandam esse, postquam Burgundia eundem situm versus multo propior pro longinqua erat declarata. Eodem capite LXI (p. 561—565) exemplaria literarum formatarum proferuntur, quae non ab episcopo quodam Franciae datae sunt, sed ab episcopo Italiae superioris, i. e. Brixiae, Mediolano vicinae.

Verumtamen summi momenti est, quod auctor commentarii frequentissime commemorat, quae ipse aliquando in Francia viderit, audierit vel egerit, aut quod narrat, quinam sint Franciae modi monastici peculiares, v. g. capp. 29. 36. 43. 53. 55. 63. etc.: ex quo concludere licet, tam traditorem ex-

positionum jam non in Francia docuisse, quam auditores et notarios monasticas Franciae rationes nescisse. Sic e. g. capite XLIII (p. 462) affirmat, se in suo monasterio francico fratrem negligentem manducantibus fratribus in medio refectorio manducantem vidisse.

III.

Commentarium Hildemari edendum curantes praecipue quatuor codices: unum e monasterio St. Emmerami Ratisbonensi, alterum e monasterio Tegernseensi, tertium e monasterio Mellicensi Austriae inferioris, quartum e monasterio Fürstenzellensi prope Passaviam sumptum adhibuimus, quorum tres priores membranis inscripti sunt, codex Fürstenzellensis autem chartis. Codex Mellicensis monasterii adhuc exstantis proprius cum summa liberalitate nobis commodatus est, pro qua maximas agimus gratias. Caeteri tres Monachii in bibliotheca regia et quidem codex Emmeramensis sub num. 14764 clm., Tegernseensis sub num. 18103 clm., Fürstenzellensis sub num. 7232 clm. asservantur.

Codex Emmeramensis X. aut XI. saeculo scriptus multum a tribus caeteris differt, quippe qui nihil aliud nisi designatio brevior seu forma primaria sit, quare in oratione et literulis minus vitiosus, quam alii, apparet. Accedit quod septimo capitulo sive primo humilitatis gradu terminatur. Inscriptus est in fronte his verbis: »Expositio regulae usque ad primum gradum humilitatis.« Manu multo recentiori in charta exteriori scriptum est: »commentarius videtur esse Hildemari.« *)

Codex Tegernseensis XII. saeculo scriptus literularum et membranae elegantia excellit summaque diligentia est confectus.

---

*) Commentarius nuperrime (1880) a monachis Casinensibus sub nomine Pauli Warnefridi editus ad literam cum codice Emmeramensi convenit.

Quanquam non omnibus omnino caret erroribus, tamen Mellicensi et Fürstenzellensi est emendatior.

Codex Mellicensis*) fortasse XIII. saeculo scriptus aliquot externis ornamentis Tegernseensem praecellit. In initio prologi Ottonis Prioris, qui hunc codicem scripsit, et Waltheri abbatis, cui codex traditus est, imagines apparent. Cum autem Waltherus abbas Mellicensi monasterio ab anno 1224 usque ad annum 1247 praeesset, codicem, si in monasterio Mellicensi est exaratus, illo tempore scriptum esse sequitur. Attamen an is codex in monasterio Mellicensi eo jam tempore fuerit, quo bibliotheca Mellicensis cum libris ann. 1297 igne consumpta est, aliqua dubitatio esse potest; perpauca enim literarum opera ab igne servata sunt, in quibus Kropffius Mellicensis in libello »bibliotheca Mellicensis« hunc Hildemari commentarium *non* profert. Ista dubitatio eo augeri videtur, quod exeunte saeculo XIII in Cisterciensium quoque monasterio Fürstenzellensi, ex quo adhuc codex Hildemari commentarii exstat, Waltherus quidam abbas (1274—1285) et Otto quidam monachus, postea abbas († 1315), vixerunt; **) quin etiam et ille Otto Prior imagine supradicta depictus, et S. Benedictus, cujus effigies alia imagine ejusdem codicis Mellicensis expressa est,***) albo (Cisterciensium) vestitu induti esse videntur, ex quo conjici forsitan possit, codicem Mellicensem elegantissimum aliquo modo cum monasterio Fürstenzellensi connexum fuisse.

Codex Tegernseensis et Mellicensis sexcenties ipsis mendis & erroribus inter se conveniunt, ut codicem Mellicensem aut ex Tegernseensi transcriptum aut utrumque ex uno eodemque fonte ortum esse putare cogamur.

---

*) Cf. Bibliotheca Mellicensis Kropffii p. 31. n. 45.

**) Monum. boic. vol. V.

***) In prima litera »A« vocabuli »Ausculta« haec effigies picta est. SS. Pater Benedictus pedum abbatiale manu tenet.

Codex Fürstenzellensis, quem anno 1467 scriptum esse ipse textus indicat, quamvis passim errores aliorum codicum aperiat et emendet, minoris tamen est momenti.

Ex codice (S. Benigni) Divionensi plurima fragmenta, quae in Martenii commentario in s. regulam exstant, adhibere potuimus, quibus illum a codicibus Germaniae non discrepare, quin immo ipsis mendis et erroribus cum eis convenire satis demonstratur.

IV.

Codices, quos supra memoravimus, alios cum aliis discrepantibus conferentes eam, quae optima et convenientissima esse videbatur, lectionem elegimus. Variis lectionibus aeque convenientibus vel in dubio manentibus plerumque codicem Mellicensem secuti sumus. Non intendimus, librum ad pios sensus excitandos aptum scribere aut oblectamenta praebere, sed omnino nihil aliud, nisi Hildemari doctrinam et traditionem proferre vel ea tantum, quae ipse Hildemarus excogitavit et exaravit, non etiam ea, quae Hildemarus ex aliis scriptoribus, qui nunc omnibus noti sunt et ad quorum opera omnibus aditus patet, excerpta in sermonibus suis protulit vel recitavit, plena et integra tradere. Hac de causa nimis longa ex Patrum et antiquorum scriptorum libris excerpta non rursus typis imprimenda curavimus, sed verbis tantum primis et ultimis indicavimus. Potissimum in XXXVIII. capitulo quinquaginta excerpta de ratione legendi, cum sint a consilio, quod intendimus, aliena, paene omnino sunt omissa. Quae autem ab ipso Hildemaro excogitata atque dicta sunt, fidei et veritatis causa eadem forma et specie induta, qua aut ab Hildemaro scripta, aut ab auditoribus signis et notis formata exstiterunt et nunc extant, proferre voluimus; igitur etiam dictio et elocutio peculiaris et haud elegans retenta est. Scriptorum loci ab Hildemaro citatorum paene omnes quaesiti et spectati sunt, sed complures inveniri

non potuerunt. Scriptores christiani juxta cursum patrologiae latinae a Migne Parisiis editum indicati sunt.

Vocabula et verborum comprehensiones, quae superflua et inania esse et sententias intellectu difficiliores reddere videbantur, uncinis [ ], dubia autem lunulis ( ) inclusa sunt, conjecturas vero et adjuncta in modum annotationum marginalium addidimus.

P. Rupertus Mittermüller,
monachus Mettenensis O. S. B.

In nomine Domini. Incipit tractatus Hildemari monachi in regulam Sancti Benedicti. Incipiunt capitula regulae monachorum:

I. De generibus et vita monachorum.
II. Qualis debeat esse abbas.
III. De adhibendis ad consilium fratribus.
IV. Quae sunt instrumenta bonorum operum.
V. De obedientia, qualis sit.
VI. De taciturnitate.
VII. De humilitate, quae XII gradus habet.
VIII. De officiis divinis in noctibus.
IX. Quanti psalmi dicendi sunt nocturnis horis.
X. Qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus.
XI. Qualiter dominicis diebus vigiliae agantur.
XII. Quomodo matutinorum solemnitas (dominicis diebus) agatur.
XIII. Privatis diebus qualiter matutini agantur.
XIV. In natalitiis sanctorum qualiter vigiliae agantur.
XV. Alleluja quibus temporibus dicatur.
XVI. Qualiter divina opera per diem agantur.
XVII. Quot psalmi per easdem (diurnas) horas canendi sunt.
XVIII. Quo ordine ipsi psalmi dicendi sunt.
XIX. De disciplina psallendi.
XX. De reverentia orationis.
XXI. De decanis monasterii, quales debeant esse.
XXII. Quomodo dormiant monachi.
XXIII. De excommunicatione culparum.
XXIV. Qualis debeat esse modus excommunicationis.
XXV. De gravioribus culpis.

[1]) oratorio (?)

Incipit liber regulae S. Benedicti.

Incipit prologus sive adhortatio ejus. Tres enim sunt ecclesiasticae disciplinae: Prima physica, id est naturalis, secunda ethica, i. e. moralis, tertia logica, i. e. rationalis. Physica derivatur ab eo, quod est physin;[1]) physin enim graece latine natura dicitur. Ethica autem derivatur ab eo, quod est ethin,[2]) ethin quidem graece latine mores dicuntur. Logica derivatur ab eo, quod est logos; logos enim graece latine ratio dicitur. Et propter has tres disciplinas ecclesiasticas Salomon, sapientissimus omnium regum, tres libros edidit. Primum librum vocavit parabolam, secundum ecclesiasten,

[1]) φύσις, cod. Emmeram.
[2]) ἦθος (η legitur ut i).

tertium vero cantica canticorum. Primus quidem liber convenit parvulis, in quo saepe parvulos quasi filios alloquitur dicens: *Audi fili mi,* et caetera: unde in ipso libro saepe mentio malarum rerum fit, id est meretricum et haereticorum. Secundus autem liber convenit majoribus, in quo libro majores admonentur, vanitates mundi despicere, unde ipse liber a vanitate inchoatur dicens: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Tertius autem liber congruit perfectis; nam in eo libro non adversa, sed laeta reperiuntur. Istius enim Salomonis ordinem tenens B. Benedictus non ignarus ecclesiasticae disciplinae dixit: *Ausculta o fili*, id est sicut Salomon in primo suo libro parvulos quasi filios allocutus est. Quidam libri habent *ausculta*, et quidam *obsculta*; sed sive dicas *ausculta*, sive *obsculta*, nihil obstat, eo quod *auscultare* est *auribus scultare: scultare* ponitur pro *audire*, *obscultare* vero est *communiter audire*, quia *ob* in hoc loco pro *simul* ponitur. Nunc videndum est, qua ratione Benedictus cum dixit: *fili!* praemisit *o*; suffecisset illi enim dixisse *fili* tantum, quia in illo nomine, quod est *fili*, vocatio intelligitur. Sed [quia] sicut solent multa nomina pro exaggeratione, id est augmentatione intellectus sui assumere quasdam adjectiones sillabarum, verbi gratia, sicut *dives*, *potens*, *excelsus* et caetera assumunt *prae* et *ex* i. e. *praedives* et *praepotens*, hoc est *valde dives* et *valde potens*, et *excelsus*, id est, *valde celsus:* ita S. Benedictus in hoc loco ut exaggeraret vocationem suam, *praemisit o*, cum dixit: *fili!* Nam *o fili* duo sunt vocativa, ac si diceret: fili! fili! Filius enim multis modis dicitur, id est natura, adoptione, imitatione, doctrina et gente. Natura enim et adoptione omnibus notum est; imitatione autem, quia illius est filius quis, cujus opera imitatur. unde Dominus in Evangelio dixit Judaeis: *Vos ex patre diabolo estis, quia ejus opera facere vultis.* Doctrina vero, sicut sunt filii docti a suis magistris; gente autem, sicut fuit ille dives, positus in inferno, videns Lazarum in sinu Abrahae; unde illum Abraham filium vocavit dicens: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Et similiter

ille dives eum patrem nominavit dicens: *Pater Abraham.* Et quamquam multis modis dicatur filius, tamen ubi filius invenitur, etiam non scriptus semper pater subintelligitur, quia filius non potest esse sine patre. — In hoc vero loco cum dicit: *fili,* paternitatis affectum atque magisterii disciplinam erga te ostendit se habuisse. Te vero sua oratio, qua dicit: *fili,* ostendit, ad quod te ducat, id est ostendit, te ducere ad paternitatis affectum, seu magisterii disciplinam suscipiendam. Sequitur: *Praecepta* dicuntur quasi *praemium capient,* eo quod sui servatores ex illis praemia capiant. *Magister* dictus est quasi *magis tritus*, id est magis doctus, sicuti dicitur *discipulus* a discendo. Nunc videndum est, quare dixit Benedictus *inclina*, cum potuit dicere *aperi?* Sed quia multi aperiunt aures et non inclinant i. e. non humiliant, ideo dixit *inclina*, id est: humilia. Nam multi, quamquam raro econtrario, superbi reperiuntur aures et cetera membra erecta habere, ut est illud: *aures eorum adgrava et oculos superborum humiliabis;* semper enim superbi in fastu superbiae erecti sunt; non enim ita dicuntur membra superborum superba, quasi illa sint superba, sed quia officia eorum superbia est, idcirco membra superba dicuntur. Nam in oculis solet cognosci superbia, in ceteris vero membris officia intelliguntur superba. Et est sensus, cum dicit: *inclina aurem*, id est, ad humilitatem discendam aures submitte: nam *inclinare* est ab excelsioribus ad humilia submitti. Iterum videndum est, quare, cum dicit *aures*, subjunxit *cordis*, cum sufficisset illi dixisse *aures* sine adjectione *cordis*, quia scriptura divina ubi *aures* dicit, cordis aures requirit: unde Dominus in Evangelio dicit: *Qui habet aures audiendi audiat:* ibi enim non de auribus corporeis dixit, quia omnes, qui illic aderant, aures corporis habebant, et nemo illic venisset ad audiendum, nisi aures corporis habuisset, sed quia Dominus cognoscens ut Deus vidit, ibi multos non aures cordis habuisse, [et] ideo dixit: *Qui habet aures audiendi audiat*, ac si diceret: Illos alloquor, qui aures cordis habent: nam aures exterioris hominis sonum audiunt, sed non discernunt, aures autem in-

terioris hominis audiunt et discernunt. Et ipse homo exterior communis est cum bestiis; homo autem interior communis est cum angelis, et ipse ad imaginem Dei factus est. S. vero Benedictus ideo dixit *cordis*, ut ibi nulla difficultas esset intelligendi, de quibus auribus diceret, quia humilibus et simplicibus loquebatur. Aures autem secundum antiquorum sapientium sensum dictae sunt quasi *audes* ideo, quod audiant. Secundum vero novorum sapientium aures dictae sunt ab hauriendo, eo quod hauriant sonum. Nunc iterum videndum est, qua ratione S. Benedictus, cum dixit *cordis*, subjunxit *tui*, cum suffecisset illi *cordis* dixisse tantum. Sed ideo dixit propter exaggerationem cordis, id est propter nimiam intentionem cordis. Ea quippe intentione dixit S. Benedictus *tui*, qua intentione dixit Deus ad Ezechielem prophetam *tuis*, ait enim: *Fili hominis, vide oculis tuis et auribus tuis audi et pone cor tuum in omnia, quae ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi, adductus es huc.* Ideo dixit *tuis*, quia oculos cordis vel aures cordis requirebat, ac si diceret: quia non potes ista, quae ego ostendo tibi, oculis corporeis videre, et auribus corporeis audire, idcirco dico *tuis*, ut ea propheticis oculis videas et auribus propheticis audias. Ita S. Benedictus in hoc loco dixit *tui*, ac si diceret: et quia haec, quae ego loquor tibi, non potes auribus corporeis audire, idcirco dixi *tui*, ut ea auribus cordis audias.

Et admonitionem pii patris libenter excipe. Inter admonitionem et doctrinam hoc potest interesse: doctrina est ostensio rei, quae debet fieri, et quae non debet fieri; admonitio vero est exoratio, ut fiat vel non fiat. Nunc iterum videndum est, qua ratione S. Benedictus cum dixit *patris* praemisit *pii*, cum suffecisset dixisse tantum *patris*? Sed ideo dixit *pii* propter exaggerationem paternitatis affectus id est, ut ostenderet, se nimium paternum amorem habere. Altero modo dixit *pii* ad seperationem illorum, qui crudeles sunt patres, veluti est diabolus, de quo Dominus in Evangelio dicit: *Vos ex patre diabolo estis, quia opera ejus facere vultis.* Diabolus enim, quanquam blanda et

dulcia tibi promittat, tamen quia intentio illius deceptionis atque perditionis est, ideo est crudelis, et ipse, qui nunc est suasor dulcedinis, ille erit accusator noster ante Deum. Multi vero carnales patres crudeles sunt in eo, quod mittunt filios suos ad furandum et ad rapiendum seu ad cetera mala peragenda causa dilectionis eorum, ut ex hoc abundent divitiis. Deinceps quidem sunt patres carnales, qui, quamvis non mittunt filios suos ad mala perpetranda, tamen quia non docent illos bene agere, aut non permittunt vel concedunt illos doceri, crudeles sunt. Et quid mirum, si multi patres carnales sunt crudeles, cum etiam multi doctores atque praepositi ecclesiae crudeles existunt? quia omnis, qui locum tenet regiminis ecclesiae, si plus amat vel diligit terrena quam coelestia, crudelis est.

Et sive intelligas in hoc loco patrem Benedictum sive alium quemquam doctorem in loco ejus constitutum, sive ipsum Dominum, est sensus, cum dicit: *admonitionem pii patris libenter excipe*, i. e. si forte quemquam crudelem patrem secutus es, hortor te atque admoneo, ut deseras illum crudelem et sequaris istum, qui pius est.

Iterum videndum est, qua ratione cum dixit *excipe*, praemisit *libenter?* Et non dixit *excipe* tantum, sed ideo dixit *libenter* propter exaggarationem devotionis tuae, ut imperium patris atque magistri summa cum devotione excipias. Nam sunt multi, qui imperium suscipiunt patris vel magistri, tamen non libenter suscipiunt, eo quod non bona voluntate suscipiunt illud: *libenter* namque potest intelligi quasi *placenter*, id est, sponte vel voluntarie, eo quod devotionem tuam voluit perfectam esse, cum ostendit in illo verbo, quod dicit *excipe*; *excipere* enim est valde accipere, id est: aeque atque devote accipere.

Iterum videndum est, qua ratione, cum dicit *comple*, praemisit *efficaciter?* Ideo enim dixit *efficaciter* propter exaggerationem, id est perfectionem operis, quia voluit ostendere, ut nihil perfectionis deesset tuo operi; *efficaciter* enim quasi *effectum, id est consummationem capienter* dicitur. *Efficaciter* namque est: pefecte, pl e niter; nam quia sunt

multi, qui opus sibi injunctum non efficaciter, id est studiose vel perfecte complent, propterea dixi tibi, efficaciter complere, ut non tepide aut negligenter compleas. Egregius enim est in hoc loco ordo; ideo enim est egregius, quia prius docuit libenter excipere, et postmodum efficaciter complere.

Nunc quasi tu aut aliquis, cui haec imperantur, interrogasset illum dicens: Quo fructu aut qua ratione, pater Benedicte, jubes me ita agere, id est libenter praeceptum patris excipere et efficaciter complere? reddit causam, qua hortetur haec agere, quasi dicat: Vis scire, quo fructu aut qua ratione, fili, ita dico tibi agere? Ideo te moueo, haec agere, *ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Sunt enim multa loca in divinis scripturis, in quibus nota persona manifestatur per pronomen et officium, veluti est in hoc loco, cum dicit *eum.* Ecce *eum* pronomen est relativum et positum est sine praemissione nominis. Sed quamvis B. Benedictus non nominatim indiceret personam, ad quam debeas redire, tamen quia Dei persona nota est omnibus, ideo manifestavit illam tibi per pronomen istud relativum et per officium illud, quod subjunxit: *a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Omnibus enim notum est, quia per inobedientiam recesseramus a Deo.

Nunc iterum videndum est, quare S. Benedictus adjunxit *laborem* obedientiae? Ideo enim junxit *laborem* obedientiae, quia cognovit, non posse esse obedientiam sine labore. Adam enim pater noster cum esset in paradiso, potuit sine labore obedientiam Deo exhibere; nos vero e contrario expulsi de paradiso et in hoc exilium missi non possumus sine labore obedientiam Deo exhibere.

Nunc iterum videndum est, qua ratione junxit S. Benedictus inobedientiae *desidiam?* Ideo junxit inobedientiae desidiam, quia cognovit, inobedientiam non posse esse sine desidia, eo quod *desidia* dictum est quasi *desinens.* Et ille est inobediens, qui desinit implere, quod sibi injunctum est. Item advertendum est, quia S. Benedictus in hoc loco

inobedientiam primi hominis tetigit et per illius inobedientiam tetigit nostram, cum dixit: *a quo per inobedientiae desidiam recesseras*, quia nostra inobedientia ex illius inobedientia nata est; et nisi ille inobediens esset, nos nequaquam inobedientes essemus, nos enim per illius inobedientiam omnes aequaliter recessimus a Deo, post vero unusquisque, in quantum plus peccat, tantum plus recedit a Deo. Et quod alii valde, alii minus longe recedunt a Deo, testatur sermo propheticus, qui ad Jerusalem dicit; ait enim: *Filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent.*[1]) Per hos, quos dixit de longe venire, indicat illos, qui de plurimis et de magnis peccatis convertuntur ad Deum, per illos vero, quos dixit *de latere surgent*, illos significat, qui non de multis vel magnis convertuntur, quia, sicut diximus, quantum plus peccat unusquisque, tantum plus recedit, et quantum minus peccat, tantum minus longe recedit.

Apte enim et congruenter nunc dicit: *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur*, postquam allocutus est parvulos quasi filios libenter excipere et efficaciter complere praeceptum patris, et postquam reddidit causam, qua debuisset ille discipulus libenter excipere et efficaciter complere. Neque enim consequens erat, ut prius coepisset docere, nisi ante allocutus fuisset illum, qui docendus esset, qualiter debuisset excipere vel perficere, quod sibi injunctum fuisset; prius enim sub generalitatis nomine quasi uni de multis dixit: *ausculta o fili*, nunc vero postquam tu decrevisti auditor esse et obtulisti te ei ad suscipiendam ejus doctrinam, idcirco specialiter tibi assumpto de multis dixit: *Ad te nunc sermo meus dirigitur.* Istud enim adverbium, quod est *nunc*, in isto loco positum est, quia ab hinc coepit docere.

Nunc videndum est, qua ratione dicit S. Benedictus *meus sermo*, cum Dominus dicat: *Mea doctrina non est mea*, et item ad Ezechielem[2]) prophetam Dominus dicat: *Fili hominis! speculatorem te dedi domui Israel: audies ex*

[1]) Isaias 60, 4.
[2]) c. 3. v. 17.

ore meo sermonem et annuntiabis eis ex me. Et item in Evangelio dicitur: *Quare non dedisti pecuniam meam nummulariis?* Jam si Domini pecunia est, restat, ut doctrina sanctorum non sua sit sed Domini. Et si praedicatio sanctorum non sua est sed Domini, videtur nunc contrarium esse, quod S. Benedictus dixit: *meus sermo.* Sed hoc non est contrarium, quod Benedictus *meus* dixit, quia doctrina sanctorum et sua et Domini est: sua est per susceptionem, Domini est per administrationem. Si vero interrogasses S. Benedictum dicens: cur tuum sermonem esse dicis et non Domini? ille vero similiter respondisset tibi dicens: iste sermo Domini est et meus. Domini est per administrationem, meus est per susceptionem. Sicut enim doctrina dicitur Domini esse et sanctorum, ita etiam et de virtutibus dicitur, veluti sunt hae: spes, fides, caritas, patientia et cetera. Domini quidem sunt per administrationem, sanctorum sunt per susceptionem. Et quod doctrina sive virtus et Domini et sanctorum sint, testatur Paulus apostolus una eademque sententia, cum dicit: *plus omnibus laboravi, sed non ego.* Ecce Paulus et se dixit laborasse et dicit non laborasse; in eo quod dicit: *plus omnibus laboravi*, per susceptionem dixit, et in eo, quod dixit: *non ego*, per administrationem dicit. Magna enim differentia est inter falsos et veros praedicatores: falsi enim dicunt: *mea est doctrina*, veraces iterum dicunt: *mea est doctrina*, utrumque enim verum est; et verum est, quod falsi dicunt, et verum est, quod veraces praedicatores dicunt; nam falsi praedicatores veraciter dicunt: *mea doctrina* est secundem inventionem, veraces e contrario verum dicunt: *mea doctrina est secundum susceptionem.*

Nunc videndum est, quis sensus sit in isto verbo, quod est *abrenuntians*, vel utatur isto sermone.

Abrenuntians enim intelligitur repellens aut respuens seu dejiciens. Isto enim sermone utitur sancta ecclesia, quando intromittuntur fideles in unitatem ecclesiae. Et nisi interrogati fuerint a sacerdotibus dicentibus sibi ita, id est: *Abrenuntias diabolo et operibus ejus, et iterum seculo*

et pompis ejus? non intromittuntur intra sanctam ecclesiam. Vide modo, quia sicut non intromittuntur fideles in sanctam ecclesiam, nisi abrenuntiaverint diabolo et operibus ejus, seculo et pompis ejus, ita etiam non suscipiuntur isti a disciplina monasticae doctrinae, nisi abrenuntiaverint prius propriis voluntatibus. Et sicut ecclesiae studium est maxime in abrenuntiando idolorum servitutibus, ita studium est monasticae disciplinae in abrenuntiando propriis voluntatibus.

Nunc videndum est, quid sit propria voluntas. Hic adtende, quia per circumlocutionem venit ad hoc, quod interrogatur, quid sit propria voluntas. Si enim interroges, quid sit proprium hominis, proprium hominis est, nil boni habere, quia, postquam primus homo libero arbitrio male utens ejectus est de paradiso, nil boni proprium habuit. Verum sciendum est, quia ita non dicimus, postquam expulsus est de paradiso, non habuisse hominem aliquid boni a se, quasi prius, cum erat in paradiso, habuisset, sed homo bonum, quod habuit in paradiso, a Deo habuit, et ita habuit, ut sine labore haberet. At nunc postquam pulsus est de paradiso, illud bonum, quod a Deo sibi datum sine labore in paradiso exercebat per liberum arbitrium [1]) — infirmatum est ipsum liberum arbitrium, ita ut sine labore nunc non possit illud bonum operari. Et quod homo nihil boni proprium habeat, testatur Dominus in evangelio, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere*, et in hoc loco, ubi dicit *nil*, subaudiendum est *boni*. Et sicut in hoc loco non potest excludi bona operatio vel cogitatio, ita etiam ipsarum bonarum cogitationum intentio non potest excludi. Et ita psalmista dicit: *Misericordia ejus praeveniet me*. et Paulus apostolus dicit: *Qui operatur in vobis velle*. His ergo exemplis testantibus noscimus, non solum bona opera vel cogitationes, sed etiam ipsas rimas bonarum cogitationum ab homine non esse. Jam ergo si nil boni habet homo a se, sed malum, tunc

---

[1]) Anacoluthon. (?)

cum dixit: *propriis voluntatibus*, consequens est, ut de vitiis intelligamus. Sed quia solet diabolus sub specie bonitatis hominem decipere, idcirco volens B. Benedictus utroque periculo carere suum auditorem, dixit: *abrenuntians propriis voluntatibus*, id est non solum illam, quae aperte mala suggerit, sed etiam illam, quae sub specie bonitatis occulte suadetur, debet respuere voluntatem. Secundum vero aliorum sensum propria voluntas intelligitur etiam de bona re, verbi gratia, vigiliae bonae sunt, orationes bonae sunt, jejunium bonum est, sed item propriae nostrae fiunt, cum ea separamus a senioris vel a bonorum fratrum consensu, verbi gratia, sicut equus aut bos aut aliqua res, quam cum possidemus sine communione aliorum fratrum, efficitur nostrum proprium. Necnon et iterum si bos aut ager est communis, dicitur noster, si vero non est communis, dicitur meus; ita etiam oratio aut nuditas aut caeterae operationes bonae si cum consensu spiritalis patris fiunt vel bonorum fratrum, tunc dicuntur nostrae; si vero proprio arbitrio, id est sine consensu spiritalis patris vel bonorum fratrum, dicitur meum. Ita etiam orationes vel nuditates, aut caeterae bonae virtutes, si eas proprio arbitrio, id est sine consensu spiritualis patris vel bonorum fratrum exercuerimus, efficitur nostrum proprium, quia, quamquam bonae sint, tamen si eas proprio arbitrio usi fuerimus, in proprium nobis reputabuntur. Ita enim dicimus bonas has res propriam voluntatem, verbi gratia, si vis triduanam aut biduanam agere aut totam quadragesimam jejunare, et dixerit abbas aut spiritalis frater, non esse bonum, tu debes dimittere, aut certe quidquid tu agis, ut displiceat aut abbati spiritali aut fratribus spiritalibus, et tu cognoveris, non debes in tua voluntate ipsa bona operando persistere dicens, bonum esse. Et hoc, si boni fuerint, quibus displicuerit: nam si mali fuerint, non est auscultandum, nam debes semper bona agere, ut tibi et aliis proficias.

Sequitur: *Domino Christo vero regi.*

Ista enim singula verba plena sunt gravitate: *Dominus* enim a domo dictus est, quia sicut ille, qui praeest domui,

ea, quae in domo sunt, regit et gubernat, ita Dominus omnia regit atque gubernat. Ubi enim mentionem Filii Dei audis vel legis, mysterium tuae redemptionis vel totius humani generis ibi recole. Et quamquam redemtio humani generis ad operationem sive miserationem sanctae et individuae Trinitatis referatur, tamen ad Filium specialiter refertur, quia ille sanguinem fudit pro redemtione humani generis, non Pater et Spiritus sanctus, eo quod Pater et Spiritus sanctus non assumpsit carnem, sed Filius.

Nunc videndum est, quare non dixit S. Benedictus tantum *Domino*, sed addidit *Christo?* Ideo addidit *Christo*, quia per istud nomen, quod est appellativum Filii, mysterium redemptionis tuae tibi voluit in memoriam reducere; superius enim dixerat, a quo per inobedientiae desidiam recesseras, nunc autem ideo addidit *Christum*, ut manifestaret tibi, quia per ejus specialiter redemptionem revocatus es ad Deum. Nam Christus ideo est appellativum nomen Filii, eo quod multi fuerunt, qui christi dicti sunt; sed quamquam cum hominibus appellativum sit, illi tamen non est appellativum cum Patre et Spiritu sancto, quia hoc nomen ad incarnationem Filii attinet. Unde Beda in tractatu actuum apostolorum ita dicit: Christus enim a chrismate, i. e. ab unctione nomen accepit juxta quod dicitur: *Unxit te Deus Deus tuus oleolaetitiae*, i. e. Spiritu sancto; *Christus* enim graece latine *unctus* dicitur. Quotquot enim antiquitus reges erant, *christi* dicebantur, quia uncti erant a prophetis unctione corruptibili. Iste autem Christus unctus est non unctione corruptibili, sed unctione spiritali, id est plenitudine Spiritus sancti, de quo dictum est: *Spiritus Domini super me, propter quod unxerit me*, cui etiam Psalmista dicit: *propterea unxit te Deus Deus tuus in aeternum oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Quando enim consortes nominantur, naturam carnis intellige, quia Deus consortes substantiae suae nos non habet. Et quia erat unctio spiritalis et nequaquam humani corporis, ut fuit in sacerdotibus Judaeorum, idcirco *prae consortibus*, id est prae ceteris sanctis unctus esse memoratur, cujus unctio illo expleta est tempore, quando

baptizatus est in Jordane et Spiritus sanctus in specie columbae descendit super eum et mansit in illo. Unctus est igitur oleo spiritali et virtute coelesti, ut paupertatem conditionis humanae thesauro resurrectionis rigaret aeterno et captivitatem mentis auferret atque caecitatem illuminaret animarum nostrarum.

Nunc etiam videndum est, qua ratione B. Benedictus cum dixit *regi* praemisit *vero*. Ideo enim dixit *vero regi*, ut separaret eum ab his, qui non sunt veri reges natura, eo quod alii sunt, qui non sunt veri reges natura. Sic enim B. Petrus apostolus cum dixit Domino: *Tu es Christus filius Dei*, addidit *vivi* ad separationem deorum mortuorum. Ita etiam lux sanctorum apostolorum non erat vera lux natura, nam Petrus lux erat, Johannes lux erat, de quo dictum est: *Erat Johannes lucerna ardens*; ardens erat Johannes fide et dilectione, lucerna autem verbo et actione, sed sicut dixit, non erat vera lux natura, quia alius erat vera lux, qui eos illuminabat, de quo dictum est: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Iterum videndum est, quid sit *militaturus*, aut cur dixit S. Benedictus *militaturus*, et non dixit *serviturus* vel *obediturus*. Militaturus enim intelligitur certaturus vel pugnaturus; et quia voluit tibi S. Benedictus indicare, ad pugnam vel laborem te accessurum, ideo dixit *militaturus*, quia militare proprie pugnare est. Hic etiam animadvertendum est, quia illud, quod Salomon multiplicibus verbis comprehendit dicens: *Fili! accede ad servitutem Dei et praepara animam tuam ad laborem*, ipsum etiam B. Benedictus uno eodemque sermone comprehendit, cum dixit *militaturus*. Nam cum superius dixit: *abrenuntians propriis voluntatibus*, nunc autem subjunxit *militaturus*, quid aliud ostendere voluit, nisi pugnam et laborem te esse subiturum? Tu vero quando propriis voluntatibus abrenuntias et alterius voluntati te submittis, quasi ad pugnam accedis. Hic etiam videndum est, quia cum dixit: *Christo vero regi militaturus*, non dixit: contra Christum, sed pro Christo militaturus,

sicuti cum dicitur miles terrenus regi terreno militaturus, non dicitur contra regem, sed pro rege terreno militaturus.

Et quia pugnam te indicavit subiturum, ideo subjunxit: *obedientiae arma.* Nam sicut reges isti, reges terreni, cum mittunt militem suum ad pugnam, arma illi praebent, ita et B. Benedictus, quia ad pugnam cognovit te accessisse, armatum te indicavit esse, et non alterius armis armatum te indicavit accessisse, sed armis obedientiae; nam quamvis sint arma castitatis aut jejunii aut ceterarum virtutum, tamen non te indicavit alterius virtutis arma sumsisse nisi obedientiae, eo quod sicut est initium peccati recedendi a Deo inobedientia, ita initium convertendi ad Deum est obedientia. Nam sicut in exordio conversionis abrenuntiando idolorum cultibus ab his, qui percipiunt baptismatis sacramentum, requiritur, ita etiam requiritur in initio conversionis ab his, qui recipiuntur a monastica disciplina, abrenuntiatio propriarum voluntatum, quae intelligitur obedientia.

Item etiam intuendum est, quare S. Benedictus indicavit, illum abrenuntiantem propriis voluntatibus arma suscepisse, et ipsa arma quare *fortissima* et non fortia? Cognoverat enim B. Benedictus, inimicum nostrum diabolum fortem esse et armatum testante Domino, qui de illo etiam in Evangelio dicit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet.* Ideo indicavit illi, arma sumpsisse, ut se cognoscat armatum contra armatum pergere; et propterea fortissima et non fortia, quia fortis non vincitur nisi a fortiore. Et bene postquam dixit *militaturus,* armorum fecit mentionem, ut se cognosceret ille, quando ad hoc opus venit, quasi ad proelium venisse. Nam sicut indecens est et periculosum, qui ad proelium pergit, sine armis pergere, ita inconsequens est, qui hoc opus adgreditur, arma, per quae virtutes intelliguntur, non sumere, ac si diceret illi, cum dixit *militaturus*: obedientiae fortissima atque *praeclara* arma assumis, id est, quia cum abrenuntiasti omnibus et meo discipulatui adhaesisti, ad

proelium te cognosce accessurum, et ideo te cognosce arma obedientiae sumpsisse.

Iterum videndum est, quia sicut Paulus apostolus hortatus est suos auditores arma sumere dicens: *Sumite armaturam Dei, ut possitis resistere diabolo*, ita S. Benedictus suum auditorem indicavit arma obedientiae sumpsisse. Et hoc etiam intuendum est, quia hostis noster diabolus aut vincitur per similia arma, aut per similia et dissimilia. Per similia vincitur, cum obedientia inobedientiam superat; similia enim sunt genere pugnae, quamvis sensu dissimilia sint; aut vincitur per similia, sicuti diximus, et dissimilia, id est, cum obedientia pugnat contra inobedientiam et videt sibi fortiter resistere inobedientiam, et tunc adhibet sibi alias virtutes in adjutorium, id est humilitatem, orationes atque lacrimas, et tunc faventibus sibi istis virtutibus, quae dissimilia sunt arma inobedientiae, et[1]) — tunc obedientia inobedientiae victrix existit.

Sequitur: *Imprimis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.*

Forte quaerit quis, quare dixit S. Benedictus: *imprimis quidquid inchoaveris bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas*, cum homo non potest a se ipso aliquid boni inchoare? Cui respondendum est, quia illud *imprimis* duobus modis potest intelligi, primo quidem, ut mox dicturi sumus, deinde quod dicit *inchoare*, non est intelligendum, ut homo a se possit inchoare nisi a Deo, sicut dicit psalmista: *Misericordia ejus praeveniet me*; sed inchoatio boni et nostra est et Dei; nostra per susceptionem, Dei vero est per praevenientem gratiam suam, sicut dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; ecce et nostrum dicimus et dari poscimus, sicut legitur in *Moralia* quintae partis beatissimi Job.[2]) Et iterum Paulus: *plus omnibus laboravi, sed non ego.* Et hoc, quia non est nostra tota inchoatio, manifestat, cum subjungit: *ut qui nos jam in*

[1]) Anacoluthon (?).

[2]) Videtur significare *Moral. lib. 23. in cap. 33. B. Job.* (Migne. tom. 76. col. 281 - 283.)

filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.

Sequitur: *In primis ut quidquid agendum inchoaveris bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas.* Multi enim, qui nesciunt, emendant in hac regula, ubi *assumis* habetur, pro *assumis, assume*, et faciunt imperativum pro indicativo, ut sit: *obedientiae fortissima atque praeclara arma assume*, ut sit sensus, id est, ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus,[1]) assume obedientiae fortissima atque praeclara arma, et admoneo te inprimis, ut poscas instantissima oratione ab eo perfici, quidquid inchoas bonum agendum, ita ut suus sermo sit primus[2]) oratio, quam assumtio armorum, quia genus locutionis est, ut primum dicat multa agi, et in fine dicatur: in primis hoc fac, sicut Dominus in Evangelio dicit multa prius, postea dicit: *primum quaerite regnum Dei.* Si vero fuerit indicativus *assumis*, est sensus: *ad te nunc meus sermo dirigitur, tu quisquis assumis obedientiae fortissima atque praeclara arma militaturus Domino Christo vero Regi, abrenuntians propriis voluntatibus*, ac si diceret: tu qui hoc agis, id est, qui assumis arma obedientiae militaturus Domino Christo vero Regi, ad te modo meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis, inprimis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut qui jam nos in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari, id est, ut in primis deposcas Dominum. Sed sive sit imperativus, sive indicativus, nihil sensui impedit. Istud enim adverbium, quod est *inprimis*, duobus modis intelligitur, id est, si enim velis, illud ad superiorem sensum referre potes: similiter et ad inferiorem sensum potes. Quod si ad superiorem sensum istud retuleris, ita intelligitur: Dixerat enim

1) militaturus es (?).

2) prius (?).

Pater Benedictus superius sub generalitatis nomine: *Ausculta o fili praecepta magistri et inclina aurem cordis tui et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras.* Audita hac voce quis reliquit omnia et assumpsit arma obedientiae et separavit se ab aliis, stetit ante illum dicens: En Pater Benedicte, relictis omnibus, quae possedi et assumptis armis obedientiae, quia te cognovi pium, ecce sto ante te; nunc quid vis, jube. Ille vero quasi respondens dixisse videtur: Jam postquam relictis omnibus et assumptis armis obedientiae decrevisti, meus discipulus esse, ad te nunc ergo meus sermo dirigitur. Tu vero iterum, quasi interrogasses illum dicens: Quis est ille sermo, Pater, quem ad me dirigis? Ille iterum, quasi respondisset dicens: Inprimis, inquit, meum praeceptum istud est, id est, *ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut qui nos jam in filiorum dignatus est computare numero, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.* In isto namque sensu concordat se Apostolis dicentibus Domino: *Domine auge nobis fidem*; et iterum concordat se Domino dicenti: *Oportet semper orare et non deficere*, necnon Paulo Apostolo dicenti: *Sine intermissione orate.* Item alter sensus est ita, id est, si volueris istud *inprimis* ad inferiorem sensum referre, ita intelligi debet: Superius enim dixerat sub generalitatis nomine: *Ausculta o fili praecepta magistri et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus Domino Christo vero Regi militaturus obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis.* Sermo meus namque, qui ad te dirigitur, fili, iste est, id est, *ut inprimis quidquid agendum inchoas bonum ab eo perfici instantissima oratione deposcas.*

Sed tamen videtur in hoc sensu aliqua contrarietas esse in eo, quod dixit: *Inprimis*, et *instantissima oratione*, eo quod jam, quando inprimis homo orare debet Deum,

eum inchoat bonum, ut ab eo perficiatur suum opus, apparet, quia postea non debeat orare; sed, sicut diximus, contrarium videtur esse, cum dicit *instantissima*, eo quod si instantissime, id est invictissime debet orare, tunc non *inprimis* orat, sed semper. Et ideo istud *inprimis* in hoc loco positum est pro *semper*, sicuti est illud: *Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus et haec omnia adjicientur vobis.* Hic *primum* pro *semper* positum est.

Nam quid sit illa inchoatio, manifestat, cum dicit: *ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari*, ac si diceret: ideo instantissime orandum est, ne bonum, quod nobis tribuit, id est in adoptando in filiorum numero, per nostram negligentiam perdamus, ut, *qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.* Reddit enim causam, qua quis debeat instantissime orare, cum dicit: *ut, qui nos jam in filiorum numero dignatus est computare, non debeat aliquando de malis nostris actibus contristari.* In hoc loco quia voluit B. Benedictus dignationem Dei ostendere et dignitatem nostram, ideo dixit: *dignatus est in filiorum* etc., quia in eo, quod dixit, illos[1]) filios habere, patrem illum esse ostendit. Quomodo dignatio Dei ostenditur vel dignitas nostra? Dignatio Dei est in eo, quod, cum ille est omnipotens et immortalis et aeternus, condescendit nobis et se humiliando fecit se patrem nostrum. Nostra enim dignitas est in eo, quod ascendimus. Quomodo ascendimus? Nos enim cum simus mortales et temporales et corruptibiles ascendendo facti sumus filii immortales et incorruptibiles et aeterni. Isto enim modo locutionis nunc loquitur B. Benedictus, cum dicit *filiorum*, quomodo loquitur B. Johannes Evangelista, cum dicit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri*, quo etiam modo loquimur accepta licentia in oratione dicentes: *Pater noster, qui es in coelis.*

1) [illegible]

Nunc videndum est, qua ratione S. Benedictus dicit, Deum contristari, cum Dei natura simplex sit et inmutabilis, non contristetur, non irascatur?

Non enim B. Benedictus proprie dicit, Deum contristari, sed figuraliter. Cognoverat enim ille, quia, quibus modis loquuntur homines inter se, ipsis etiam modis loquitur de Deo vel ad Deum scriptura divina; nam decem modi sunt, quibus loquuntur homines inter se. Primus enim modus est natura, secundus qualitas, tertius quantitas, quartus facere, quintus: ad aliquid, sextus habitus, septimus situs, octavus locus, nonus tempus, decimus pati. Natura enim sive substantia est, cum dicitur Deus. Qualitas Dei est, cum dicitur bonus, sicuti est illud: *Quam bonus Israel Deus!* Quantitas Dei est, cum dicitur magnus, ut est illud: *Magnus Dominus et laudabilis valde.* Facere Dei est, ut est illud: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Et iterum: *Omnia, quaecunque voluit, fecit in coelo et in terra. Ad aliquid* Dei est, cum dicitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quamvis secundum personas proprium sit Patris, quod pater est, et Filii, quod filius est, et Spiritus Sancti, quod spiritus sanctus est, id est, nec persona Patris est persona Filii et Spiritus Sancti. Similiter et persona Filii nec persona Patris est et Spiritus Sancti. Et iterum nec persona Spiritus Sancti persona est Patris et Filii. Tamen cum dicitur Filius, respicit ad Patrem, et iterum cum dicitur Pater, respicit ad Filium, quia nec pater intelligitur sine filio, nec filius sine patre. Similiter cum dicitur Spiritus Sanctus, respicit ad Patrem et Filium, quia ex utroque procedit; nam Deo proprium est, quod Deus est; bonus enim et magnus proprium est Dei, quia non ex accidentia illi accidit, bonum esse et magnum, sed ipsum, quod illi est esse, bonum et magnum est atque perfectum. Facere enim Dei proprium est, eo quod ipse fecit omnia, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Reliqui vero modi quinque isti sunt: primus habitus, secundus situs, tertius locus, quartus tempus, quintus pati. Habitus enim in Deo dicitur, sicuti

est illud: *Abyssus sicut vestimentum opertorium ejus.* Situs enim in Deo dicitur, ut est illud: *Qui sedes super Cherubim.* Iste enim modus. qui dicitur situs, tribus modis constat: jacere, sedere, stare. Item locus in Deo dicitur, ut est illud: *Qui es in coelis*, et iterum: *Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades.* Tempus in Deo dicitur, ut est illud: *Anni tui non deficient.* Pati vero est tristari, laetari, irasci, gaudere, oblivisci, recordari, poenitere et cetera. Sed hi quinque modi non proprie dicuntur in Deo, sed abusive; nam habitus Dei, situs Dei, locatio Dei, tempus Dei, pati Dei, more nostro dicuntur. Hoc notandum est, quia natura proprium hominis est et Dei. Hominis, quia accepit, Dei, quia Deus illam fecit. Qualitas autem et quantitas, si in malo est, tunc est proprium hominis; si autem bonum est. et Dei et hominis, Dei dando, hominis vero accipiendo. Similiter et facere Dei est per dationem, hominis vero per susceptionem. Decimus enim modus est iste, cum dicit B. Benedictus, tristari Deum; nam figura est, quae dicitur a propria significatione ad non propriam significationem: nam proprium est hominis tristari, Dei enim non est proprium. quia ille immutabilis est et in uno tenore semper permanet. sicut de illo scriptum est: *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Sed quamvis non proprie. tamen ideo dicitur Deus tristari de malis nostris actibus, ut cognoscamus nos. cujus poenae digni sumus, si ea fecerimus, quae illi displicent, verbi gratia. generas filium vel optas aliquem in filium et das illi haereditatem vel bona tua; ille vero confortatus plenus divitiis tuis facit amicitiam cum inimico tuo et erigit se contra te faciens ea. quae tibi displicent. Tu vero vides illum tuis bonis confortatum ac plenum contra te erigere; statim contristaberis vel poenitebit te, eo quod illi dedisti bona tua. quia. nisi haberet bona tua, non potuisset facere contra te quidquam. Ita et in Deo: Deus enim cum creavit nos et adoptavit nos in filios, [et] tribuit nobis sua bona. nos vero pleni de ejus bonis atque confortati facimus amicitiam cum diabolo. qui est inimicus Dei

et agimus ea, quae Deo displicent. Deus vero videndo hoc, quia ei displicent, dicitur tristari. non ut ille tristitiam habeat, sed ut nobis demonstret, sicut diximus, cujus poenae digni sumus facientes illud, quod illi displicet. Haec autem locutio talis est, qualis illa, quae in psalmis legitur, ubi Christus ad Judam dicit; ait enim: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo; tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul dulces capiebas cibos!* Subaudiendum est in hoc loco: cur me tradis? Et est sensus in hoc loco, cum dicit, Deus[1]) tristari de malis nostris actibus, econtrario intelligitur gaudere Deus de bonis nostris actibus, quamvis non proprie, sed abusive. quia cum dicitur, ut ille gaudeat, non ut ille gaudeat. sed ut nobis demonstret, quia gaudii sumus digni. si ejus tamen voluntatem implemus.

Sequitur: *Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.* Perseverat adhuc Benedictus in intentione sua i. e. in illa similitudine, quam superius dixit contristari. cum dicit: *ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet, sed nec ut metuendus Dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.* Sed nunc prius ipsa verba inspicienda sunt. *Ita* enim intelligitur *taliter*: *ei* subauditur *Deo*, qui nos in filiorum dignatus est numero computare. *Omni tempore*, i. e. non per intervallum temporis, sed jugi tempore. Egregia enim admonitio est, cum dicitur: *omni tempore*, quia, ubi dicitur servitus Dei, monetur omni tempore ea esse; [nam] hominis vero servitus non

[1]) Deum (?).

potest omni tempore esse, sed per intervallum temporis. Sed hic inspiciendum est, quia istud, quod dicitur *omni tempore*, non ad exterioris hominis officium attinet, sed interioris, quia noster exterior (homo) non potest assidue Dei servitium exercere propter singulas praeoccupationes terrenas, quibus praeoccupari solet, sine quibus non potest subsistere, sed ad interioris hominis officium attinet, quia ille semper potest Dei servitium exhibere. Et quamquam noster homo exterior sicut diximus, praeoccupetur diversis curis terrenis, sine quibus non potest subsistere, tamen interior noster homo intentione Deo semper potest servire, i. e. si ejus intentio in Deo consistit.

Hoc etiam animadvertendum est, quia istud *omni tempore* ad illas virtutes attinet, quae omni tempore debent fieri, nec ad momentum praeteriri. Nam sunt virtutes, quae jugiter exerceri possunt et debent, ut sunt istae: caritas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Hae autem virtutes ideo possunt et debent semper exerceri, quia si aliquando pro aliquibus causis, quae accidere solent, non possunt in ostentatione operis fieri, tamen in intentione mentis semper possunt et debent exerceri, eo quod sine his interior homo noster non potest salvus consistere. Et sunt iterum aliae virtutes, quae non possunt nec etiam debent semper exerceri tam in ostensione operis quam in mente, ut sunt istae: lectio, jejunium, silentium. Unde Salomon dicit: *tempus tacendi et tempus loquendi, tempus jejunandi et tempus manducandi* etc., quia, cum pro aliqua accidentia non possunt in ostensione operis fieri, quamvis pro his faciendis si in corde voluntas fuerit legendi aut jejunandi, tamen non dicitur lectio vel jejunium, sed tantum bona voluntas. Nam istae tales virtutes si pro aliqua re meliore, verbi gratia pro caritate dimittuntur, sicut in ostensione operis non fiunt, ita etiam nec in corde debent teneri, eo quod caritas de corde debet procedere puro.

Sequitur: *de bonis suis*, i. e. pro bonis, quia *de* pro *pro* ponitur: *in nobis*, id est a nobis; nam *in* pro *a* poni-

tur, quia solet poni praepositio *in* in scripturis divinis pro praepositione alia, ut est illud: *locutus est Deus in Filio*, id est per Filium. *Parendum*, id est obtemperandum vel obediendum.

Sequitur: *ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet. sed nec ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam.* In hoc enim loco dividit illam similitudinem, quam superius dixerat, Deus tristari, in duas species vindictae; prima species, id est in ultione mali filii, secunda in vindicta mali servi; verbi gratia: Ecce! quis habet filium et servum, et isti ambo provocant animum ejus ad iram. Ille vero filium suum exhaeredat, servum autem mittit in carcerem aut excutit illi oculos aut caetera mala, quae servus promeretur pati, illi facit. Ita et Dominus nobis facit, si ejus voluntati non fuerimus obedientes: nam ille noster et pater et dominus est. Pater est in filios adoptando, quia nos adoptavit in filios, id est, fecit nos haeredes esse suos, cohaeredes autem filii sui, sicut Paulus Apostolus dicit: *haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Dominus enim noster est creando, quia nos, cum nihil essemus, fecit nos esse aliquid. Et ideo nobis duo sua beneficia donavit. id est creationis ex nihilo et adoptionis ex perditione. Metuenda est valde haec sententia nobis, qua dicit: *ut non solum (ut) iratus pater suos non aliquando filios exhaeredet. sed nec ut metuendus dominus irritatus malis nostris ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam.* Et reddit causam, in quos? id est in illos. *qui eum sequi noluerint ad gloriam*, id est, quia non solum pro tantis beneficiis nobis impensis, si suae voluntati non placuerimus, exhaeredat nos ab illa haereditate, quam nobis dedit per gratiam, verum etiam tradet nos in poenam perpetuam, sicut in subsequentibus manifestat, cum dicit: *qui eum sequi noluerint ad gloriam.* In hoc enim loco notandum est, quia plus est *irritatus* quam *iratus*: nam ille irritat, id est provocat, qui ex studio malae voluntatis alterum facit irasci: nam irasci facere potest, qui simpliciter peccat.

Sequitur: *Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos scriptura ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere.* Apte enim et congrue, postquam diviserat illam similitudinem in duas species, id est in vindictam mali filii, qui exhaereditatur, et in ultionem mali servi, qui poenis traditur, nunc subjunxit: *Exsurgamus ergo tandem aliquando*; solet enim divina scriptura aliquando praeceptum dare, aliquando narrare, aliquando exhortari sive admonere. Praecipit enim divina scriptura, ut est illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos,* et cetera multa, quae praeteriri sine peccato non possunt. Narrat enim, ut est illud: *In principio fecit Deus coelum et terram*; nam ille narrat, qui rem praeteritam vel praesentem dicit. Exhortatur enim vel admonet, sicuti idem B. Benedictus in hoc loco facit, cum dicit: *Exsurgamus tandem ergo aliquando.* Istud enim *aliquando* sub uno accentu proferri debet et intelligitur *vel sero saltem, tarde* vel *nunc*. Istud enim *exsurgamus* situm mentis significat. In situ enim tria sunt consideranda, sicut diximus: jacere, sedere et stare. Sed *surgamus* ad jacere et sedere respicit, quia nemo nisi jacenti aut sedenti surgere dicit. Ubi vero *ergo* repetitur semper ad superiorem sensum respicit. Et est sensus, cum dicit: *Exsurgamus ergo tandem aliquando*, id est, si ita est, ut malus filius exhaeredetur et malus servus puniatur, nos ergo, qui filii sumus et servi, surgamus vel sero, vel nunc, ut qui usque modo jacuimus in peccatis nostris, nunc exsurgamus ad bona facienda, ne nobis talia contingant, qualia filio vel servo malo contingunt, quia utrumque sumus, id est filii et servi. Somnus enim iste non de somno corporis, sed de somno mentis dicit: multi enim sunt, quibus iste somnus somnus est, et sunt alii, quibus iste somnus mors est; illis enim est iste somnus mors, qui a sua malitia non sunt conversuri, et illis est iste somnus somnus, qui a suo torpore conversuri sunt. Felices enim illi, quibus iste somnus somnus est, et infelices illi, quibus iste somnus mors est.

Sequitur: *Excitante nos scriptura ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere.* Bene sermo magistralis cum scriptura divina exhortatur suum auditorem: *exsurgere.* Voluit B. Benedictus exemplum dare suis sequacibus, ut ea quae docenda vel admonenda sunt, cum auctoritate divinarum scripturarum admoneantur; ideo dixit: *excitante non scriptura*, ac si diceret: O fili! non meus sermo solus, sed cum scriptura exhortatur te, exsurgere velociter. Et hoc animadvertendum est, quia non qualicumque modo dixit: *surgamus*, sed: *exsurgamus*, id est: cito surgamus: nam in hoc loco, ubi *scriptura* dicit, subaudiendum est *divina*. Istud enim, quod dixit: *Hora est jam nos de somno surgere*, de Paulo apostolo sumpsit: dixerat enim B. Paulus ad gentes sub allegorico sensu dicens: *hora est*, in quantum somnus dicitur, eo quod somnus dicitur et infidelitatem significat, jam nos de somno, id est de infidelitate mentis surgere. Sufficit enim vobis, tanto tempore in infidelitatis permansisse somno, quia ab ipsius primi hominis deceptione usque modo in infidelitatis somno permansistis. Hora est jam nos de somno surgere, id est, jam maxima pars saeculi, hoc est quinque aetates consumtae sunt; nunc vero parva pars saeculi, i. e. ultima aetas est. Et quod per horam ultima aetas saeculi intelligatur, testatur Joannes coapostolus ejus, cum dicit; ait enim: *Filioli, novissima hora est.* Et idem ipse Paulus alibi hoc manifestat, dicit enim: *Nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt.* Et quamquam intentio Pauli ista fuit, dicere gentibus sub allegorico sensu, tamen et moraliter potest ad christianos referri. Unde Benedictus, sciens illum allegoricum sensum supradictum, non secundum allegoricum, sed secundum moralem hic illud locutus est. Et est sensus, cum dicit: *Hora est, jam nos de somno surgere*, id est: o peccator! jam hora est, ut nos convertamur a nostris iniquitatibus, quia ultimum tempus vitae nostrae instat, et non solum ad ultimam aetatem hominis hoc attinet, verum etiam ad unamquamque aetatem hoc referri potest, si mortis tempus

adtendimus, verbi gratia: hora est jam nos de somno surgere, id est, o infans! hora est jam a tua malitia convertendi, quia hora est, id est, finis vitae tuae instat.

Sequitur: *Et apertis oculis nostris ad deificum lumen attonitis auribus audiamus.* Quia perseverat [enim] in excitatione somni mentis, quam superius dixerat, manifestat ista particula, quae est *et*. Et bene *apertis oculis* dixit, quia sicut ille, qui a somno corporali excitatur, oculos corporis aperit, ita et ille, qui a somno mentis, i. e. torpore, oculos aperit cordis. Et forte ideo dixit *nostris*, quia mentis oculos voluit intelligi: nam quod ad oculos cordis hoc attineat, etiam istud manifestat, quod subjunxit: *ad deificum lumen*, ac si diceret: Non te, o fili, ad istud lumen temporale videndum excito, quod omnes bestiae seu animalia vident, sed ad illud, quod a nullo nisi ab angelis seu hominibus spiritalibus videtur, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Deificum* enim divinum intelligitur. Nam bene post apertionem oculorum subjunxit sollicitudinem aurium, quae per *attonitis* intelligitur; quia nostri interioris hominis auditus et visus non sunt divisa, sicut exterioris hominis, eo quod videre et audire insimul habet ille interior, et ubi videt, audit et intelligit. Exterior autem potest caecus audire et surdus videre.

Sequitur: *Divina quotidie clamans quid admoneat vox dicens. Divina* ideo dixit ad separationem humanae vocis. Nunc videndum est, quo modo est ista vox divina, cum ea non Dominus, sed David dixit. Vere divina est, quia quamquam David hoc dicat, tamen Spiritus sanctus per David locutus est; et quod Dominus per os prophetarum seu apostolorum et cunctorum sanctorum loquatur, testatur Paulus apostolus, cum dixit: *An experimentum ejus quaeritis, qui in me loquitur Christus?* Nunc iterum videndum est, quo modo quotidie divina clamet vox, cum sint multi, qui non habent expositores vel etiam librum divinarum scripturarum? [Et] Quamquam illis vox divina non clamet per exterioris hominis officium, tamen illa lex naturalis in cordibus eorum clamat: lex enim naturalis est cognitio crea-

turae et creatoris. Et tunc enim, quando se cognoscit unusquisque creaturam esse et habere creatorem, quid aliud est ista cognitio nisi clamatio legis naturalis? Et tunc monetur ille ab hac cognitione, ut non ulli creaturae, nisi creatori suo creatura serviat. Est etiam alia lex, quae clamat in cordibus fidelium, ut de virtute in virtutem ascendat, unde sub allegorico sensu de Domino Jesu dictum est: Et erat Jesus quotidie docens in templo; quotidie enim Jesus docet in templo suo, cum quotidie dignatur inspirare in corde uniuscujusque fidelis, ut de virtute in virtutem ascendat. *Hodie* enim pro praesenti vita ponitur, quia in hac vita sibi dies succedunt, in futura vero vita unus dies est. Et quod *hodie* ad praesentem vitam attineat, manifestat Paulus, cum dicit ad Hebraeos; ait enim: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis (habens) discedendi a Deo vivo, sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut nemo ex vobis obduretur fallacia peccati.* Istud enim, quod dicit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,* David propheta dixerat ad populum Israel; necnon et Paulus id ipsum eidem populo dicens interpretatus est: *hodie si vocem ejus audieritis* et caetera. Dixerat enim, sicut diximus, David ad illos Israelitas, qui fuerant filii eorum, qui erant liberati de Aegyptiaca servitute et transierant mare rubrum et in deserto suscepti sunt et manna de coelo perceperunt et XL annis in deserto morati sunt et ibi contra Deum murmurati sunt, et ob hoc nullus eorum intrare meruit in terram repromissionis, nisi solus Caleph et Josue. Ideo dixerat hoc David propheta, ne sicut patres eorum obdurarent corda sua. Et quamvis hoc historialiter ad Judaeos attinet, tamen ad Christianos, id est confessores Christi moraliter refertur, quia sicut illi de Aegyptiaca historialiter servitute liberati sunt, ita et isti moraliter de diaboli servitute, quae per Aegyptiacam servitutem intelligitur, liberati sunt. Et sicut illi historialiter per mare rubrum transierunt, ita et isti moraliter quasi per mare rubrum transeunt, cum baptizantur, quia mare rubrum

baptismum intelligitur; rubrum vero est baptismum propter passionem sanguinis Christi. Et sicut illi historialiter suscepti sunt in eremo post transitum maris rubri, ita isti moraliter suscipiuntur ab ecclesia post baptismum, quae per eremum intelligitur. Et sicut illi historialiter in eremo manna perceperunt, ita et isti moraliter in ecclesia corpus et sanguinem Christi percipiunt, quod per manna intelligitur. Et sicut post XL annos historialiter in terram repromissionis intraverunt, ita et isti moraliter post praesentem vitam, quae per illos annos intelligitur, ad gaudia coelestis patriae intromittuntur. Et sicut illi historialiter murmuraverunt in eremo, ita ex istis multi in ecclesia moraliter murmurant, cum per adulterium et caetera vitia ad pristinam vitam vel actionem revertuntur. Et sicut ex illis pauci id est tantum duo, hoc est Josue et Caleph in terram repromissionis intrarunt, ita ex istis moraliter pauci ad aestimationem multorum malorum intromittuntur in terram coelestis patriae, hoc est in paradisum, sicut scriptum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et sicut ex illis historialiter multi tribus plagis perierunt propter murmurationem, i. e. terrae hiatu et igni atque morsu serpentium, ita et isti propter mala sua opera moraliter plagis sibi divinitus illatis pereunt. Et quid mirum, si hoc moraliter ad populum catholicum, hoc est christianum generaliter refertur, cum etiam ad unumquemque monachorum moraliter hoc potest similiter referri? Et quod ad unumquemque monachorum hoc attineat, testatur Spiritus Sanctus, qui per B. Benedicti os in hac regula in testimonium adhibuit, ne, sicut illi Israelitae perierunt post perceptionem donorum Dei et ingrati dono divino extiterunt, ita monachus per conversionem, retro respiciens pereat. Nequaquam enim B. Benedictus istud in testimonium adhibuisset suo auditori, cum eum monere studuit, nisi illud per Spiritum Sanctum cognovisset, ad monachos etiam attinere. Nam sicut illi populi historialiter de Aegyptiaca servitute exierunt, ita etiam monachi moraliter, cum de saeculari conversione exeunt, quasi de Aegyptiaca servitute liberantur. Et sicut illi histo-

rialiter ad mare rubrum venerunt, ita et isti moraliter quasi ad mare rubrum veniunt, cum ad monasterium veniunt. Et sicut illi historialiter mare rubrum transierunt, ita etiam et isti quasi mare rubrum transeunt, cum propriis voluntatibus abrenuntiant, i. e. cum tria promittunt, i. e. de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientia coram Deo et Sanctis ejus. Et sicut illi in eremo suscepti sunt post transitum maris rubri, ita etiam isti quasi in eremo, cum post promissionem suam in monasterio suscipiuntur. Et sicut historialiter isti manna in eremo et aquam de petra acceperunt, ita etiam et isti moraliter manna quasi in deserto accipiunt, cum in monasterio spiritalem praedicationem a spiritali patre percipiunt, necnon etiam spiritalem cibum et potum percipiunt, cum panem vel potum monasterii percipiunt, quia ipse panis et potus monasterii spiritalis est, eo quod a fratribus pro caritate servientibus illum percipiunt. Etiam ipse Benedictus alibi testatur, rem monasterii quasi vasa altaris sacratam esse: ait enim: *Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Et sicut XL annis historialiter illi morati sunt in eremo, ita et isti moraliter quasi in eremo XL annis permanent, cum omnibus diebus vitae suae, i. e. tota vita sua, quae per illos annos intelligitur, intra claustra monasterii perseverant. Et sicut illi post XL annos historialiter in terram repromissionis ingressi sunt, ita etiam et isti moraliter post praesentem vitam, cum ad gaudia coelestia intromittuntur, quasi in terram repromissionis intrant. Et sicut multi eorum murmuraverunt in eremo, ita et isti moraliter multi in monasterio murmurant. Et sicut illi murmuratores perierunt tribus plagis, ita et isti pereunt tribus plagis divinitus illatis: nam potest intelligi per hiatum terrae claustra inferni, et per illum ignem ignem perpetuum,[1]) et per morsus serpentium suasiones pestiferas[2]) daemonum similiter potest intelligi.

[1]) ignis perpetuus (?)

[2]) pestiferae (?)

Sequitur: *Qui habet aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.* Hoc autem B. Joannes Evangelista in libro Apocalypsi multipliciter, sicut sibi revelatum est, dixit; nam in fine uniuscujusque sermonis, quem singulae ecclesiae loquebatur, locutus est.

Nunc videndum est, quare S. Joannes Evangelista ecclesiis pluraliter dixit, cum Paulus apostolus unam ecclesiam esse praedicavit; ait enim: *despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ecce per virginem et castam unam ecclesiam designavit, sed quia unus Christus est, ita una est ecclesia; et sicut septem dona S. Spiritus, item et septem ecclesiae sunt propter septem dona Spiritus sancti. Quae septem ecclesiae per septem dona S. Spiritus ita intelliguntur: primum enim donum S. Spiritus est sapientia, ac per hoc, qui isto dono S. Spiritus, i. e. sapientia, plusquam alii repleti sunt, una esse ecclesia dicuntur. Deinde secundum donum S. Spiritus intellectus: similiter secunda ecclesia dicuntur illi, qui isto dono S. Spiritus, i. e. intellectu plusquam caeteri repleti sunt. Tertium donum S. Spiritus est consilium: similiter tertia ecclesia est, quotquot dono isto S. Spiritus, i. e. consilio plus quam caeteri abundant. Quartum donum S. Spiritus est fortitudo: similiter quarta ecclesia est omnes illi, qui isto S. Spiritus dono, i. e. fortitudine plus quam alii repleti existunt. Quintum donum S. Spiritus est scientia, ac per hoc quinta ecclesia dicuntur illi, qui isto dono quinto S. Spiritus, i. e. scientia plus quam caeteri abundant. Sextum donum S. Spiritus est pietas, deinde illi, qui istum donum sextum, quod est pietas, plus quam caeteri videntur habere, sexta ecclesia dicuntur. Similiter etiam septima ecclesia dicuntur omnes illi, qui isto septimo dono S. Spiritus, i. e. timore plus quam caeteri superabundant. Minus enim aptum videtur hoc esse testimonium superiori testimonio, i. e. non recte intelligentibus, eo quod in isto fit mentio aurium, et in superiore fit mentio cordis; sed in his nulla est contrarietas, quia superiora verba istius S. Benedicti, in quibus fecit mentionem aurium dicens: *attonitis auribus audiamus*, et istud interius testimo-

nium, in quo similiter mentio aurium fit, cum dicitur: *Qui habet aures audiendi audiat*, faciunt intelligi illud testimonium, ubi mentio cordis est, de auribus cordis esse dictum. Nec non etiam superiora ve-' ipsius testimonii similiter aurium faciunt mentionem, cum dicunt: *hodie si vocem ejus audieritis*. Et est sensus, cum dicit: *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis*, i. e. qui habet aures cordis, intelligat, quae dona S. Spiritus impertit ecclesiis, sive etiam, sicut Beda dicit: *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis*, i. e. qui habet aures intelligentiae, quibus Dei verbum percipere possit, non contemnat, sed audiat, obediendo videlicet et faciendo, quae didicit, concordans cum B. Jacobo apostolo dicente: *Non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

Sequitur: *Et quid dicit?* Subaudiendum est: illa vox divina, ac si diceret interrogando: Quid dicit illa vox divina? Nunc vero quasi respondendo dicit: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Si enim in hoc loco sensum proprium adtenderimus, sermo prophetae gentes allocutus est: hortatur enim sermo propheticus gentes, ad credulitatem venire, et bene dixit *venite*, et postmodum *audite*, quia nullus valet intelligere divina, nisi ea prius crediderit, ac si diceret: Venite credendo, quia nisi prius fidem habueritis, nequaquam poteritis verba doctrinae percipere, sicut dictum est: *Nisi prius credideritis, nequaquam intelligetis.* Et propterea vocavit filios eos, qui necdum crediderant, quia futuri erant filii credentes: nam unusquisque, qui imbuitur, ejus filius est, qui imbuit. Unde Paulus apostolus suos auditores filios vocat dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio*, eo quod illos docebat credulitatem habere. Quia cognovit B. Benedictus tam sermonem propheticum, quam etiam Paulum plurimum suos auditores filios vocare, ideo in principio doctrinae suae suum auditorem filium vocavit dicens: *Ausculta, o fili!* Nam ipsi filii quasi respondendo dicunt: Ecce venimus, quid nobis proderit? Ille vero sermo propheticus quasi respondendo

dicit: *Timorem Domini docebo vos.* Et bene addidit *Domini*, quia non timorem hominis, sed timorem Domini docere cupiebat, ac si diceret: Non timorem humanum, sed Domini vos docebo, quia timor hominis poenam habet, timor vero Domini non poenam, sed requiem habet. Vox autem ista etiam moraliter potest intelligi. Omnes autem, qui post perceptionem baptismatis ad vitia revertuntur, a Deo longe recedunt, et tamen non pedibus, sed moribus recedunt; nam si non recessissent peccatores, nequaquam illos sermo propheticus vocasset venire, quia nemini dicitur venire nisi illi, qui recedit, ac si dicat illi sermo propheticus, cum dicit illis: *Venite, filii, audite me*, id est, quia recessistis a Deo pravis moribus, quamvis non fide, ideo hortor vos, o peccatores, id est, flendo venite et poenitendo atque mores vestros corrigendo venite. Et nunc videndum est, quare dicat *filii*, si peccatoribus dicit? Ideo dicit *filii*, ut audiendo nomen filii non se desperent, sed confidentiae vires sumant, ac si diceret: Nolite desperare, sed fiduciam convertendi atque poenitendi sumite.

Sequitur: *Audite me*, ac si diceret: Nisi prius voluntatem convertendi seu poenitendi habueritis, nequaquam poteritis audire, quae vos docuero.

Sequitur: *Timorem Domini docebo vos.* Nunc iterum videndum est, quare dixit: timorem, et non dixit: fidem? Ideo non dixit: fidem, quia quamquam peccatoribus, tamen fidelibus loquitur. Et quare ergo non dixit: caritatem? Ideo non dixit: caritatem, sed timorem, quia caritas a timore inchoatur et nisi a timente Deum non habetur, eo quod fundamentum omnis boni operis timor Dei est. Unde Dominus dicit ad Job: *Ubi eras, quando fundamentum terrae ponebam?* Istum enim versiculum B. Papa Gregorius exponit dicens: *Per terram intelligitur anima peccatrix, et per fundamentum intelligitur timor Dei, quia sicut in fundamento omnis operis fabrica collocatur, ita et in timore Dei omnis boni operis fabrica constituitur.*

Sequitur: *Currite, dum lumen vitae habetis, ne vos tenebrae mortis comprehendant. Currite*, ac si diceret quis:

quando curramus? dicit enim: *dum lumen vitae habetis.* Iterum quasi interrogaret aliquis, quare? reddit causam: *ne vos tenebrae mortis comprehendant;* verba enim superiora non sunt Benedicti sed prophetae, ubi dicitur: *Venite, filii, audite me.* Nunc vero sunt S. Benedicti, id est: *Currite, dum lumen vitae habetis,* ac si diceret suis auditoribus B. Benedictus: Audistis, o filii, vocem *currite;* Quo? Id est, ad illam vocem divinam, quam audistis. Quasi quidam hortatur suum amicum, qui audit vocem se clamantis: Cur stas et quare non curris ad illam vocem, quam audisti? Et reddit causam, quare debeant currere, cum subjunxit: *dum lumen vitae habetis,* id est, dum licentiam habetis, dum tempus habetis convertendi. Hoc etiam Paulus Apostolus latius exponit, cum dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Superius enim dixerat testimonium prophetae dicens: *Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adjuvi te.* Deinde exposuit, quid sit illud tempus dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus acceptabile istud est ad exaudiendum, quia in eo exaudimur; dies vero salutis isti sunt, quia in his invenitur salus. Necnon et Esaias ait: *Quaerite Dominum, dum inveniri potest.*

Et iterum: *ne tenebrae mortis vos comprehendant.* De his quippe Dominus tenebris dicit sub noctis nomine, cum loquitur: *Dum sum in mundo, lux sum hujus mundi; veniet autem nox, in qua nemo potest operari.* Jam si in illa nocte nemo potest operari, currendum est nobis et satagendum, dum lumen vitae habemus, ne, cum voluerimus, non possimus. Sic enim Dominus dicit: *Me oportet operari, donec dies est; veniet autem nox, in qua nemo potest operari.* Et est sensus, cum dicit: *dum lumen vitae habetis,* i. e. dum licentiam habetis currendi, dum tempus, dum spatium habetis operandi, ne dies mortis vos praeoccupet.

Et quaerens Dominus in multitudine populi sui, cui haec clamat, operarium suum. Et iterum dicit: *Dominus quaerens operarium suum in multitudine populi sui, haec clamat.* Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione sua.

cum dicit: *Iterum dicit.* Nam prius exemplum scripturae dicit, quod provocat audire; nunc vero subjunxit alterum exemplum, quod similiter provocat audire, cum dicit: *Quis est, qui vult vitam et cupit videre dies bonos?* Si vero haec multitudo ad multitudinem generis humani referatur, operarius Domini intelligitur sancta ecclesia, quae quasi pro uno homine posita sub hoc intellectu de multitudine humani generis quaesita est a Deo. Si autem ad sanctam ecclesiam referatur, quod magis ad hunc sensum attinet, operarius Domini intelligitur ordo sequacium apostolorum. Et bene ecclesia pro multitudine populi in hoc sensu ponitur, quia sibimet comparata multitudo est.

Nunc videndum est, qua ratione dicatur Dominus operarium suum quaerere in multitudine populi. Numquid caeteros relinquit et unum operarium quaerit? Non, sed sicut facit rex. Ecce habet rex maximam multitudinem populi, sed ex ipsa multitudine eligit aliquos, quos praedestinat singulis officiis, alios quidem ad consilium dandum, alios autem ad caetera officia peragenda. Ita et Dominus facit: Dominus enim de ecclesia sua eligit illum ordinem. qui audiat vocem illam, quam diviti dixit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et veni, sequere me.* Necnon etiam Dominus praedicans in carne fecit, cum multos discipulos habuit et elegit de illa multitudine duodecim. Et quid mirum, si hoc Dominus fecit praedicans in carne vel in sancta ecclesia quotidie faciat, cum etiam ab initio mundi hoc fecit? Nam de multitudine totius generis humani elegit Noë cum domo sua, qui superstes fuit primi saeculi et auctor saeculi secundi. Necnon de multitudine populi sui elegit Abraam, elegit Moysen et Aaron, similiter et caeteros sanctos.

Sed quid enim dicat Dominus de operario suo, quem de multitudine populi quaerit, in subsequentibus manifestat: ait enim: *Quis est homo, qui vult vitam et cupit videre dies bonos?* In hoc enim loco S. Benedictus testimonium sumpsit propheticum; nam iste sermo propheticus gentibus est locutus. Videndum est enim in hoc loco, de qua vita

dicatur; non enim in hoc loco, cum dicit *vitam*, de praesenti dicit vita, sed de vita aeterna, et ideo, ubi vitam dicit, subaudiendum est: aeterna. Nam si de hac vita dixisset, superfluum fuisset dicere, eo quod illos alloquitur, qui in hac vita praesenti sunt: haec enim vita non est vita, sed iter vitae est, per quam ad illam vitam aeternam pervenitur. Vita vero, quae in inferno est, et vita est et non est vita. Vita est quidem per substantiam, eo quod illi, qui illic cremantur, nunquam per substantiam deficiunt; et non est vita per bonitatem, quia illi, qui illic ardent, nunquam bono fruuntur. Nam de qua vita dicat, idem ipse propheta manifestat, cum subjungit: *et cupit videre dies bonos.* Bene autem addidit *bonos* ad separationem malorum dierum praesentis vitae; in praesenti etenim vita non sunt boni, sed mali dies. Mali etenim dico non per substantiam, sed per actionem malorum. Et quod mali dies sint in praesenti vita, testatur Paulus, cum dicit, ait enim: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* In hoc enim loco cum Paulus dicit: *dies mali* de diebus praesentis vitae dicit, non ut per substantiam, sicut jam diximus, dies mali sint, sed secundum actionem malam, quae in praesentis vitae diebus agitur. In futura vero vita dies boni sunt, eo quod ibi illa vita fruuntur, quae (qui) dicit: *Ego sum via, veritas et vita.*

Sequitur: *quod si audiens responderas: Ego.* id est, si ad hanc vocem audiendam temetipsum obtuleris illi, *dicit tibi Dominus.* Hic enim talis, qui ita agit, similis est Esaiae, qui audiens Dominum dicentem: *Quis ibit ex nobis?*[1]) respondit dicens: *Ecce ego, mitte me.*

Sequitur: *Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.* In hoc enim loco nomine mali omnis malitia comprehenditur; nam speciem manifestavit, cum dixit *dolum*, ait enim: *labia tua ne loquantur dolum*: *dolus* enim intelligitur fraus. Omnis enim fraus sive dolus malum dicitur; nam omne

[1]) Isaia. (6, 8): Et quis ibit nobis?

malum non potest dici dolus, eo quod est et aliud malum, hoc est adulterium et cetera. Dolus enim duobus modis dicitur, uno enim modo. sicut hypocritae faciunt; illi enim aliud praetendunt extrinsecus et aliud sunt intrinsecus, id est, manifeste faciunt opera bona. occulte vero mala. Altero quidem modo dolus sive fraus dicitur, cum quis aliud habet in corde et aliud loquitur ore. Nam non unius sunt poenae digni, qui malum simpliciter agit et ille, qui simulate, id est callide. Sive aliter: dolus est mentis calliditas, eo quod deludat; aliud enim agit et aliud dissimulat. Et quod non sint unius poenae digni vel perditionis, manifestat illud, quod in libro beati Job dicitur; legitur enim ibidem: *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Qui enim simpliciter malum agit, meretur iram Dei; nam qui callidi sunt et simulatores, isti non solum merentur iram Dei, sed etiam provocant iram Dei. Sed aliud est mereri, aliud provocare. Bene ergo, cum dixit *simulatores* subjunxit *callidi*, quia non possunt simulatores sine calliditate esse.

Sequitur: *Declina a malo et fac bonum.* Egregius enim ordo est, prius mala destrui et post bonum bona aedificari.[1]) Secundum hunc ordinem etiam Dominus locutus est ad Jeremiam dicens: *Ecce posui te, ut evellas et destruas et dissipes et disperdas*, et subjunxit: *et aedifices et plantes.* Ecce in hoc loco ideo dixit quatuor mala et duo bona, quia plus sunt mala quam bona. Similiter etiam Simeon de Domino dicit: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* Necnon B. Jacobus apostolus dicit: *Abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Vide modo, quia non potest bonum aedificari, nisi prius eradicatum fuerit malum.

Sequitur: *Inquire pacem et sequere eam.* Homo rem, quam non habet ex toto et diligit, aut ex parte habet et diligit, quam non habet, quaerit; nam illam, quam habet ex toto, non quaerit. Bene enim dixit: *Inquire pacem*, et

[1]) et postmodum bona aedificari (?).

non qualemcunque habe, eo quod perfecte pax in praesenti vita non potest haberi, sed tantum inquiri, ut in futuro habeatur. Vide modo, quia pax magna virtus est, ideo postquam dixit: *Fac bonum*, subsecutus est: *Inquire pacem;* adeo est enim pax magna virtus, ut sine illa nemo possit Deum videre. Et quod sine pace Dominum nemo possit videre, testatur Paulus apostolus, ait enim: *Pacem sequimini cum omnibus hominibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Pax enim valde pernecessaria est; et quod pax valde pernecessaria sit, testatur chorus Angelorum, qui in nocte, in qua natus est Dominus, pacem hominibus commendavit, ait enim: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus.* Et reddit causam, quibus hominibus? *bonae voluntatis.* Similiter et Dominus in nocte, in qua tradebatur, antequam traderetur, pacem commendavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem, inquit, meam relinquo vobis, ut concorditer vivatis, pacem meam do vobis, ut non dissentiatis.

Sequitur: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras.*

Usque modo dixit verba et sensum psalmistae: nunc autem verba dimittens sensum dicit. Nam superius dixerat, sicut psalmista: *prohibe linguam tuam a malo et labia tua, ne loquantur dolum, declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* Psalmista enim subjunxit post haec in vice Domini causam, qua quis debeat linguam suam a malo prohibere et labia sua a dolo et caetera, dicens: *Oculi Domini super justos et aures ejus ad preces eorum.* S. Benedictus vero verba dimittens et tenens sensum non in vice Domini, sed ipsum Dominum intromittit dicentem persemetipsum, ait enim: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras.*

Nunc videndum est, qua ratione dicatur oculos Dominus habere vel aures. Non enim proprie sed translative dicitur Deus habere oculos aut aures vel manus aut caetera membra, i. e. a propria significatione ad non propriam significationem, quia proprium est hominis, manus vel pedes

vel caetera membra habere, Deo autem non proprium est: Deus enim non localis, sed ubique est; ille enim omnia videt, omnia audit. Sed scriptura divina condescendendo nobiscum Deum dicit oculos vel aures habere. Et hoc nostro more loquitur, i. e. quia nos non possumus videre et audire, nisi oculis et auribus, ut sciamus, dicitur ipsa visio divina, qua cuncta videt, oculus, et illa vis divina, qua cuncta Deus audit, dicitur auris, et illa vis divina, qua cuncta Deus operatur, dicitur manus. Nisi enim scriptura divina nostro more, sicut diximus, Dominum videre vel audire dixisset, nequaquam nos Deum videre vel audire intellexissemus.

Sed nunc videndum est, quid per Dei respectionem intelligendum sit. Dei enim respectus duobus modis dicitur. Scriptura enim divina aut Deum dicit, quamvis raro, respicere malos, aut certe dicit respicere bonos. Sed ipsi boni cum respiciuntur a Deo, aut respiciuntur, si in peccatis sunt, ut corrigantur, aut certe si boni sunt, ut perficiant in melius. Mali vero cum respiciuntur, idcirco dicuntur respici tantum, ut puniantur. Unde per respectionem Dei in bonos respectus divinae clementiae intelligitur, in malos autem per respectionem Dei ipsa condemnatio intelligitur, quia aliter respicit in bonos, aliter vero in malos. Nos autem illam rem animadvertimus, quam diligimus, illam vero rem, quam non diligimus, intendere nolumus. Unde illi boni, qui a Deo respiciuntur, Deo amabiles esse comprobantur. Dicitur autem et alia visio, ut est visio Esaiae et Jeremiae, et in hoc loco, cum dicit: *visio Jeremiae*, subaudiendum est *Domini*. Nam etiam per respectionem humanitatis Christi possumus animadvertere, quid intelligi debeat per respectionem divinam: legitur enim: *respexit in arborem sycomorum.*[1]) Sed ipse Evangelista reddit fructum respectionis, ubi subjunxit: *Amen, dico vobis, quia hodie salus huic domui facta est.* Necnon et alibi respexit Petrum.

[1]) Luc. 19, 4: ascendit in arborem sycomorum .... suspiciens Jesus vidit illum.

et reddit causam, quare respectus est dicens: *Et egressus foras flevit amare.* Nequaquam enim Petrus amare flevisset, nisi respectus esset. Similiter et Zachaeus ideo respectus est a Domino, quia dicturus erat illi Dominus: *Domui huic salus facta est.* Semper enim, ubi Dominus respiciebat secundum carnem, causa misericordiae suae respiciebat. Et ita intelligitur respectus divinitatis, id est, sicut jam diximus, respectus divinae misericordiae. Nam etiam per oculos Dei dona S. Spiritus intelliguntur; et quod dona S. Spiritus per oculos Dei intelligantur, testatur illud, quod legitur in Apocalypsi: *Septem oculos, qui sunt spiritus missi in omnem terram.* Et illud in Zacharia: *Et vide lapidem septem oculos habere.* Per lapidem intelligitur Christus, per septem oculos septem dona S. Spiritus. Et bene per oculos Domini dona S. Spiritus intelliguntur, quia ille salvatur per respectum Dei, qui dona S. Spiritus accipit; non enim salvabitur quis, nisi dona S. Spiritus acceperit. Nam quia per Spiritum S. gratia distribuatur, testatur Paulus apostolus, cum dicit, ait enim: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* et reliqua, et pervenit usque ad illum locum, ubi subjunxit dicens: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.*

Sequitur: *Et aures meae ad preces vestras.* Sicut enim per oculos intelligitur respectus divinae clementiae, ita per aures Dei intelligitur facilis exauditio, ut est illud: *Cum invocarem, exaudisti me Deus,* id est, in ipsa invocatione me stantem exaudisti. Nam cum omnia Deus videat et omnia audiat, tamen ubi visus Dei et aures dicuntur, respectus divinae clementiae per visum, et facilis exauditio per aures intelligitur.

Sequitur: *Et antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum.* Hic oritur quaestio, quid est, quod Dominus dicit: *Antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum,* cum multos legamus atque videamus sanctos laborantes sub fasce tentationum et clamantes ad Deum liberari et nequaquam exauditos? Quod si forte dicas: nequaquam sunt sancti, qui non exaudiuntur, ideo necesse est, ut etiam ille

sanctus adhibeatur tibi in testimonium, de cujus sanctitate nemo dubitat, qui hujuscemodi oravit et non est exauditus. Ecce Paulus rogavit Deum, et non est exauditus, ait enim: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Ecce Paulus, sicut diximus, rogavit Dominum, et non est exauditus, sed tantum tarde audivit Dominum dicentem sibi: *Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur.* Sed ista quaestio ita solvitur. Sancti enim, si non exaudiuntur ad votum, tamen exaudiuntur ad salutem et melius exaudiuntur, cum non exaudiuntur, quam si exaudirentur, sicuti Paulus. Ille enim est melius exauditus, cum non est exauditus, quam si exaudiretur; eo quod ille, sicut jam dictum est, exauditus est ad salutem, sed non exauditus est ad votum. Et in hoc se cognovit Paulus apostolus exauditum esse ad salutem, cum audivit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Et quia se cognovit esse ad salutem exauditum, ideo dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Ecce iterum qui petit Deum castitatem, humilitatem, aut caeteras virtutes, et non exauditur ad votum, quia exauditur ad salutem: verbi gratia petit infantulus matrem suam panem, illa autem non illi dat, et solum non dat, verum etiam subtrahit illi. Non ideo illi non dat, quia nunquam vult dare, sed quia scit tempus, in quo melius debeat dare, et ille melius accipere. Tunc ille infantulus melius exauditur, cum non exauditur, quam si exaudiretur, quia exauditur ad salutem, si non exauditur ad votum. Haec autem sancti scientes Deum agere, ideo non murmurant, cum non exaudiuntur, sed submittunt alas suas et stant humiles. Unde S. Augustinus dicit: *Nil fixum orandum est praeter vitam aeternam, quia sicut Apostolus dicit: nam quid oremus sicut oportet, nescimus.*

Sequitur: *Quid nobis dulcius hac voce dominica invitante nos,*[1]) *fratres charissimi?* Consuetudo est sanctorum

[1]) Communius legitur: *hac voce Domini invitantis nos.*

praedicatorum, post doctrinam aut exhortationem aut certe orationem subjungere, quod frequentissime Paulus apostolus fecisse legitur. S. vero Benedictus, quia, sicut non distabat longe a merito sanctorum, ita etiam noluit distare doctrina, propterea post doctrinam exhortationem subjunxit.[1]) Nam etiam in hoc loco consuetudinem tenuit illius, qui cibum ministrat vel tribuit; ille enim qui cibum ministrat, prius gustat de cibo et postmodum hortatur ceteros dicens: Quid dulcius, fratres, hoc cibo vel potu? subaudiendum est: nihil. Ita S. Benedictus gustavit de cibo Dei, hoc est intelligentia mandatorum ejus, et quia sapuit in palato cordis sui, hortatur etiam nos sumere dicens: *Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos, fratres charissimi?* Et in hoc loco, ubi dicit: *quid dulcius?* subaudiendum est: nihil. Qua voce? Illa, qua superius dixerat: *Prohibe linguam tuam a malo et labia tua, ne loquantur dolum; declina a malo et fac bonum; inquire pacem et sequere eam*, et cetera his similia. Necnon et illa voce, qua dictum est: *Et cum haec feceritis, oculi mei super vos, et aures meae ad preces vestras, et antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum.* In hoc enim loco notandum nobis est, quia ista dulcedo non palato corporeo, sed palato cordis percipitur: nam sicut noster homo exterior habet palatum suum vel fauces, quibus cibum vel potum degustat, ita etiam noster homo interior habet palatum suum vel fauces, quibus cibum spiritalem percipit. Et quod noster homo interior habet fauces, testatur psalmista, qui ait: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Et iterum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Non enim in hoc loco de faucibus corporeis, sed de faucibus cordis dicit, quia eloquia Domini non in faucibus corporeis sed cordis sapiunt, quia, sicut jam diximus, palato corporeo percipitur cibus et potus temporalis, ita etiam palato cordis percipitur cibus spiritalis.

Sequitur: *Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae.* Nos enim, cum aliquid digito monstramus, *ecce*!

[1]) Cod. Divionens. ex Marten.

dicimus, quia *ecce* adverbium demonstrantis est. S. vero Benedictus, quia superius exempla posuit, in quibus nos Dominus admonet bene agere, *ecce!* demonstrando dixit. Nam bene dixit: *pietate sua*, quia nullus suo merito salvatur; nam postquam in Adam expulsi sumus de paradiso, tota massa humani generis periit. Nunc vero qui ex illa salvatur, non suo merito, sed pietate et misericordia Dei salvatur. S. vero Benedictus sciens hoc, idcirco dixit: *pietate sua*, ac si diceret: non nostro merito, sed pietate sua demonstrat nobis viam vitae, qua redeamus ad vitam.

Sequitur: *Subcinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris et calciati in praeparatione evangelii pacis pergamus itinera ejus.* Intuendum est enim in hoc loco, cujus consuetudinem tenet B. Benedictus, cum dicit: *succinctis lumbis.* Morem tenet ducis mittentis militem suum ad bellum: dux enim cum mittit militem suum ad proelium, hortatur illum subcinctos lumbos habere, quia si subcinctos lumbos non habuerit, impedientur gressus ejus vestibus dissolutis, et ex hoc nequaquam poterit in hostem irruere vel ab hoste eripi. Ita B. Benedictus in hoc loco facere comprobatur. Ille vero, quia mittit auditorem suum contra invisibilem hostem, idcirco hortatur illum, subcinctos lumbos habere, quia, sicut jam diximus, si subcinctos lumbos non habuerit, nequaquam contra hostem suum praevalebit irruere vel ab illo eripi. Videndum est etiam nunc, de quibus lumbis in hoc loco dicat S. Benedictus. Numquid de carnalibus lumbis dicit? Non: nam nequaquam aliquid magni diceret, si de carnalibus lumbis dixisset, cum est consuetudo paene omnium, subcinctos lumbos habere, sed scriptura divina solet aliquid spiritaliter designare per quem[1]) omnium est facere consuetudo, sicuti est illud, quod Dominus in Evangelio dicit: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.* Omnes enim faciem suam lavant: caput enim ungere pertinet ad laetitiam spiritalem, id est, cum quis aliquid boni agit, gaudet in spiritali in-

[1]) per hoc, quod (?).

tentione, quia id agendo subtrahitur ab amore terreno. Lavare enim faciem, pertinet ad munditiam mentis. Ita et in hoc loco per lumbos subcinctos aliquid nobis scriptura divina spiritaliter innuit: nam hoc, quod dixit B. Benedictus, subcinctos lumbos et calciatos pedes evangelii habere, de Pauli apostoli epistola ad Ephesios data sumpsit. Paulus enim apostolus prius admonuerat unumquemque singillatim, id est virum et uxorem, filios et parentes, servos et dominos; deinde pervenit ad eum locum, ubi postea generali admonitione omnes admonuit dicens: *De caetero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo subcincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae et calciati pedes in praeparatione Evangelii*[1]) *pacis.* Ac si diceret: Scio vos exercitatum hostem habere, et idcirco vos adhortor, ut non in vestris viribus sed in Dei omnipotentis virtute confidatis. Haec autem succinctio lumborum non tantum in libro Job reperitur, ubi ait Dominus ad Job: *Accinge sicut vir lumbos tuos; interrogabo te, et responde mihi;* verum etiam in Evangelio haec succinctio lumborum invenitur; ait enim Dominus: *Sint lumbri vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.* Nam ista succinctio lumborum varie intelligitur a magnis praedicatoribus. Alii quidem intelligunt per succinctionem lumborum refraenationem delectationis carnalis, alii autem per succinctionem lumborum intelligunt coërcitionem omnium vitiorum, nonnulli vero per succinctionem lumborum intelligunt compressionem vanae gloriae, quia sicut isti, qui non refraenant (secundum quosdam) delectationem carnalem, aut etiam non refraenant delectationem (secundum multos) omnium vitiorum, non

[1]) Vulgata (Ephes. VI 10 14) sic: v. 10.: De cetero fratres confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. v. 11.: Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. v. 13.: Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. v. 14: State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam justitiae etc.

dicuntur lumbos succinctos habere, ita etiam et hi non dicuntur succinctos lumbos habere, qui de superatis vitiis superbiunt vel intumescunt. Verum etiam intuendum est in hoc loco, qualiter B. Benedictus dixit praecinctos lumbos habere: ait enim: *succinctis fide vel observantia bonorum actuum lumbis vestris.* Bene enim dixit *fide et observantia bonorum actuum*, eo quod omnia illa, quae ab aliis intellecta sunt, in fide et observantia bonorum actuum consistunt; nam pulchre, postquam dixit *fide*, subjunxit *bonorum actuum*, quia unum sine altero nil proficit. Nam quod fides sine operibus nil sit utile, testatur Jacobus apostolus, qui dicit: *Fides sine operibus mortua est.* Et quod opus similiter sine fide nihil valeat, idem ipse B. Jacobus[1]) (?) testatur dicens: *Impossibile est enim, sine fide placere Deo.* Et bene post succinctionem lumborum calciatos pedes in praeparatione Evangelii pacis hortatur suum auditorem habere, quia, sicut diximus, morem ducis tenet; dux enim primum hortatur suum militem succinctos lumbos habere, deinde calciatos pedes, ne pungatur spinis aut offendat in lapidem, et ex hoc debilitato toto corpore non poterit contra hostem suum dimicare vel ab illo eripi. Ita et B. Benedictus; ille enim, qui auditorem suum contra invisibilem et exercitatum hostem dirigit, ideo hortatur illum pedes suos calciatos, i. e. munitos habere, ne forte debilitetur coram inimico suo. Notandum est etiam, quia non de exterioris hominis pedibus dicit sed interioris, quia sicut noster homo exterior habet pedes suos, in quibus movetur, ita interior homo. Et quod homo noster interior habeat pedes, testatur psalmista, cum dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Non enim de exterioris hominis pedibus dicit sed interioris, quia nullum lumen praebent divinae scripturae exterioris hominis pedibus ambulantibus in tenebris, sed magis offendiculum, in quod offendant.. Unde sicut indiget homo noster exterior lumine temporali ambulans in tenebris, quia sine illo non valet iter suum peragere in tenebris, ita etiam

[1]) *S. Paulus* ad Hebr. 11, 6.

noster homo[1]) ambulans hoc nocturnum iter hujus vitae praesentis, quae aeternae vitae comparata mors est potius dicenda quam vita, indiget lucerna spiritali, scilicet verbo Dei, ut valeat hanc praesentem vitam sine offendiculo pertransire, eo quod sine illo lumine, hoc est verbo Dei errat in praesenti vita, sicuti et ille exterior homo, cum in tenebris absque lumine ambulat, errat. Horum enim pedes propheta videbat, quando sub admiratione dicebat: *O quam speciosi pedes evangelizantium pacem.*[2]) Pacis enim ideo adjectionem fecit B. Benedictus, ut declararet, cujus evangelii esset illa praeparatio, i. e. pacis. Et bene dixit ergo, cum dixit: *Succinctis ergo lumbis nostris et calciatis pedibus;* succinctio enim lumborum tribus modis potest intelligi, sive subjugatio luxuriae, sive refraenatio vanae gloriae, vel etiam compressio omnium vitiorum. Per calciatos enim pedes intelliguntur exempla sanctorum. Et bene, cum dixit: *succinctis lumbis*, subjecit: *et calciatis pedibus pergamus itinera ejus*, i. e. refraenata delectatione carnali vel compressis omnibus vitiis sive subjugata vana gloria et vestigiis nostris, hoc est gressibus mentis nostrae munitis sanctorum exemplis. pergamus itinera ejus. *Ergo* enim, sicut jam diximus, ubi invenitur, ex superioribus pendet. Et est sensus, cum dixit *ergo*, id est, si ita est, ut, qui prohibuerit linguam suam a malo et labiis suis non locutus fuerit dolum et declinaverit a malo et fecerit bonum et inquisierit pacem ac secutus fuerit illam, oculi Domini super illum sint et aures ejus ad precem suam, et Dominus, antequam illum invocaverit, dicat: *Ecce adsum tibi:* nos ergo succinctis lumbis et pedibus calciatis faciamus, quae ille praecepit, ut nobis talia contingant.

Sequitur: *Pergamus itinera ejus.* Itinera ejus, non nostra pergamus, quia ejus itinera ad vitam, nostra autem ducunt ad mortem.

Sequitur: *Ut mereamur eum, qui nos vocavit, in regno suo videre.* De hac visione, qua nobis B. Benedictus nunc

---

[1]) interior.

[2]) Rom. 10, 15. Isaias, 52, 7. Nahum. 1, 15.

narrat Dominum videre in regno suo, Dominus in Evangelio dicit; ait enim: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et hoc etiam notandum. quia quod in Evangelio dicitur per futurum tempus, i. e. videbunt, hic B. Benedictus dixit *suo*, quia non in praesenti vita Deus videtur, sed in futura, h. e. in regno suo. Hoc etiam iterum notandum est, quia haec visio spiritalis est, quia ille, qui videtur, spiritus est et a spiritalibus videbitur. Similiter etiam hoc notandum est, quod ista visio non aequaliter omnibus tribuitur. Et quod non aequaliter omnibus tribuatur, testatur Dominus, qui dicit: *In domo patris mei mansiones multae sunt.* Mansiones ideo dixit multas propter disparia merita. Et quamquam non aequaliter haec visio propter dissimilia merita tribuatur, tamen una visio erit, sicut unum regnum. Et hoc etiam est notandum, quia, cum dicitur *videre*, non ita dicitur, ut videatur Deus, sicut aliqua res materialis oculis videtur, sed istud *videre* ponitur pro *intelligere.* Et hoc, quod diximus, quia Deus non aequaliter videatur, id est intelligatur, possumus animadvertere in rege terreno: rex enim quamquam intelligatur ab omnibus, quia rex est, tamen non aequaliter ab omnibus intelligitur ejus qualitas; alii enim sunt, qui eum intelligunt plus, alii minus, id est tantum unusquisque eum intelligit, quantum se ipse permittit intelligi. Ita et Deus: Deus enim in uno semper tenore consistit, sed tamen non aequaliter ab omnibus intelligitur, quia non omnium aequalia merita sunt. Haec autem visio non erit fastidialis sed concupiscibilis. Et quod haec visio non erit fastidialis, sed concupiscibilis, testatur Petrus apostolus, qui dicit, ait enim: *In quem concupiscunt angeli prospicere.* Ista visio erit sanctis refectio et claritas atque regnum. Et forte dicit aliquis: Quomodo ista visio a spiritalibus videbitur, cum nos in corporibus nostris videbimus Deum? sicut scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Non videbitur Deus corporalibus oculis, sed tantum spiritalibus sensibus et oculis intelligitur. Nam qualia erunt corpora sanctorum, docet B. Augustinus, cum de novitate corporis spi-

ritalis, in qua sanctorum caro mutabitur, (tractat et dicit: *tale erit,) quale erit corpus, quod omnino spiritui subditum et eo sufficienter vivificatum nullis alimoniis indigebit.*[1]) Non enim animale sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione, substantiam. Ideo enim non est credendum, ut Deus corporalibus oculis videatur, quia non est Deus localis, ut aliquam similitudinem habeat, sed spiritus est, qui omnia in se comprehendit et continet. Et quod non sit Deus localis, docet B. Augustinus dicens: *Quod alicubi enim est, continetur, quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus, non igitur alicubi est. Et tamen, qui est et in loco non est, in illo potius sunt omnia, quam ille alicubi. Nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus; locus enim in spatio est, quod longitudine, latitudine, altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est. Locus tamen abusive dicitur templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei praesens sit; id autem nihil melius quam munda anima intelligitur.*

Sequitur: *In cujus regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur.* Superius enim dixerat: *in regno suo videre*, nunc vero ejusdem regni facit mentionem cum adjectione tabernaculi. Intelligens B. Benedictus contra opinionem ceterorum sanctorum, idem esse regnum et tabernaculum, ideo dixit: *in cujus regni tabernaculo si volumus habitare*, veluti quis dicit alicui iter agenti: Ingens palatium et magna domus ad habitandum est in illo loco, et nisi currendo ieris, non poteris illuc pervenire. Ita B. Benedictus facit, cum dicit: *tabernaculum vel regnum Dei*, et subjunxit: *nisi illuc bonis actibus curratur, minime pervenitur.* Sed ille, qui palatium denuntiat, vel sero vel tarde dicit illuc pervenire. B. vero Benedictus ex toto denegat, illuc posse quemquam pervenire, nisi bonis actibus illuc curratur. Quapropter nullus illuc perveniet, nisi bonis actibus currendo venerit.

[1]) cf. S. Augustini retract. lib. I. c. 13. n. 4.

Sequitur: *Sed interrogemus cum propheta Dominum dicentes ei*, ac si diceret aliis verbis: jam postquam cognovimus tabernaculum, necesse nobis est, ut interrogemus Dominum cum propheta suo: Qui sunt illi, qui in ejus tabernaculo habitant, vel per quam viam potest quis illuc pervenire?

Sequitur: *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Haec locutio sub una interrogatione debet dici, id est: Domine! q. h. in t. t. a. q. r. in m. s. t.? Nunc videndum est, quid sit tabernaculum aut mons, et quare prius tabernaculum et postmodum montem dicit? aut quare in tabernaculo habitare et in monte requiescere? Tabernaculum enim dicitur domus non habens fixum fundamentum, quod ad libitum movetur, sicuti fuit illud, quod Moyses in deserto fecit, quod ad placitum portabatur. Et per tabernaculum enim intelligitur praesentis peregrinatio ecclesiae. Ecce videmus multas ecclesias, quae periturae sunt, nec non et nos, qui ecclesia sumus, transituri sumus. Per montem autem intelligitur coelestis Jerusalem. Et bene prius ecclesiam et postmodum montem dixit, quia per praesentis ecclesiae peregrinationem pervenitur ad coelestem Jerusalem. Nam bene in tabernaculo habitare et in monte requiescere dicit, quia in hac praesentis ecclesiae peregrinatione habitatio est, non requies; in coelesti autem Jerusalem requies est. Aliud est enim habitare, et aliud requiescere; potest enim habitare et non requiescere.

Sequitur: *Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi dicens,* [1]) id est, non ab aliquo homine vel ab angelo, sed ab ipso Domino nobis respondente audiamus viam tabernaculi, qua quis possit illuc pervenire.

Sequitur: *Qui ingreditur sine macula.* Ecce prima vox est ostendentis viam tabernaculi, cum dicit: *Qui ingreditur sine macula;* ingredi enim inchoanti viam carpere convenit.

[1]) dicentem (?) vel: dicit enim (?).

...ie modo, quod hic dicit: *Qui ingreditur sine macula.* ... alio psalmo dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant ... lege Domini;* non est enim beatus, nisi immaculatus, et ... est immaculatus, qui in via ambulat; via enim prae-...ta Dei intelliguntur; ergo ille est beatus, qui in via, ... in lege Dei ambulando immaculatus existit. Sive etiam ...t Cassiodorus dicit: *Beati immaculati in via, qui am-...nt in lege, i. e. qui aut non peccant aut per gratiam ...stam digna sibi satisfactione prospiciunt.*

Forte dicit aliquis: sufficit mihi, ut sine macula sim, ... ut non operer solum modo malum. Non enim sufficit ... frater, tantummodo sine macula esse, quia ille, qui ...it: *qui ingreditur sine macula,* subjunxit etiam: *et opera-... justitiam.* Nunc videndum est, quare dixit: *operatur ...itiam,* et non dixit: *operatur castitatem aut orationem ... jejunium?* Ideo dixit justitiam et non castitatem aut ...nium aut orationem, quia ille, qui operatur castitatem, ... adjuvat sua castitate, et non alterum; similiter qui orat ... jejunat, se et non alterum laetificat. Nam qui justi-...a operatur, magis alterum quam se adjuvat, verbi gratia, ...es patrem potentem, et ille opprimit pauperem, tu autem ...jnnas vel oras aut castitatem habes, quid illum pau-...em adjuvat tua oratio aut jejunium aut castitas? si ... inter patrem tuum et illum pauperem justitiam fe-..., tunc magis illum quam te adjuvabit tua justitia.

Sequitur: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Bene ...it: *in corde suo,* quia sunt multi, qui veritatem in ore ...untur et non in corde, et sunt multi, qui in corde ...um et non in ore veritatem loquuntur. Et propterea ...junxit: *Qui non egit dolum in lingua sua.* Nam si ...aris in ore tantum et non in corde, non ambulabis ...recte in via Dei, quae ducit ad tabernaculum sive mon-...: et sive loquaris in corde tantum et non in ore, ... ambulas in via Dei, quamquam pejor sit ille, qui ... ore tantum et non in corde, quam ille, qui in corde et ... in ore loquitur veritatem. Et quia vult te Deus per-... in via Dei ambulare, ideo cum dixit: *qui loquitur veri-*

tatem in corde suo, subjunxit: *qui non egit dolum in lingua sua.*

Sequitur: *Qui non fecit proximo suo malum.* Nunc videndum est, (quis?) quid sit noster proximus. Proximus noster est secundum quosdam, qui nobis miseretur, propter illam parabolam, quam Dominus proposuit de illo, qui descendit in Jericho dicens: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones* et reliqua, et pervenit usque ad illum locum, ubi subjunxit dicens: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam cum illo. Et ait illi Jesus: Vade et tu fac similiter.* Alii quidem dicunt: Proximus noster est omnis christianus propter illud, quia unum patrem habemus in coelo. Alii dicunt, proximum nostrum esse omnem hominem, quia omnes unum patrem terrenum habemus Adam. Sed in hoc loco de omni homine dicitur proximus noster; et est sensus, cum dicit: *qui non fecit proximo suo malum*, i. e. qui nulli homini fecit malum. Et tamen, sicut Beda dicit, juxta litteram manifestat Domini sententia, nullum nobis amplius, quam qui miseretur, esse proximum, si Jerosolimitae civi non sacerdos, non levita ex ea gente, sed accola, quia magis misertus est, factus est proximus.

Sequitur: *Qui opprobrium non accepit adversus proximum suum.* Hunc enim versum B. Hieronymus intelligit dicens: *Ille enim non accipit opprobrium adversus proximum suum, qui nullum laesit, neminem nocuit, neminem scandalizavit, ut ab illo debuisset accipere opprobrium.* Sed difficile est; et quamquam difficile sit, tamen inveniuntur duo sine querela, de quibus scriptura divina dicit: *Erant ambo sine querela.* Aliter, ille accipit opprobrium adversus proximum suum, qui libenter malum de proximo suo audit.

Sequitur: *Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum.* Hactenus B. Benedictus verba et sensum Domini tenuit; nunc autem dimisit verba, tenuit sensum, cum dixit: *Qui malignum diabolum aliqua suadentem*

sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum. Nam Dominus subjunxit: *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat*, quem versum B. Hieronymus ita intellexit dicens: verbi gratia, est rex malignus vel episcopus aut presbyter, de istis enim personis dico, qui aliis praeminent; hos tales, qui maligni sunt, videns justus ad nihilum deducit; nam pauperem sive mendicum Deum timentem cum viderit, honorat atque magnificat. Sed S. Benedictus aliter hoc intelligens, malignum dixisse diabolum,[1]) qui mala nobis suggerit. Et bene dixit: *a conspectibus cordis respuens*, quia hominem interiorem magis scriptura studet admonere. Nam quid sit malignum diabolum a conspectibus cordis respuere et illum ad nihilum reducere, idem ipse B. Benedictus exponit, cum subjunxit, ait enim: *Et parvulos cogitatus ejus tenuit et allisit ad Christum.* In hoc enim loco intravit in ordinem alterius psalmi; legitur enim: *Filia Babylonis misera, beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Sed quid sit retributionem retribuere, idem ipse propheta exponit, cum subjunxit, ait enim: *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram.* Historialiter enim intelligitur de illo populo Babylonico, qui Israelitas in captivitatem ducebat, parvulos autem eorum tenentes pedibus allidebant ad petram. Populus autem catholicus intelligens haec spiritaliter dicit de diabolo, quia unusquisque cum sibi in principio suggeritur a diabolo. i. e. dum parvula illa est cogitatio, debet illam ad petram allidere, i. e. amore Christi eam extinguere; nam si creverit illa cogitatio et lactata fuerit, non poteris eam nisi cum grandi labore extinguere, sicuti homo grandis non potest pedibus teneri et ad petram percuti.

Sequitur: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum*

---

[1]) Sed S. Benedictus aliter hoc intelligens ita intelligit, quasi Dominus *malignum* dixerit diabolum, qui etc.

magnificant. Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione ostendendi viam, quae ducit ad tabernaculum sive montem, quam jam monstraverat; nunc dicendo verba Domini et sensum, nunc dicendo solummodo sensum Domini cum verbis suis et nunc exponendo verba psalmistae, incipiens ab eo loco, in quo dicit: *Qui ingreditur sine macula,* et pervenit ad hunc locum, ubi dixit de elatione cavenda; ait enim: *Qui timentes Dominum de bona observantia sua non se reddunt elatos.* Parum enim fuerat Benedicto solummodo dicere de compressione vitiorum et operatione virtutum, nisi etiam addidisset coertionem vanae gloriae. Cognoverat, non minus posse nasci vanam gloriam de perfectione virtutum, quam de compressione vitiorum. Et bene, postquam dixit, mala esse cavenda et bona agenda, subjunxit, cavere debere vanam gloriam, quia solet vitiare bonum malum elationis, aliquando in principio, aliquando in medio, aliquando in fine. Intuendum est hoc, quia in eo, quod dixit: *timentes Dominum*, ostendit timore Domini posse vitari vanam gloriam; nam timendo Dominum potest quis elationem cavere, i. e. si se considerat, qualem eum invenit gratia Dei, de hoc quod agit, nequaquam superbit. Ad quam considerationem nos provocat Deus, cum dicit ad Job: *Ubi eras, quando fundamenta terrae ponebam?* ac si diceret: Si te consideras, qualem te reperi, de hoc, quod egisti, non te reddis elatum. Iterum intuendum est in hoc loco, quia cum dixit: *sed ipsa bona in se non a se posse, sed a Domino fieri existimantes operantem in se Dominum magnificant illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* haec (autem)[1]) vox humilium est. Nunc videndum est, quomodo vel quando dat Deus gloriam nomini suo. Sub hoc sensu dat Deus gloriam nomini suo, cum ita nos dignatur protegere atque custodire, ut non nostri sed sui nominis gloriam quaeramus.

[1]) Anacoluthon (?).

Sequitur: *Sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit dicens: Gratia Dei sum id, quod sum.* Quaerendum est, qua ratione dicit B. Benedictus: *Paulus de sapientia*, et non dixit *de virtute*, cum ipse eximius fuit virtute etiam, sicut ipse Paulus testatur dicens: *Plus omnibus laboravi.* Paulus apostolus fuit incomparabilis sapientia, quam sapientiam Petrus Apostolus miratus est, cum dixit: *Sicut carissimus frater noster Paulus secundum sibi datam sapientiam scripsit vobis.* Hanc sapientiam admiratus est B. Benedictus, ideo dixit *sapientia* et non dixit *virtute*, quia forte virtute fuit aliquis sanctus similis illi, sed sapientia nullus, ac si diceret: ita non se reddunt elatos, qui per viam Dei tendunt ad tabernaculum sive montem operantes bona, quod non sunt incomparabilia, id est, non sibi imputant sed Deo, sicut nec apostolus Paulus sibi de incomparabili sapientia sua sed Deo adscripsit.

Sequitur: *Gratia Dei sum id, quod sum.* Gratia ideo dicitur, eo quod gratis datur; ubi enim gratia dicitur, omne meritum excluditur. Paulus itaque apostolus eximius praedicatione atque virtute cognovit, quia a se non habebat, quae habebat, et ideo dixit: *Gratia Dei sum*, ac si diceret: quidquid habeo, non meo merito, sed gratia Dei habeo. Et tamen quia in gratia Dei laboraverat, propterea subjunxit: *et gratia Dei in me vacua non fuit;* nam non fuisset magni dicere: *gratia Dei in me vacua non fuit*, nisi scivisset, in aliis gratiam Dei vacuam esse: et quia scivit, gratiam Dei in aliis vacuam esse, ideo alias dixit: *Hortamur vos fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; ille enim in vacuum gratiam Dei recipit, qui non vivit secundum donum Dei, quod accepit: verbi gratia, accepisti baptismum; si non vivis secundum baptismum, gratiam Dei in vacuum accepisti. Iterum: accepisti donum obedientiae; si non vis obedientiam exhibere, in vacuum gratiam Dei accepisti. Accepisti donum praedicationis, si non vis aliis praedicare, gratiam Dei in vacuum accepisti.

Sequitur: *Et iterum ipse dicit*: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Pseudoapostoli gloriabantur se de nobilitatis genere, non in virtutibus, eo quod erant de semine Abrahae; et ideo, sicut dixi, gloriabantur, sed de genere nobilitatis, non in virtutibus; non enim poterant dicere: *pericula in fluminibus.* Et ab his decepti Corinthii gloriabantur de sapientia sua. Unde apostolus Paulus tam de illis falsis Apostolis se gloriantibus quam etiam Corinthiis, qui ab illis fuerant decepti, necnon etiam per illos dicit omnibus nobis utens testimonio prophetico: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, ac si diceret: qui nobilis est genere et vult gloriari nobilitatis genere, in Domino glorietur. Similiter qui potens est, de potentia sua in Domino glorietur, non in potentia sua. Quid est: *in Domino glorietur?* id est, in Domino gloriam suam et non in se transferat, quia in Domino gloriari est: quidquid habet, non sibi, non suo merito, sed Deo abscribat.

Sequitur: *Unde et Dominus in evangelio ait: Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram; venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam et non cecidit, quia fundata erat supra petram.* Subaudiendum est: *Qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam; descendit pluvia, flaverunt venti, advenerunt flumina et offenderunt in domum illam, et cecidit et erat ruina ejus magna.* Hactenus B. Benedictus manifestavit viam, quae ducit ad tabernaculum sive montem Dei dicendo compressionem vitiorum sive perfectionem virtutum et subjunxit refraenationem vanae gloriae, eo quod cognoverat, non minus instare periculum jactantiae in perfectione virtutum quam in coërtione malorum. Nunc perseverat in intentione B. Benedictus, cum dicit: *Qui audit verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* et reliqua. Istud enim *unde* superius respicit, ac si diceret, cum dicit: *unde et Dominus in Evangelio ait*, i. e. de ipsa ostensione viae

tabernaculi non solum in psalmis, verum etiam in Evangelio dicit. Nam idcirco in ostensione viae est, quia, qui in via est, adhuc sustinet aliquid, i. e. pluvias et flumina seu ventos patitur. Istud vero, quod dicit: *quia qui audit verba mea haec*, in fine sermonis, quem in monte habuit, Dominus locutus est. Ille enim in monte dixit praecepta moralitatis, maxime ea, quae erga communem conversationem attinent, et idcirco non absolute dixit *mea*, sed subjunxit *haec*, ac si diceret: ista quae in hoc monte locutus sum. B. vero Benedictus quia ex diversis locis scripturarum divinarum verba adhibuit, idcirco istud *haec* hic locutus est, i. e. quia, sicut istud *haec* concludit illa verba, quae Dominus locutus est in monte, ita etiam ista concludit, quae S. Benedictus hinc[1]) adhibuit. Nec non in fine psalmi quarti decimi istud *haec* propheta concludens posuit: ait enim: *Qui facit haec, non movebitur in aeternum.* Vide modo, quia sicut ibi dicitur: *Qui facit haec, non movebitur in aeternum*, ita et in Evangelio: *Qui audit verba mea haec, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Duos enim viros Dominus in Evangelio, qui aedificium aedificant, proposuit, id est, qui aedificat super petram, et qui aedificat super arenam. Sed quamvis haec duo aedificia aequaliter videantur, tamen non aequaliter sunt permanentia; nam illa domus, quae super petram aedificata est, firma et stabilis est, eo quod petram, i. e. firmum fundamentum habet, illa autem, quae super arenam aedificata est, infirma est et instabilis, eo quod arena, quae fluida est et augmentari non potest, nec in unam copulam redigi, fundamentum non habet. Vide modo, quia aequaliter haec utraque domus undique concutitur; desuper concutitur pluviis, subtus fluminibus, e regione, id est e latere ventis. Sed sicut diximus, illa domus, quae super petram firmata est, his concussionibus pulsata non cadit, illa autem domus, quae super arenam fundata est, corruit. Ita et in spiritalibus. In spiritalibus vero rebus duo sunt aedificatores, id est unus,

[1]) hue (?).

qui aedificat supra petram, et alter, qui aedificat super arenam; ille enim aedificat supra petram, qui amore Christi bona opera agit, qui Christum in fundamento, id est in intentione operis habet, quia per petram multis testimoniis scripturarum divinarum Christus comprobatur intelligi. Et ille aedificat super arenam, qui in intentione humanae laudis aliquid agit boni, verbi gratia, iste jejunat et ille jejunat, iste orat, et ille orat, et caetera his similia; sed quamvis utraque aedificia aequaliter videantur fieri, tamen non aequaliter istorum aedificium, id est actio, firmum et stabile est, eo quod non aequaliter fundamentum, id est intentionem habet. Vide modo, quia utraque istorum actio undique concutitur: desuper concutitur pluviis, subtus fluminibus, e regione, id est e latere ventis. Sed nunc videndum est, quid per pluvias sive flumina atque ventos intelligi debeant[1]). Per pluvias enim intelliguntur superstitiones caliginosae, per flumina autem delectationes carnales, per ventos enim rumores humani. Caliginosae superstitiones sunt, sicut hypocritae faciunt. Quamquam rationabiliter non quaeratur, si quis quaerit, quare per pluvias superstitiones caliginosae, et per ventos rumores humani, et per flumina delectationes carnales intelligantur, tamen ita conjicere possumus: caliginosae superstitiones idcirco per pluvias intelliguntur, quia sicut pluviis fuscatur aër et tenebratur, ita hypocritarum actio obscura et tenebrosa est, eo quod ignoratur, qua intentione fiat, id est utrum amore Christi an saeculi nescitur. Per flumina delectationes carnales conjicimus, quia sicut in fluminibus coercendis solet esse necessarius magnus labor adhibendus, ita etiam in multis delectationibus carnalibus amputandis magnus necessarius est labor adhibendus. Et sicut flumina solent aliquando fortiter currere et aliquando extra terminos exire, ita et delectationes carnales solent aliquando fortes esse, aliquando extra terminos transire, sicuti est in cibo et potu, si sit ultra mensuram progressio. Per ventos autem idcirco

[1]) debeat (?).

conjicimus rumores humanos posse intelligi, quia sicut venti e latere veniunt, ita laudes humanae illi solent evenire, qui intentione placendi Deo aliquid agere incipit. Sed illa actio, quae amore Christi fit et incipitur, his tentationibus concussa non cadit, illa autem, quae intentione humanae laudis incepta est et agitur, cum his concutionibus concussa fuerit, cadit et evanescit. Animadvertendum est, quia hoc, quod dixi, quare per flumina delectationes carnales et per pluvias caliginosae superstitiones et per ventos rumores humani intelligantur, non secundum auctoritatem dictum est sed secundum aestimationem; nam Augustinus ita intellexit. Propterea haec tria per flumina et ventos atque pluvias propter numerum intellexi. Altero vero modo intelligitur per domum fundatam super petram sancta ecclesia fundata in Christo, per ventos intelligitur Antichristus et ejus sequaces, per pluvias gentilitatis perfidia, per flumina haereticorum errores.

Sequitur: *Haec complens Dominus exspectat nos quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere.* Legerat B. Benedictus illa verba, quae Dominus in monte secundum Mathaeum locutus est, et cognovit, omnem perfectionem in his esse, volens ille omnem perfectionem similiter in his verbis esse ostendere, hoc est in suo sermone hoc, quae tam de psalmo XIV., quam etiam ex aliis locis scripturarum huc adhibuit, idcirco finem verborum illorum, quae Dominus in monte locutus est, his verbis, quae huc adhibuit, subjungere studuit: et est sensus, cum dicit: *Haec complens Dominus exspectat nos*, id est, haec narrando complevit et exspectat nos quotidie. *Quotidie* enim intelligitur *omni die*. Et bene dixit *quotidie*, ut si forte diu praeceptum Domini implere distulisti, non te desperes, quia quotidie exspectat Dominus, i. e. omnibus diebus vitae tuae. *His suis* intelligitur quasi: istis suis sanctis monitis: idcirco dixit, ad separationem illorum, quae non sunt sancta, factis nos respondere debere. In hoc loco B. Benedictus sacrarum scripturarum morem observavit, cum dicit: *factis respondere debere*, quia scriptura divina, ubi dicit *respondere*,

factis subintelligi vult, ut est illud, quod ad duritiam cordis illorum dicitur, qui Dei monitis factis respondere nolunt; ait enim: *Vocavi, et nemo respondit mihi.* In hoc loco subaudiendum est *factis*; quod enim factis debemus respondere praeceptis Domini, docet Cassiodorus in versiculo psalmi centesimi primi, ubi dicitur: *Respondit ei in via virtutis suae*; ait enim: *Ipse ei respondere cognoscitur, qui imperiis ejus obsequens esse monstratur. Quapropter respondetur illi non lingua sed vita, non voce sed fide, non clamore sed corde.* Sunt enim multi, qui nolunt Dei monitis respondere factis, idcirco sunt imperfecti; B. vero Benedictus propterea dixit tibi, factis respondere, eo quod voluit te esse perfectum; ille enim respondit factis, qui, quod aure audit, opere complet.

Sequitur: *Ideo nobis propter emendationem malorum hujus vitae dies ad inducias relaxantur dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?* Istud *ideo* ad superiorem sensum attinet et est sensus, cum dicit *ideo*, i. e. quia exspectat nos Dominus quotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere, ideo, hoc est propterea, isti dies hujus vitae ad inducias nobis relaxantur propter emendationem malorum nostrorum. Ubi sollerter animadvertere debemus, quia his diebus, qui nobis relaxantur causa emendationis malorum nostrorum, nos econtrario non solum non emendamus ea, quae fecimus mala, verum etiam augmentationem malorum facimus. Inducia enim est spatium, quod quantulumcunque agendi vel discendi[1]) tribuitur. Nam quid sensus sit in istis verbis, quae B. Benedictus dixit, i. e.: *Ideo nobis propter emendationem malorum nostrorum hujus vitae dies ad inducias relaxantur*, hoc prolatum testimonium Paulus exponit dicens: *An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?* Vide modo, quia B. Benedictus dixit *inducias*, Paulus dixit *patientia*,[2]) et quod S. Benedictus dixit *emendationem*

[1]) dicendi?

[2]) patientiam. Cod. S. Benigni Divion.

malorum, Paulus dicit *poenitentia*, et quod ille dicit *relaxantur*, Paulus dicit *adducit*. Patientia autem cum in Deo dicitur, non proprie dicitur sed abusive, hoc est a propria significatione ad non propriam significationem: nam nostrum proprium est patientia, Dei autem translative. Nos enim tunc dicimur patientes, cum aliqua contra votum nostrum agere videmus et ulcisci nolumus. Ita et Deus tunc patiens dicitur, cum nos contra dispositionem suam videt agere et non vult nos aeternae damnationi mancipare. Et est sensus, cum dicit Paulus: *An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?* ac si dicat: o peccator! quare te non convertis? quare non emendas mala tua, quae fecisti? An non sapis, quia patientia Dei istos dies vitae tuae ideo tibi relaxat, ut convertaris?

Sequitur: *Nam pius Dominus dicit*: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Nunc videndum est, qua ratione dicat: *Nolo mortem peccatoris*, cum multi peccatores legantur mortui et perditi? In hoc enim loco videntur duae istae sententiae discordare, cum peccatores utique moriantur. Ergo si peccatores moriuntur, cum voluntate Dei moriuntur; voluit et fecit, sicut legitur in psalmis: *Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in coelo et in terra.* Sed ita intelligitur, cum dicit: *Nolo mortem peccatoris*, ac si diceret: illorum peccatorum nolo mortem, qui a sua pravitate converti merentur. Ita etiam et illud, quod in Evangelio legitur, intelligitur, ut est: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et illud Pauli: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Numquid, cum dicit: *Illuminat omnem hominem*, illuminat haereticos, illuminat paganos, sive Judaeos, qui in sua pravitate perseveraturi sunt? Non; sed ita intelligitur, i. e. illum illuminat, qui meretur illuminari, et illos salvat, qui salvari merentur. Et hoc notandum, quia cum dicit *merentur*, non pro meritis hominum, sed pro misericordia Dei accipiendum est. Iterum videndum est, de qua morte Dominus dicat, cum dicit mortem peccatoris: non enim de morte corporis, sed de morte animae dicit. Nam sicut est

mors corporis, ita et mors animae; mors corporis est separatio animae a corpore, mors animae est separatio Dei ab anima; et sicut mortuum est corpus, cum ab illo separatur anima, ita mortua est anima, cum separatur a Deo. Et est sensus, cum dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat,* id est, nolo in perpetuum separatus esse ab his, qui merentur converti a pravitatibus suis. Harum duarum mortium distinctio in Evangelio legitur: ait enim Dominus: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Ad haec e contrario respondentes Judaei dicentes dixerunt: *Abraam mortuus est et prophetae,* et reliqua. Verum est, quod Dominus dicebat, et verum est, quod Judaei dicebant; Dominus dicebat de morte animae, Judaei dicebant de morte corporis.

Sequitur: *convertatur et vivat.* Vide modo, quia tunc peccator vivit, cum se convertit, et tunc fit mansio Domini in eo, sicut dicit Dominus; ait enim: *Ego et pater ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

Sequitur: *Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi praeceptum, sed si compleamus habitatoris officium.* In isto, quod dixit: *Cum ergo interrogassemus, fratres, de habitatore tabernaculi ejus,* ostendit, se superius nobiscum Dominum interrogasse de habitatore tabernaculi ejus, et in eo, quod dicit: *audivimus habitandi praeceptum,* ostendit, Dominum respondisse nobis; istud vero, quod dicit: *Sed si compleamus habitatoris officium,* duobus modis intelligi potest. Uno enim modo intelligitur ita: *sed si compleamus habitatoris officium,* quasi diceret: si officium, hoc est exemplum illius habitatoris, sive qui nunc habitat, sive qui habitaturus est in tabernaculo, imitati fuerimus, tunc audivimus vel erimus auditores praeceptorum habitandi. Et secundum hunc sensum subaudiendum est: tunc audivimus habitandi praeceptum. Altero modo intelligitur ita: *sed si compleamus habitatoris officium,* quasi diceret: si talia fecerimus, pro quibus mereamur esse habitatores tabernaculi, tunc

erimus haeredes regni coelorum; et secundum hunc sensum subaudiendum est: *erimus haeredes regni coelorum.*

Sequitur: *Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae militanda.*[1]) Istud *ergo* ad superiorem sensum respicit; nam illud, quod superius dixit, id est: *Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi ejus, audivimus habitandi praeceptum,* et reliqua, narratio est; istud vero, quod nunc sequitur, id est: *Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum obedientiae militanda,* exhortatio est, quia solet ex narratione exhortatio descendere. B. vero Benedicti cor et corpus jam in observatione Dei praeceptorum praeparatum erat, sed idcirco dixit: *Praeparanda sunt corda et corpora nostra,* se conjungens cum auditoribus suis, ut facilius audiatur, eo quod est mos sanctorum praedicatorum, se conjungere cum auditoribus suis, quando illos aliquid agere exhortantur, ut facilius, sicut diximus, audiantur. Sunt enim minus cauti, quorum corda praeparata sunt et non corpora, et sunt iterum alii, quorum solummodo corpora et non corda praeparata sunt: sed illi, qui corde sunt tantummodo devoti, imperfecti sunt, illi autem, qui corpore et non corde sunt praeparati, longe ab omni bonitate existunt, quia hyprocritae sunt. B. vero Benedictus, quia voluit te perfectum esse, ideo utrumque comprehendit, id est cordis et corporis devotionem; cordis vero devotionem comprehendit propter Dominum, quia Deus inspector est cordis et omnia opera nostra ex qualitate cordis dispensat; corporis autem praeparationem comprehendit propter homines, quia homo homo est, et idcirco non valet devotionem cordis comprehendere, sed per continentiam corporis deprehendit devotionem cordis. Vide modo, quia ita B. Benedictus exhortatus est suos auditores, corda et corpora praeparata sanctae obedientiae habere, sicuti Dominus in Evangelio fecit; ait enim: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.*

[1]) militaturu (?).

ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est, necnon sicut et Paulus fecit; ait enim: *Providentes bona non tantum coram Deo sed etiam coram hominibus.*

Sequitur: *Sanctae praeceptorum obedientiae*; ideo enim dixit *obedientiae* cum adjectione *sanctae*, quia obedientia sancta est. Et reddit causam, quare est sancta, cum dixit *praeceptorum.* Et in hoc loco subaudiendum est *divinorum.* Et bene dixit *praeceptorum*, quia obedientia tunc obedientia est, cum in praeceptorum Dei est custodia; nam transgressio praeceptorum Dei non obedientia, sed transgressio Dei est. Et bene dixit *militatura*, quia cognovit, obedientiam non posse existere sine labore et sudore; ideo dixit *militatura*, quia militare ad laborem et sudorem et certamen attinet. Et quod obedientia sine labore non sit, testatur psalmista, cum dicit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et hoc ad inchoantes attinet; nam perfectis illud convenit, quod in evangelio legitur: *Jugum meum suave est, et onus meum leve est.*

Sequitur: *Et quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiae suae jubeat nobis adjutorium ministrare.* Nunc vero quasi quidam interrogaret S. Benedictum dicens: Pater Benedicte! praecepisti mihi obedientiam exhibere: ecce video, praeceptum Domini vel magistrorum spiritalium vires meas excedere; sed quid mihi agendum est pro hoc, opto, ut dicas. Ille vero quasi respondens dicit: Fili! *quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratiae suae jubeat nobis adjutorium ministrare.* Sunt enim quaedam res impossibiles corpori, veluti est domum uno die fabricare, aut pondus infinitae magnitudinis levare, et caetera his similia. Et sunt quaedam res, quae impossibiles sunt animae, veluti est foetorem infirmorum sustinere, et mortuum fastidire, et caetera his similia. Sed impossibilitas corporis naturae deputanda est, impossibilitas animae vitio magis deputanda est quam naturae, quia Deus animam bonam creavit, unde si in dignitate creationis suae permansisset, nil a sufficiente bonitate

minus haberet; sed quia recessit a dignitate creationis suae, nunc ad eandem bonitatem, quam antea sine labore habebat, sine labore non valet ascendere. Forte B. Benedictus simpliciter utriusque qualitatem substantiae nomine naturae comprehendit. Et bene dixit: *rogemus Dominum*, quia quod meritis non valemus obtinere, frequenter orationibus obtinemus. Et hoc animadvertendum est etiam, quod dicit orare. Ostendit enim, quia ea, quae habemus, non a nobis habemus, sed a Domino, quem praecipimur orare. Propterea dixi: *magis vitio, quam naturae*, propter illud, quod Paulus dicit: *Eramus filii irae.* Ideo dixit: *irae filii*, quia adeo natura vitiata est, ut in naturam verteretur illud vitium.

Sequitur: *et si fugientes gehennae poenas ad vitam volumus pervenire perpetuam, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et haec omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum et agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat.* Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione exhortationis suae, qua coeperat exhortari, sed tamen alio genere locutionis loquitur, eo quod prius exhortatus est orare, ut fiat possibile, quod impossibile est, ac si diceret auditoribus suis: jam quia cognovistis poenas gehennae et coepistis fugere illas, currendum et agendum est modo, i. e. cum cursu et festinatione agendum est. Et reddit causam, quid agendum sit, cum dicit: *quod in perpetuum nobis expediat*, i. e. prosit. Et reddit etiam causam, quando, cum dicit: *dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus.* In hoc enim loco, cum dicit: *dum adhuc vacat et in hoc corpore sumus*, ostendit, quia tempus praesentis vitae agendi est bonum et poenitendi malum, et post terminum vitae tempus est recipiendi tantum pro bonis sive malis, quae gessimus.

Sequitur: *Constituenda est ergo a nobis dominici schola servitii.* Istud enim *ergo* ad superiorem sensum attinet: superius enim dixit: *dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, currendum et agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat*, et nunc dicit: *Constituenda est ergo schola dominici servitii*, ac si diceret: ergo si ita est, i. e. si in

hoc praesenti saeculo agendum est bonum, quod in perpetuum nobis expediat, constituendus est locus, in quo sine impedimento saeculari agere debeamus illud bonum. In hoc enim loco scholam nominat monasticam disciplinam; nam sunt et aliae scholae; est enim schola ecclesiastica disciplina, schola est liberalium artium, schola est etiam alicujus artis, in qua aliquid discitur. Sicut in illis locis liberalium artium aliquid discitur et agitur, ita et in hac schola aliquid discitur et agitur. Schola autem graece, latine vacatio intelligitur, nam ubi nos dicimus *vacare*, graeci dicunt *scholasare*; ergo cum dicit: *Constituenda est schola*, tale est, ac si diceret: *Constituenda est vacatio*. Sic enim alibi dicit: *Dominico die lectioni vacent omnes*; vacare enim est a rebus. Ille autem vacat lectioni, qui ab alienis rebus separatus deditus est lectioni solummodo, quia nemo potest divinis rebus vacare, qui a terrenis rebus separatus prius non fuerit, sicut scriptum est: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*, ac si diceret: nisi prius separati fueritis a terrenis rebus, nequaquam poteritis cognoscere, quid sit Deus. In hoc enim loco quaeri potest, quare B. Benedictus dixit *schola?* Intellexit B. Benedictus, in uno homine duas intentiones esse non posse, i. e. cogitationem, quae secundum Deum est, et secundum saeculum, dicente Domino: *Nemo potest duobus dominis servire, i. e. Deo et mammonae*, hoc est duas intentiones, i. e. quae secundum Deum et secundum saeculum est. Sunt enim multi, qui regnum coelorum quaerunt propter regnum coelorum, et sunt multi, qui terrenam curam habent propter amorem regni coelorum; isti tales Deo vacant, sicut superiores. Et sunt alii, qui quaerunt regnum Dei propter lucra saeculi; et sunt multi, qui et regnum coelorum quaerunt propter amorem regni coelorum et quaerunt terrena lucra et agunt propter amorem terreni lucri: et quia in istis sunt duae intentiones, idcirco redarguuntur a Domino dicente: *Nemo potest duobus dominis servire*, i. e. intentiones secundum Deum et secundum saeculum. Nam de istis intentionibus

docet Beda dicens: *Nemo potest duobus dominis servire, quia non valet simul transitoria et aeterna diligere; si enim aeternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in affectu possidemus.*

Sequitur: *constituenda est,* i. e. ordinanda est, docenda est. Et bene dixit: *a nobis*, sed non *a me,* quia solus non erat, sed cum Deo erat et sensum omnium sanctorum describebat.

Sequitur: *schola dominici servitii.* Bene dixit *divini servitii*, quia est et alia schola humani servitii; magna enim differentia est inter scholam divini servitii et humani. In schola etenim humani servitii militant homines regi et discunt genera bellorum et genera venationum et omnia, quae ad honestatem cultus saeculi attinent, et intuentur qualicumque oculo illi aliquid, ob quod tollerant mala omnia, id est famem, tribulationem et caetera his similia. Ita econtrario isti in schola dominici servitii militant regi coelesti et discunt salutem animae suae, et intuentur oculo spiritali coelestem beatitudinem, ob quam sustinent tribulationes et omnia mala. Unde quia non vident multi hanc beatitudinem, ideo revertuntur ad saeculum, et non possunt (propter Deum) sustinere aliquid mali. A *schola* enim derivatur *scholasticus;* nam quis sit scholasticus vel discolus, docet Beda in epistolam B. Petri apostoli, ubi ipse apostolus dicit: *non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Ait enim: *discolis*, indisciplinatis dicit nomine ducto a graeco eloquio, quia graece schola vocatur locus, in quo adolescentes literalibus studiis operam dare et audiendis magistris solent vacare; unde schola vacatio interpretatur. Denique in psalmo, ubi canimus: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*, pro eo, quod nos dicimus *vacate*, in graeco habetur σχολάζετε (scholazete). Scholastici graece sunt eruditi; discoli indocti et agrestes. Sed utrisque vult obedire subditos explicans apertius, quomodo nos supra omni humanae creaturae jusserit esse subjectos. Alia translatio (editio?) pro *discolis* difficiles habet, et S. antistes Fulgentius in opusculis suis sic ponit: *servientes cum*

timore non tantum bonis et modestis, sed etiam difficilioribus. [1])

Sequitur: *In qua institutione nihil asperum, nihil grave nos constituturos speramus. In qua institutione*, i. e. in qua schola, *speramus*, i. e. credimus. B. vero Benedicto nihil erat asperum nihilque grave, eo quod audierat illam sententiam Domini, in qua dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam; tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Et quamvis illi leve et suave erat, tamen sunt multi, quibus grave et asperum est, illis quippe, qui imperfecti sunt et minus mortificationem habent et non possunt dicere cum Paulo: *Viro autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Et quia mortificationem perfectam non habent et imperfecti sunt, cum aliquid adversitatis in monasterio vident, revertuntur ad saeculum et pereunt. Unde pater Benedictus quia cognovit. hos tales ita perire, ideo quasi consilium dando et admonendo praevenit eos dicens: *Sed et si quid paululum restrictius dictante aequitatis ratione propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda;* ac si diceret: Nolite timere, quia nos non durum credimus exposituros esse; tamen si propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis fecerimus. nolite fugere, quia servitium Dei et haec disciplina in principio dura est et postmodum dulcis, sicut inferius subdit, cum dicit: *processu* et reliqua. *Restrictius*, i. e. durius; *dictante*, i. e. suggerente, docente; *aequitatis*, i. e. justitiae. Justitia enim est, unicuique jus proprium tribuere. *Ratione*, i. e. sapientia. Et bene dixit *ratione*, i. e. sapientia justitiam esse, quia ex sapientia procedit justitia: et nisi quis sapiens fuerit, judicare non poterit. Reddit vero causam, quare ex ratione justitiae procedat aliquid durius,

[1]) cf. Migne. tom. 93. col. 53. 54.

cum subdit: *propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis.* Deus enim duobus modis loquitur homini, i. e. aut interdicit malum aut praecipit bonum agere; homo vero duobus modis peccat, i. e. aut peccat cum agit interdictum malum, i. e. prohibitum, aut certe cum negligit agere bonum praeceptum. Et quia homo duobus modis peccat, idcirco B. Benedictus duas rationes dixit, cum subdit: *propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis;* emendatio enim vitiorum attinet ad illos, qui ea agunt, quae Deus interdicit, hoc est prohibet, conservatio vero caritatis attinet ad illos, qui negligunt agere ea, quae Deus praecepit. Caritas enim in hoc loco pro omni bonitate ponitur. *Non illico*, i. e. non statim; *pavore*. i. e. timore; *perterritus*, i. e. perturbatus sive timidus.

Sequitur: *quae non est nisi angusto initio incipienda.* Meminerat enim B. Benedictus illud scriptum, in quo Dominus dixit: *Contendite intrare per angustam portam.* Per angustam portam in aulam salutis intratur, quia per labores necesse est, ut jejunio saeculi fallentis illecebra vincatur. Et bene dixit: *Contendite intrare,* quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur, quia multi, dico vobis, quaerunt intrare et non possunt, quaerunt intrare salutis amore provocati, et non possunt itineris asperitate deterriti. Quaerunt hoc ambitione praemiorum, a quo mox laborum timore refugiunt, non quia jugum Domini asperum, aut onus est grave, sed quia nolunt discere ab eo, quoniam mitis est et humilis corde, ut inveniant requiem animabus suis, eoque fit angusta porta, qua intratur ad vitam. Quam *lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam!* Quam *angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Dixi: *quae non est nisi angusto initio incipienda.* In illo loco Dominus secundum quosdam angustam portam dixit subtilitatem fidei et abrenunciationem veteris Adae; hanc enim angustam portam, in quantum ad subtilitatem fidei attinet, non intrant haeretici, et in quantum ad abrenunciationem

veteris Adae attinet, non intrant carnales, qui fidem habent. In illo enim loco Dominus generaliter omnes alloquitur, et omnibus congruit generaliter: et si omnes generaliter Dominus alloquitur, et omnibus generaliter congruit, quanto magis monachis congruit, qui sunt abrenunciatores saeculi? Sed in hoc loco *angusto initio* intelligitur abrenunciatio propriarum voluntatum; valde enim angustum est his, qui per multos annos in suis propriis voluntatibus vixerunt, etsi postmodum se alterius dominationi et potestati subdant non facientes suas voluntates. Hos tales hortatur B. Benedictus, cum subdit: *Processu vero conversationis et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Verbi gratia, cum videt quis aliquem per arctum et arduum iter gradientem timendo, hortatur illum, ut cum fiducia vadat, dicens: Cur times, frater, ire, cum, postquam de isto malo itinere exieris, statim ad requiem vadis et ad delectabile iter? Ita B. Benedictus facit, cum dicit: *Processu conversationis et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei,* ac si diceret illis: Cur timetis, fratres, cum angustum initium videtis, cum postmodum cum magna dulcedine viam mandatorum adimplebitis? In hoc enim loco, ubi dicit *fidei*, subaudiendum est *processu*, ut sit: *processu fidei. Processu autem conversationis* attinet ad augmentationem dierum, ex quo quis convertitur, i. e. a quo coepit conversari. *fidei* vero attinet ad illam fidem, quae cognitione et actione operatur. de qua Dominus in Evangelio dicit: *Qui autem crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Paulus dicit: *Omnem plenitudinem fidei.* Vita enim beata duobus modis constat. Et bene dixit: *processu fidei*, i. e. augmentatione fidei, quia fides. quae cognitione et actione constat. gradus habet. i. e. initium et processum. hoc est augmentationem atque consummationem. Initium fidei est. ut est illud: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Vide modo, quia tam parvam fidem habebat, ut eam non fidem. sed incredulitatem nominaret. Augmentatio fidei est. ut illud: *Domine, adauge nobis fidem.* De hoc enim loco

ita exponit Beda dicens: *Et dixerunt Apostoli: Domine adauge nobis fidem.* Dixerat supra Dominus: *Qui fidelis est in minimo, et in majore fidelis est; et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Et ideo apostoli, qui in alieno ac minimo, hoc est in terrenorum contemptu jam fuere fideles, in suo sibi ac majore fidem postulant augeri; nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat.[1]) Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio, quam magnopere apostoli quaerentes ajunt: *Domine adauge nobis fidem.*[2]) Vide modo, quia apostoli fidem habebant, eo quod apostoli erant et tamen augmentationem fidei quaerebant, ut perfectam fidem haberent. Consummatio fidei est, ut est illud: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti, ut transferatur in mare, et fiet vobis.* Idcirco fides grano sinapis comparatur, quia sicut granum sinapis, cum integrum fuerit, minimum et vilius est omnibus oleribus, ita et fides, cum integra est, id est sine tribulatione, videtur esse vilis et minima, sed cum passionibus coepit conteri, statim fragrantiam sui odoris emittit, quae superat omnem fidem. *Processu* enim multis modis dicitur; dicitur enim *processu* temporis, quia dies succedit diei et mensis mensi et annus anno. *Processu* corporis est, cum de loco ad locum movetur. De hoc enim loco ita exponit Beda dicens, ait enim: *Nam est et altera fides verbotenus, id est sine operibus, qua daemones credunt, sicut scriptum est: Daemones credunt et contremiscunt: qua etiam fide credunt mali homines, de qua fide Jacobus dicit: Fides sine operibus mortua est.*

Nunc videndum est, quid sit dilatatio cordis. Dilatatio cordis est, cum quis transcendit semetipsum, transcendit aërem, transcendit coelum, transcendit etiam angelos, et figit oculum cordis in Deo et videt ibi omnem bonitatem, omnem suavitatem atque omnem dulcedinem, et adeo est

---

[1]) ut ad illud perfectum magna virtute perveniat (?).

[2]) cf. Migne, tom. 92, col. 540.

illi ista dulcedo delectabilis et suavis atque concupiscibilis, ut nihil aliud, quam illam desideret dulcedinem. Et quod concupiscibilis sit ista dulcedo, manifestat B. Benedictus, cum subsecutus est dicens: *via mandatorum Dei curritur.* Bene dixit *curritur*, et non *graditur*, quia, sicut diximus, semper ad illam dulcedinem recurrit, qui de illa gustavit, quamvis etiam praeoccupatus sit in aliquibus rebus. Hoc unum desiderabat David, cum dixit: *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Vide modo, quia virtus gradus habet. B. Benedictus primitus dixit *angusto initio*, deinde *dilatato corde* subjunxit. postmodum dixit *inenarrabili dilectionis dulcedine.* Quid dicendum est de his, qui in eadem angustia perseverant, qua coeperunt. verbi gratia, si durum fuit illis vigiliae, jejunium etc., durum et grave est illis semper? isti tales, quamvis videantur jugum Domini ferre corpore, tamen mente excussum habent: dolendum est. Aut quid dicendum est de his, quorum angustia augmentationem capit, i. e. si uno loco primis[1]) quamvis graviter contenti sunt, postmodum per loca discurrunt diversa, et si primitus graviter et dure fecit[2]) obedientiam, postmodum superbiendo noluit[3]) implere, et reliqua; valde dolendum est. Nam sunt nonnulli, quibus quamvis gravis fuit obedientia, aut vigilia et caetera in initio conversionis, tamen per consuetudinem fit illis leve, i. e per consuetudinem et amorem Christi.

Sequitur: *ut ab ipsius magisterio nunquam discedentes. Ab ipsius*, subaudiendum est *Dei* sive *institutionis; discedentes*, id est recedentes; *magisterio* i. e. disciplina.

Sequitur: *in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes passionibus Christi per patientiam participemur, ut regni ejus mereamur esse consortes. In ejus.* subaudiendum est *Dei* sive *institutionis Monasterium* autem graecum est: *mona* enim graece latine *unus* sive *solus*, *sterium* graece latine *statio* interpretatur. *Monasterium*

[1]) primitus (?).
[2]) fecerunt (?).
[3]) noluerunt (?)

itaque intelligitur: unius hominis statio. Ubi animadvertere debemus, quia sunt multi in monasterio, et tamen foris monasterium sunt, eo quod si videantur corpore jugum Domini ferre, tamen mente et corde excussum habent, quia, quamvis corpore propter timorem flagelli aut excommunicationis aliquid obedire videntur, tamen mente non obediunt. Et sunt multi, qui, quamvis de monasterio exeant corpore, tamen mente et corde in monasterio sunt, eo quod aut ad meliorem conversationem vadunt vel similem, aut causa obedientiae. Isti tales plus sunt in monasterio, qui mente sunt in monasterio et non corpore, quam illi, qui corpore videntur et non sunt mente. Et bene dixit *passionibus Christi per patientiam participemur, ut regni ejus mereamur esse consortes,* quia nullus erit compos regni coelestis, qui non fuerit particeps passionum Christi. Animadvertendum est, quia hoc, quod B. Benedictus dixit: *passionibus Christi per patientiam participemur, ut regni ejus mereamur esse consortes*, Paulus brevi eloquio exponit, cum dicit: *Si fuerimus socii passionum, simul et consolationis erimus.* Vide modo, quod B. Benedictus dixit: *passionibus Christi per patientiam participemur*, Paulus dicit: *si fuerimus socii passionum;* et quod ille dixit: *ut regni ejus mereamur esse consortes*, Paulus dicit: *et consolationis erimus.*

EXPLICIT PROLOGUS.

Prologus est praelocutio; praelocutio est, in qua doctor manifestat, qua ratione librum scripsit. Notandum est enim, quia pars praelocutionis fuit illa, in qua suo auditori dixerat: *Ausculta, o fili, praecepta* et reliqua. Nunc autem, quia decreverat ille suus auditor esse, abrenuntians omnibus suis facultatibus, rectum ordinem tenuit, cum post illam admonitionem dicit de generibus vel vita monachorum, quasi diceret: Quia jam decrevisti meus auditor esse, ideo manifesto tibi, quot et quae sunt genera monachorum, deinde ad quod genus te praedicando traho; ideo subjunxit in fine: *His ergo omissis ad coenobitarum fortissimum genus disponendum (et reliq.) adjuvante Domino veniamus.*

INCIPIT REGULA S. BENEDICTI:

Cap. I.

DE QUATUOR GENERIBUS VEL VITA MONACHORUM.

Monachorum quatuor esse genera, manifestum est. Primum est coenobitarum, hoc est monasteriale militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum, i. e. eremitarum, horum, qui non conversionis fervore novitio sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare. Apte enim et congrue fuit, ut descripturus vitam et normam monachorum prius diceret de generibus vel ordinibus eorum, quatenus per genus cognosceretur auctor uniuscujusque vitae, quia eo verius et securius unaquaeque ars vel disciplina tenetur, quo auctor ejus ad probabilem fidem venisse comprobatur, veluti quis cum aliquod aedificium aedificare voluerit, primitus fundamentum ponit. Ita B. Benedictus in hoc loco facere cognoscitur, cum prius de generibus monachorum dixit. Coenobitae enim intelliguntur communiter viventes coenobitae enim sumpserunt initium a primitiva ecclesia Jerosolymis constituta. Narrat enim historia actuum apostolorum. quia uno die credebant tria millia et alio die quinque millia. et quotquot erant possessores agrorum, vendebant praedia sua et pretia eorum ponebant ante pedes apostolorum. et apostoli tribuebant unicuique, ut opus erat. Et sic vivebat tunc omnis illa ecclesia. sicut perpauci nunc inveniuntur vivere in monasteriis. Sed post excessum, i. e. obitum apostolorum coepit illa ecclesia tepescere, et non solum praelati, verum etiam subjecti. eo quod apostoli concesserant gentibus, retinendo substantiam suam ad fidem venire. Nam quod apostoli concesserant gentibus pro infirmitate. illa ecclesia putabat etiam sibi licitum esse. Et unde hoc probatur. quia apostoli concesserant gentibus. habere substantiam suam et sic venire ad fidem? Legitur in Actibus apostolorum: Cum praedicarent apostoli Antiochiae, surrexerunt falsi apostoli adversum veraces apostolos dicentes: *Quare non circumciduntur gentes, cum ad fidem*

veniunt? Illi vero miserunt Paulum et Barnabam Jerosolymam ad apostolos super hac quaestione. Similiter illi falsi apostoli miserunt suos missos ad apostolos, qui Jerosolymis erant. Qui Apostoli convenerunt in unum, et ait Petrus ad falsos apostolos: *Cur imponitis hoc jugum super nos, quod non potuerunt portare patres nostri neque nos? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Ait autem gentibus: *Nos enim non imponimus super vos nisi tantum, ut abstineatis vos a fornicatione, a sanguine et suffocato.* In hoc enim loco claret, quia cum substantia sua venerunt gentes ad fidem. Et quamquam tepuerat ecclesia, sicut diximus, tamen erant in illa ecclesia, in quibus erat fervor apostolicus, meminentes ordinis et vitae, qualiter apostoli vixerant. Qui videntes hunc teporem, exibant a consortio illorum et ibant in suburbana et secretiora loca, et prout recordabantur, ea, quae apostoli docuerant, exercebant, et ita ortum est genus coenobitarum, et permansit hoc genus solum multis annis, et adeo permansit multis annis, ut solum usque ad tempus Pauli et Antonii duraret. Sed sicut solet ex radice bona fructus bonus procedere, ita ex hac sancta radice bonus fructus processit, i. e. aliud genus monachorum, i. e. eremitarum, quorum auctores fuerunt in veteri testamento Elias et Elisaeus, in novo testamento Joannes Baptista, Paulus et Antonius. Deinde cum religio christiana gauderet his duobus generibus monachorum, ortum est *tertium genus Sarabaitarum*, quod lingua syriaca dicitur, latine interpretatur *renuitarum*, eo quod aliorum imperia vel voluntates implere renuunt et suas volunt facere. Quorum auctores fuerunt Ananias et Saphira, qui tempore apostolorum, cum vendidissent possessiones suas, causa diffidentiae fraudaverunt de pretio agri et partem posuerunt ante pedes apostolorum. Quos Petrus, quia radicitus voluit amputare hoc vitium, non carcere, non aliqua sententia, sed solummodo celeri morte plexit, i. e condemnavit. Ubi animadvertere debemus: si illi, qui sua detinuerunt, tali poena mulctati sunt, quali poena mulctandi sunt illi, qui

aliena vel oblata Deo rapiunt? Nam si talis fuisset tempore apostolorum, quali poena plexus esset?

Gyrovagi dicuntur, eo quod in giro vadunt, i. e. per diversas provincias. Horum auctores non facile reperiuntur. Nam est etiam aliud genus monachorum, sicut Cassianus dicit; ait enim: *Est etiam quintum genus Monachorum, quod nuper surrexit, qui paucis diebus habitant in monasteriis, sed quia nolunt vitia sua resecare, cellas secretiores ad similitudinem anachoretarum expetunt.* Hi tales, quia videntur formam sanctitatis habere, idcirco non redarguuntur, et quia non redarguuntur, ideo remanent eorum vitia incurata; nam virtutes non ex occultatione vitiorum, sed ex impugnatione oriuntur.

Sequitur: *Primum genus est coenobitarum, hoc est monasteriale.* Inter coenobium et monasterium hoc interest: coenobium attinet ad professionem et disciplinam atque locum, monasterium vero attinet solummodo ad locum. Tamen abusive pro coenobio ponitur monasterium, et coenobium pro monasterio similiter ponitur. Et cum dixit *coenobitarum*, subjunxit *monasteriale*. Per illud *monasteriale* manifestavit locum, in quo coenobium est.

Sequitur: *militans sub regula vel abbate.* Per istud *militans* ostendit B. Benedictus, laborem esse in monasterio, eo quod istud nomen, quod est *militans*, ad laborem et certamen attinet. Nunc videndum est, quare B Benedictus, cum dixit: *sub regula et abbate*, interposuit istud *vel*, quia istud separationem facit, et abbas non potest esse sine regula: nam si alteram vitam duxerit, illius ordinis non est abbas, sed ejus, cujus vitam duxit. Regula autem potest esse sine abbate, sicuti sunt multa monasteria, quae, quamvis abbatem regularem non habeant, tamen praepositos, decanos et caeteros ordines regulares habent, eo quod multi abbates canonici non minus sunt solliciti de regulae observatione, quam si regulares abbates fuissent. Istud enim *vel* duobus modis intelligi potest: uno enim modo, forte quia B. Benedictus fuit plenus spiritu prophetiae et vidit spiritu prophetiae istud tempus, in quo sunt multa mo-

nasteria sine abbatibus regularibus, sicuti superius diximus, ideoque posuit: *militans sub regula vel abbate.*[1]) Aut certe posuit simpliciter *vel* pro *et.*

Deinde *secundum genus est anachoretarum*, i. e. *eremitarum*, qui *non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna* [*qui*] *didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare. Fervore novitio* intelligitur: in primo fervore conversionis, hoc est dicere: non statim vadunt in eremum, quando incipit illis cogitatio eundi in eremum. Quare? quia nesciunt, utrum sint perseveraturi in hoc fervore, eo quod solet diabolus aliquando per speciem bonitatis decipere hominem; verbi gratia, videt diabolus hominem in malitia positum, dat illi compunctionem, suggerit illi, ut vadat in eremum. Ideo hoc facere studet, ut ille, quantum[2]) majorem professionem Deo devoverit et neglexerit, tanto illum diabolus arctius et strictius valeat tenere. Ea intentione B. Benedictus dixit in hoc loco: non vadunt in eremum, qua intentione praecipit Paulus apostolus de episcopis; ait enim: *non neophytum*, i. e. novellum, eo quod nescitur, utrum perseveraturus sit in fide annon. Nam quid sit neophytus, B. Gregorius in quadam epistola sua, quam direxit ad Syagrium episcopum et ceteros alios episcopos Galliarum, exponit hoc modo dicens: *Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctae fidei erat conversatione plantatus, sic modo neophytus habendus est, qui in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit.* Necnon idem B. Benedictus in alio loco praecipit, propterea non debere monachum cito suscipere, sed illum uno anno probare, quia nescitur, utrum persëveraturus sit in hac professione annon. Ac si interrogaret B. Benedictum quis: et quid faciunt in principio conversionis eundi[3]) ad eremum? respondit ille dicens: *sed in monasterio probatione diuturna* [*qui*] *didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare. Diuturna*, i. e.

[1]) cf cod. Divionens. ex Marten.
[2]) quanto. Cod. Emmeram.
[3]) ituri (?).

spatium longi temporis, veluti quis, cum vult ire contra hostem exercitatum, prius se exercitat et discit omnia genera bellorum et ingenia, ut valeat resistere et superare hostem suum, quia si inexercitatus contra exercitatum ierit, periturum se cognoscit. Ita et monachus prius discit in monasterio ingenia diaboli et pugnas illius et postmodum vadit in eremum ad singularem pugnam. Et bene dixit: *multorum solatio*, quia sicut ille, qui inter suos vel cum aliis pugnat contra hostem suum, si forte vulneratur aut percutitur, adjuvatur vel eripitur ab illis, ita et monachus, cum in monasterio pugnat contra diabolum, cum vulneratur aut percutitur a diabolo, adjuvatur a fratribus, i. e. oratione, consolatione atque exhortatione.

Sequitur: *Et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi securi sine consolatione alterius sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum Deo auxiliante sufficiunt pugnare;* ac si diceret: postquam docti fuerint, tunc vadunt in eremum. Acies enim tribus modis dicitur; dicitur enim acies ferri, hoc est acumen, dicitur oculorum, hoc est illa vis, qua oculus videt, dicitur etiam acies multitudo exercitus, i. e. militum ordinata. In hoc quippe loco pro multitudine fratrum ponitur. Est enim acies, quae est constipata, i. e. constricta. et est acies, quae non est stipata, et est acies, quae habet fortes bellatores. et est acies, quae non habet fortes bellatores, et est acies, quae est magna, et est acies, quae non est magna; sed illa acies timetur ab hoste, quae est stipata et habet fortes bellatores. Ita etiam acies illa timetur a diabolo, quae est stipata fraterna caritate et habet fortes bellatores, sicuti est ecclesia, ad quam in Canticis canticorum dicitur: *Pulchra es, amica mea, et suavis et decora sicut Jerusalem. terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ista enim acies, de qua hic dicitur, ponitur pro congregatione fratrum. *Ex* enim ponitur pro *ab*, quasi diceret: *ab acie fraterna.* Duobus modis potest jungi, id est: *instructi ab acie fraterna,* sive: *ab acie fraterna pergunt in eremum ad singularem pugnam.* Nunc videndum est, quomodo instruitur? Instruitur enim

ita: verbi gratia, interrogat quis priorem suum vel quemlibet, quem videt studiosum, quomodo illi nascitur compunctio, aut quomodo vincit iram, aut quali modo est tam devotus in lectione aut in oratione, in obedientia et ceteris his similibus; aut si impugnatur cogitatione, qualiter debeat illi resistere, aut si forte bonam cogitationem habet, qualiter debeat cognoscere illam, utrum finem habeat bonum an non? Ille alter dicet illi, si videt eam deceptricem: Noli consentire illi, quia mala est, et reliqua. Necnon videt ibi vulneratum fratrem a diabolo, et iterum videt illum vincentem diabolum et cetera hujusmodi. Nam sic contingit illi, qui indoctus exit de acie castrorum; vadit contra invisibilem inimicum pugnare et perit, sicut legitur in libris gentilium. Venerunt hostes contra quandam civitatem et non poterant per fortitudinem illam civitatem capere, et cum vidissent, non posse praevalere adversus illam, dixerunt: *Quid opus est, ut tanta multitudo pugnet? Exeat unus e nostris adversus singulare certamen contra unum de vestris, et post, qui vicerit, illius pars sit victrix.* Et cum hoc statuissent, exiit unus minus cautus de civitate, et erat pons inter civitatem et hostem. Deinde veniens in medium pontem obviavit illi, contra quem singulare certamen debuerat inire, dixitquē ille, qui contra urbem veniebat: *Contra quem vadis?* Respondit alter dicens: *Contra te, ut tecum incam certamen, sicut dixistis.* Respondit alter dicens: *Vestrum placitum fuit, ut unus solus exiret de civitate contra me; tu cur cum multis venisti? Vide, quanti te sequantur!* Ille vero incautus cum respexisset retro, ille alter percussit eum et occidit. Vide modo, quia iste incautus nescivit ingenia bellandi, ideo periit. Ita et monachus; monachus enim quasi cum multis pugnat contra diabolum, cum in monasterio contra diabolum pugnat; cum vero in eremum vadit, quasi ad singulare certamen pergit contra diabolum; deinde si minus cautus fuerit et fortis et non cognoverit insidias diaboli sedens in monasterio, cum in eremum fugerit, superabitur a diabolo, quia multa ingenia et insidias habet. Nam sicut legitur in collationibus patrum, magna erat

nimis tentatio diaboli contra monachos, et adeo magna, ut non omnes auderent dormire, sed quidam dormiebant, et quidam pro dormientibus orabant.

Et bene dixit: *ad singularem pugnam eremi securi jam sine consolatione alterius sola manu et brachio.* Prius enim dixerat, cum in monasterio erat: *multorum solatio* discere insidias diaboli; nunc dicit: *sola manu vel brachio sine consolatione alterius*, ac si diceret: constitutus in monasterio habet adjutores, in eremo vero nullum adjutorem habebit, sed sola manu vel brachio. Per manum operationem simplicem, per brachium vero fortitudinem operationis designat, quasi diceret: aut pugnabit simpliciter aut fortiter, quia non omnes aequaliter aggreditur, i. e. tentat diabolus. Si fuerit fortis et solicitus et studiosus nimis, nimiam sustinebit diaboli tentationem; si autem simplex fuerit, non magnam sustinebit tentationem, eo quod juxta fortitudinem hominis permittit Deus diabolum illum tentare. Unde psalmista dicit: *Proba me Domine et tenta me*, h. e. cognosce vires meas et tunc da licentiam diabolo me tentandi.

Sequitur: *contra vitia carnis et cogitationum Deo auxiliante sufficiant pugnare.* Alia enim sunt vitia corporis, alia animae: vitia corporis sunt, veluti sunt: loquacitas, immunditia, fornicatio, gula et caetera vitia, quae per corpus fiunt; vitia animae sunt, veluti ira, superbia, invidia et caetera his similia, quae per animum perpetrantur. Et bene dixit *Deo auxiliante*, quia si homo nil boni potest agere sine Dei adjutorio, quanto minus cum contra se pugnat vel contra diabolum?

Sequitur: *Tertium vero teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula adprobati experientia magistra sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc operibus servantes saeculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Teterrimum*, i. e. pavendum, timendum seu horrendum; *probati*, i. e. ad probationem ducti; *regula* attinet ad doctrinam, *experientia* vero ad exercitationem operis, *magistra* autem et ad regulam et ad experientiam potest referri, i. e. regula magistra et experientia magi-

stra sit. Utrumque convenit Dei servo, i. e. opus et doctrina.

Sequitur: *aurum fornacis*: auri enim natura est tam durabilis, ut per ignem nunquam deficiat; nam si adulterinum fuerit, i. e. mixtum cum argento et reliquo metallo et missum fuerit in ignem, id quod ei junctum fuerit alterius metalli, ardebit, ipsum vero aurum indeficiens permanebit. Per aurum autem vult B. Benedictus bonos monachos intelligi. Et quod justi intelligantur per aurum, testatur Salomon, cum dicit: *Tanquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos.*[1] Vide modo, per aurum significavit bonos, per fornacem vero tribulationem praesentis temporis. Et est sensus, cum dicit: *tanquam aurum in fornace*, i. e. quia sicut aurum purgatur in fornace, ita et justi probantur in praesentis temporis tribulatione.

Sequitur: *sed in plumbi natura molliti;* plumbi enim natura gravis est et mollis, et est adeo mollis, ut, si in ignem fuerit missum, statim liquescit et deficit. Per plumbum enim intelligi vult malos monachos, i. e. peccatores. Per plumbum mali intelliguntur, quia peccatores graves sunt malitia, molles sunt impatientia. Et quod molles sunt impatientia, testatur scriptura, cum dicit: *In miseriis non subsistent.* Gravitas enim aequivocum est, i. e. in bono et in malo ponitur; in bono, ut est illud: *In populo gravi laudabo te:* in populo gravi, i. e. in populo perfecto; in malo, ut est illud: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!*

Et in bono dicitur etiam gravitas, sicuti dicimus: homo gravis consilio, i. e. per consilium. Et quod per plumbum peccatores intelligantur, docet B. Gregorius in Ezechiele dicens hoc modo: *Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar: nam Chobar interpretatur gravitudo. Quid per Chobar fluvium nisi humanum genus congrue designatur, quod ab ortu defluit ad mortem, et grave sibi est ex peccatis, quae perpetrat et*

[1] lib. sap. 3, 6.

portat, quia scriptum est: Iniquitas in talento plumbi sedit? Omne enim peccatum grave est, quia non permittit animum ad sublimia levari, unde et per psalmistam dicitur: *Filii hominum usquequo graves corde?*[1]) Et quod per plumbum peccatores intelligantur, testatur iterum Zacharias propheta, cum dicit inter caetera: *Vidi duas mulieres elevantes amphoram inter terram et coelum, et erat illi os ingens; et una mulier jactavit massam plumbi in os amphorae. Et dixit mihi angelus: Quo defertur haec amphora? Et dixi: Nescio. Et dixit: Haec defertur amphora, ut aedificetur ei domus in terra Sennaar.* Per amphoram intelligitur cupiditas, per os ingens amphorae intelligitur impietas, quia cupiditas semper os habet patens ad concupiscendum. Et bene plumbum in os amphorae mittitur, quia impietas semper in cupiditate est. Per Sennaar intelligitur foetor. Pulchre in terra Sennaar domus amphorae aedificatur, quia malis domus in foetore construitur. Inter terram et coelum levatur, qui nec terram tangit nec coelum: significat superbum, qui per exaltationem fratri non compatitur, et coelum non tangit per meritum.

Sequitur: *Adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Finis coenobitae est, nil de crastino cogitare, et quidquid agit, non ad suam voluntatem agere et proprium non habere: finis vero eremitae est, de crastino cogitare et mentem suam exutam a cunctis habere terrenis, eamque, quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo. Sarabaitae vero habent aliquid commune per hanc formam cum eremita, i. e. cogitare aliquid de crastino, sed tamen in hoc discrepant ab illis, quia, si eremitae cogitant de crastino, ideo cogitant, ut possint Deo, quantum humana fragilitas permittit, mente sua adhaerere: sarabaitae vero si cogitant de crastino, ideo cogitant, ut mentem suam saeculo jungant et non solum in crastinum, verum etiam per multorum spatia annorum mentem suam cogitando extendunt. Cum coenobita habent aliquid com-

1) cf. Migne, Tom. 76, col. 797. 798. n. 6.

mune, i. e. opera manibus exercere, sed in hoc discrepant ab illis, quia coenobitae, quidquid agunt, nihil secundum voluntatem suam agunt, isti vero omnia secundum voluntatem suam laborant. Coenobitae non laborant, ut domini sint laborum suorum, sed omnem laborem in potestate prioris consistunt; isti vero idcirco laborant, ut domini sint laborum suorum et ditiores fiant. Vide modo, quia, quamvis habitu videantur monachi, tamen actionibus saeculares existunt, et propterea dixit S. Benedictus: *Adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur.*

Sequitur: *Qui bini aut terni aut certe singuli sine pastore. non dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas.* Certe de istis enim, quamvis bini aut terni aut singuli inveniri possint. tamen potest intelligi per binos et trinos et singulos multitudinem sive paucitatem.[1] *Sine pastore* idcirco dicit, quia aut sine pastore sunt. aut certe si pástorem videantur habere, tamen sine pastore sunt. quia similem sibi, i. e. consentientem vitiis suis habent. Nunc videndum est, quare dicat S. Benedictus *ovilibus* pluraliter. cum Dominus dicat: Unus pastor et unum ovile est. Si enim pastor referatur ad Christum. unus pastor est et unum ovile est; si referatur ad unam fidem, ad unum baptismum et ad unam remunerationem aeternae felicitatis. unum ovile est. id est, uná ecclesia est. Item si referatur unus pastor ad diversos episcopos et ceteros praepositos sanctae ecclesiae, multi pastores sunt. Similiter si referatur unum ovile, id est sancta ecclesia ad diversitatem linguarum sive ad dona Sancti Spiritus, multae ecclesiae sunt. Unde Joannes Evangelista propter septem dona Sancti Spiritus septem ecclesiis scripsit Apocalypsin.

Sequitur: *Pro lege eis est desideriorum voluptas. cum. quidquid putaverint vel elegerint. hoc dicant sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere.* — *Voluntas* per *n.* proprie semper in bono ponitur, quamvis abusive in malo ponatur: *voluptas* vero per *p.* proprie semper in malo ponitur, quamvis

[1] multitudo sive paucitas (?)

forte et in bono ponatur. *Pro lege eis est desideriorum voluptas*, id est, ac si diceret: voluptas eorum est eorum lex. *Cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere.* In hoc loco animadvertendum est: si boni pro ignorantia aliquando eligunt mala pro bonis, errant; quanto magis errant isti, qui mali sunt voluntarie? Quam sententiam B. Gregorius ita exponit: Certe cum Israeliticus populus ante Dei oculos pene inveniabilem contraxisset offensam, ita ut ejus rector audiret: *Descende, peccavit populus tuus*, ac si ei divina vox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, *jam* meus non est, etc. etc.

Sequitur: *Quartum vero genus est monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui totam vitam suam per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi et nunquam stabiles, et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes et per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium horum miserrima conversatione melius est silere quam loqui. His ergo omissis ad coenobitarum fortissimum genus disponendum adjuvante Domino perveniamus.* Ternis aut quaternis diebus ideo hospitantur per diversorum cellas, quia consuetudo est et fuit monasteriorum, cum suscipiunt hospites, tribus vel quatuor diebus omnem humanitatem hospitibus exhibere, postmodum vero, si plus steterint, sicut familiaribus, ita illis exhibere. Et ab hoc illi quatuor aut tribus diebus manent in diversorum cellis. *Semper vagi et nunquam stabiles*, subaudiendum est: sunt. Voluptas pertinet ad delectationes carnales, veluti sunt somnus et cibus et caetera, illecebra vero attinet ad gulam, et ideo dicta est illecebra, eo quod illiciat in aliud peccatum, verbi gratia ex gula nascitur nimia saturitas, et ex nimia saturitate aliquando fornicatio et reliqua. *Et per omnia deteriores Sarabaitis.* Bene dixit: *per omnia*, quia in omnibus pejores gyrovagi quam sarabaitae sunt, id est, sarabaitae quamvis mali sint, tamen pejores sunt gyrovagi sarabaitis. Verbi gratia, sarabaitae sibi cellas aedificant, gyrovagi vero non aedificant

cellas, sed discurrunt per diversa loca. Sarabaitae quamvis mali sint, tamen labore manuum suarum vivunt, gyrovagi labore aliorum. Illi non dant aliis malum exemplum, isti autem, quia currunt per diversa loca, ideo exempla mala tribuunt. Illi, quia in uno loco stant, non vident bona exempla, isti, quia vadunt, vident bona exempla et nolunt illa imitari. Sarabaitae multa nescientes agunt, isti autem scientes, malum esse discurrere per loca propter gulam, [et] tamen non emendantur. Et forte dicit aliquis: Aliquid simile habent Sarabaitae cum gyrovagis, id est, quia renuunt voluntati aliorum obedire et suam voluntatem adimplere; tamen quia ad pejorem finem tendunt gyrovagi quam sarabaitae, idcirco pejores sunt sarabaitis gyrovagi. *De quorum*, subaudiendum est: gyrovagorum; *miserrima conversatione est melius silere quam loqui.* Nunc videndum est, quare dixit: *melius est silere, quam loqui?* Quia eorum vitam pessimam esse cognovit, ideo tacere voluit, ne aliis in exemplum veniret. In hoc loco, ubi dicit *his*, subaudiendum est: tribus generibus, id est, eremitarum, sarabaitarum atque gyrovagorum; *omissis*, id est dimissis: *fortissimum genus coenobitarum.* Nunc videndum est, quod sit melius inter coenobitarum et anachoretarum genus, cum superius praetulit genus anachoretarum, eo quod dixit, monachos de coenobio exire ad eremum. Nam praedicatorum consuetudo est, semper de minoribus ad majora praedicare[1]) auditores suos exire; nam si non cognoscunt meliora, ad quae debent progredi, nequaquam hortatus fuisset[2]) illos, illuc exire. Et nunc dicit: *fortissimum genus monachorum coenobitarum:* jam quando dicit *fortissimum*, nullum genus praecellit istud genus coenobitarum. Verbi gratia: dic mihi, quid melius est inter illud, quod dicitur fortissimum, et illud, quod alio nomine explicatur, sicuti est forte aut fortius et caetera his similia? Melius est illud, quod per *fortissimum genus* narratur. Ecce melius genus coenobitarum, eo quod illud

---

[1]) praedicare = hortari.

[2]) hortantur Cod. Emmeram.

explicavit S. Benedictus per *fortissimum*, et genus anachoretarum explicavit alio nomine. Iterum dic mihi, quis discipulus melior est e duobus inter illum, qui plus diligit Jesum, et illum, qui minus? Ille, qui plus, sicuti est Petrus; nam Petrus plus dilexit Jesum quam Johannes. Et ubi cognoscitur Petrus plus dilexisse Jesum quam alii apostoli? Manifestat Scriptura divina, ubi Dominus ait: *Simon Johannis! diligis me plus his?* Vide modo, quia, nisi Dominum plus aliis discipulis dilexisset, nequaquam illum Dominus ita interrogasset. Ille autem, quia se cognovit hominem esse, nescivit aliorum intentiones, ideo dixit: *Domine, tu scis, quia amo te*, ac si diceret: Tu, quia Deus es, cognoscis, quis te plus diligit. Et iterum dic mihi, quis melior discipulus ex istis duobus, id est Petro et Johanne, inter illum, quem plus dilexit Jesus, et illum, quem minus? Dicis mihi: ille, quem plus dilexit Dominus. Ecce Johannes videtur melior esse quam Petrus. Ita et de istis duobus generibus monachorum, id est coenobitarum et anachoretarum potest conjicere, quia Petrus tenet figuram vitae activae, Johannes vitae contemplativae. Ergo sicut isti discipuli non videntur invicem sibi praecellere, ita et de istis generibus potest conjicere, unum alterum non posse praecellere. Sciendum autem est, quia sarabaitae in *hu* dixit[1]) esse accentum, hoc est, ut sarabāÿtae[2]) dicantur.

Cap. II.

QUALIS DEBEAT ESSE ABBAS.

Egregium enim ordinem tenuit B. Benedictus in hoc loco, eo quod prius dixit de generibus vel vita monachorum et postmodum subjunxit de sententia[3]) abbatis, qualis ille debet esse. Veluti quis, cum aliquod aedificium construere vult, fundamentum ponit, ita et B. Benedictus facere compro-

[1]) Forsitan nota scriptoris ad Hildemari sermonem.
[2]) non Sarabāÿtae.
[3]) essentia. Cod. Emmeram.

batur, cum prius de generibus monachorum dicit et post monasterialem normam descripsit; et post electionem coenobialis vitae quid aliud debuit inprimis describi nisi caput, cum descripturus erat et cetera membra? Et bene postquam coenobialem vitam elegit, de abbate, qui est caput, dixit, quia capite firmo et sano cetera membra vigebunt.

Sequitur: *Praeesse dignus est. Praeesse*, i. e. superesse. In hoc enim loco animadvertendum est, quia non dixit absolute *praeest*, sed *praeesse* cum adjectione *dignus*; ista enim adjectio, quae est *dignus*, admonet illum abbatem, ut interiora cordis sui consideret, ut cognoscat, utrum hunc honorem dignus sit accipere. Quod si se cognoverit dignum esse, referat gratias largitori suo; et si se invenerit indignum, jam ista cogitatio humilitas in illo esse cognoscitur. Deinde humilitate suscepta, ejecta superbia, ad hoc laboret et conetur, ut dignus inveniatur, quatenus sibi et auditoribus proficiat. Et non solum illum hortatur et admonet, illud considerare, verum etiam bona, quae discipuli sui agunt, indicare illis, quatenus illi, cum sua opera approbare magistrum cognoverint, arctius teneant, ut non perdant. Similiter etiam mala, si forte agunt, illis indicare magister studeat, ut illi, cum magistrum suum sua opera cognoverint reprobare, super his poenitentiam agant et de cetero emendent. Et hoc ita sive malum sive bonum illis manifestare studeat, ut illi pro bonis non se extollant et pro malis non desperent, et nec plus aut minus, quam oportet, illis sive mala vel bona indicare studeat, sed secundum competentiam unicuique dicat.

Sequitur: *Semper meminere debet abbas, quod dicitur*, i. e. semper recordari debet hoc, quod ab aliis dicitur, i. e. abbas, quia si semper illud recordatus fuerit, poterit implere, quod sequitur: *et nomen majoris factis implere*. In hoc loco, ubi dicitur *majoris*, subaudiendum est: dignitatis vel officii aut personae. Nunc videndum est, quomodo debet abbas nomen majoris factis implere. Ita enim implet factis suum nomen majoris, si sic, ut est primus in sedendo, primus in ambulando, primus in cetera distribuendo sive

disponendo, ita debet esse primus in humilitate, in jejunio, in silentio, in lectione, in caritate; et sicut est in corporalibus rebus, ita etiam in spiritalibus rebus.

Sequitur: *Christi enim agere vices in monasterio creditur.* Iterum videndum est, quomodo agat Christi vices in monasterio. Ita enim agit: Christus enim descendit de coelis et elegit apostolos; ad hoc elegit, ut illos amaret, sicut dicit ipse Dominus; ait enim: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Et iterum ad hoc elegit, ut illos doceret, sicut idem Dominus dicit: *Omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et iterum ideo apostoli elegerunt Dominum, ut diligerent illum, et obedirent ei: nam quod ideo elegerunt Dominum, ut diligerent illum, testatur Dominus, cum dicit illis: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos amatis me et credidistis mihi, quia a Deo exivi.* In hoc, quod dixit *amatis*, ostendit amorem apostolorum erga se, et in eo, quod dixit *credidistis*, ostendit obedientiam apostolorum. Vide modo, sicut Dominus elegit discipulos, ut amaret et doceret eos, ita et abbas monachos ad hoc debet eligere, si vicem vult agere Christi, ut illos diligat et doceat: nam si alias elegerit, non vicem Christi agit; ille autem videat, cujus vicem ita eligendo discipulos agat. Et iterum monachi ad hoc debent eligere abbatem suum, ut ament illum et obediant ei, sicut discipuli Christum; nam si aliter elegerint, i. e. non ut abbatem suum ament et obediant, non vicem discipulorum tenent, sed aliorum: illi videant, in quorum vice eligunt sibi abbatem. Nam idcirco praecipit S. Benedictus, abbatem novitium per unum annum probare, ut cognoscat abbas illum, si possit illum amare et docere, et similiter ille novitius debet providere per unum annum abbatem, quem amet et cui obediat. Nam iterum dico; nam si abbas, sicut diximus, non eligit monachos et in dilectione et doctrina Dei non habet illos, non abbas Christi, sed diaboli est abbas. Similiter et illi monachi, si non obedierint abbati aut dilexerint eum, non illum in vice Christi habent patrem. Et est sensus, cum dicit: *Christi enim vicem agere creditur in monasterio*, i. e. in vice Christi

creditur esse abbas in monasterio; et ubi dicit *creditur*, subaudiendum est: *ab aliis.*

Sequitur: *Quando ipsius vocatur praenomine dicente apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba, pater.* In hoc, quod dicit *praenomine*, ostendit, nomen et dignitatem Christi in monasterio abbatem habere. Dignitatem enim dico, quantum ad hominem attinet, quantum vero ad Deum, dignatio Dei est, eo quod Deus condescendendo nobis fecit se patrem nostrum, sicut jam superius diximus; praenomen enim nomen est dignitatis. Deinde quia S. Benedictus dixit rem grandem, cum dixit, abbatem vicem Christi agere in monasterio, idcirco illam firmavit hoc testimonio, quod dicit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater.* Paulus enim hoc jam baptizatis dicebat, et illis dicebat cum caritate, qui non cum timore serviebant; et hoc sciendum est, quia narrando Paulus dixit et indicavit illis, quia non spiritum servitutis acceperunt, sed spiritum adoptionis filiorum. Ubi animadvertendum est, quia debet unusquisque suam conscientiam inquirere, utrum Deo per timorem an per amorem servit; si autem cognoverit, se per timorem servire, tunc se cognoscat filiorum spiritum adoptionis non accepisse, sed spiritum timoris; si autem cognoverit, se per amorem servire, tunc se cognoscat spiritum adoptionis filiorum accepisse. Similiter et monachi, si per timorem obediunt abbati, tunc non est causa sua bona, quia non acceperunt spiritum adoptionis filiorum, sed timoris. Vide modo, sicut Paulus dicit, illos spiritum adoptionis Domini accepisse, in quo clamant Deum patrem, ita et monachi quasi spiritum adoptionis accipiunt ab abbate suo, quem sibi in vice Christi elegerunt patrem, in quo clamant illum patrem. *Abba* hebraica et syriaca lingua est, graeca vero et latina lingua *pater* dicitur. Quia cognovit B. Paulus apostolus, gentes suas epistolas esse lecturas, ideo dixit *Abba, pater*, ut unaquaeque gens in sua lingua haberet hoc nomen, quod est *pater.*

Sequitur: *Ideoque abbas nihil extra praeceptum Domini, quod absit, debet docere aut constituere vel jubere.* Istud

enim *ideo* ad superiorem sensum attinet, ac si diceret: Si abbas vicem Christi agere creditur, propterea non debet docere aut constituere vel jubere, quod absit, i. e. quod nunquam sit, contra praeceptum Domini; *extra praeceptum Domini* ponitur pro *contra praeceptum*; *extra* enim pro *contra* ponitur. *Docere* enim attinet ad doctrinam, quae est in scripturis divinis, ac si diceret: nihil aliud debet docere, nisi quod in textu regulae et in scripturis divinis invenitur. Sic enim B. Hieronymus dicit: *Cave prudens lector superstitiosam intelligentiam, ut non sensui tuo jungas scripturas, sed scripturae jungas sensum tuum, ut intelligas, quod sequatur. Constituere* vero attinet ad locos, qui constituuntur in monasterio. Et quomodo isti loci constitui possunt contra praeceptum Domini? Possunt etiam, si ita constituuntur, ut non honeste et recte constituantur, ita ut saluti animae in illis locis aliqua contrarietas generetur: recte et honeste constituuntur, ut fratres, qui ibi laborant aut quidquid agunt, possint sine contrarietate animae laborare. Verbi gratia, loci sunt, quos alii affectus (?) vocant, ut sunt isti, ubi fratres operantur manibus aut ubi lavantur, quando polluti in nocte fuerint, aut ubi legunt aut aliquid agunt, sicut diximus. *Jubere* vero attinet ad imperium, sicut imperat abbas monacho, vadere in aliquem locum aut aliquid agere. Talia enim jussa contra praeceptum Domini sunt, si in his praeceptis scandalum animae reperitur: illa enim studeamus discere in terris, quorum nobis notitia proficiat in coelis.

Sequitur: *Sed jussio ejus vel doctrina fermentum divinae justitiae in discipulorum mentibus conspergatur.* Nunc videndum est, quare S. Benedictus superius dixit tria, id est docere vel constituere vel jubere, et hic dixit duo, jussio et doctrina. Ideo non dixit *constitutio*, quia constituere attinet, sicut dixi, ad constitutionem locorum, quae magis ad exteriorem hominem attinet, eo quod ibi noster exterior homo corporaliter agit in illo, quamvis salus animae in illis possit reperiri: doctrina vero vel jussio ad cordis aures attinet, id est interioris hominis, eo quod per illum homo exterior percipit verba. *Fermenti* enim natura

est, omnem saporem farinae ad se trahere. Fermentum autem in malo et in bono ponitur; ponitur enim in malo, ut est illud: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi.* Fermentum enim ad veteris Adae conversationem attinet; Adam enim fermentum fuit in massa generis humani, quia sicut ille corruptus fuit, ita traxit omnem saporem generis humani, i. e. corrupit genus humanum. Sed Deus misertus humanae naturae misit aliud fermentum in terris, hoc est filium suum, qui faceret novam conspersionem, ut omnes, quotquot voluerint, salvarentur. Ille vero fecit novam conspersionem et traxit omnia ad suum saporem, sicut ipse dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* In hoc enim loco, ubi dicit *omnia*, subaudiendum est: electa. Et propterea Paulus dicit: *Expurgate vetus fermentum*, i. e. expellite a vobis veteris Adae conversationem, ut possitis suscipere novi Adae, qui est Christus. B. vero Benedictus, quia superius dixerat, abbatem vicem Christi agere, idcirco dicit nunc: *Jussio ejus vel doctrina fermentum divinae justitiae in discipulorum mentibus conspergatur*, ac si diceret: quia vicem agit Christi, ita debet trahere ad suum saporem omnem massam monachorum, sicut Christus traxit ad se omnia, hoc est per patientiam, per humilitatem, per doctrinam et ceteras virtutes. Ubi enim dicit fermentum, subaudiendum est: quasi ut sit fermentum divinae legis justitiae: fermentum enim tunc bene trahit saporem massae ad suum saporem, si prius fuerit comminutum atque minutatum: ita et abbas tunc recte poterit trahere voluntates et mores monachorum ad suum morem, si prius fuerit comminutus et contribulatus, hoc est, si compassionem et tribulationem fratrum suorum habuerit. Item fermentum, sicut Isidorus dicit, a fervore dictum est, quod plus prima hora non potest continere, crescendo enim excedit. De fermentis[1]) enim in scripturis divinis, sicut Beda dicit,[2]) pro dilectione ponitur.

[1]) de fermentis = fermentum.

[2]) expos. in Lucae Evang. cap. 13 v. 21.

Sequitur: *Memor semper abbas, quia doctrinae suae vel discipulorum obedientiae utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio.* Istud enim *vel* pro *et* positum est. Egregius enim ordo est in hoc loco in eo, quod superius admonuit abbatem, ut doctrina ejus vel jussio talis sit, quale fermentum divinae justitiae in mentibus discipulorum, et nunc subjunxit dicens: *Memor semper abbas, quia ille de doctrina sua, et monachi de obedientia sua reddituri sunt rationem in die judicii;* et ob hoc dixit solummodo abbati memorem esse, ut ille sollicitus sit de doctrina sua et discipulos suos reddat sollicitos de obedientia sua. Altero vero modo idcirco dixit, solummodò abbatem memorem esse debere, eo quod ille tam de sua doctrina quam de obedientia discipulorum suorum redditurus est rationem Deo in die judicii. Et propterea dixit: *(de) obedientia discipulorum suorum,* utrum sit perfecta an imperfecta obedientia, sicut et: *(de) doctrina abbatis,* si plus fuerit aut minor illa doctrina, quam debet. Nunc iterum videndum est, quare dicit *semper*, cum dixit: *memor abbas.* Ideo dixit *semper*, quia voluit B. Benedictus, ut nunquam a corde abbatis discussio ista, id est inquisitio ista recedat. Et iterum videndum est, quare dixit *tremendo*, cum sufficisset illi dicere: in die judicii facienda erit discussio? Ideo dixit *tremendo*, ut tremorem incuteret legentibus et audientibus hanc legem. Et quia voluit, ut abbas hanc discussionem manifestius et plenius cognosceret, idcirco hoc exemplum pastoris subjungere studuit: ait enim: *Sciatque abbas, culpae pastoris incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire,* ac si diceret: sicut paterfamilias inquirit diligenter pastorem ovium suarum de negligentiis earum, verbi gratia, inquirit eum:[1] Quare mortua est ovis mea? quare lupus rapuit illam? quare ovile non fuit bene copertum? quare, cum infirma fuit, non medicavit illi, vel quare forsitan flagellavit illam? et cetera his similia; quodsi pastor potuerit illi mittere rationem de infirma vel mortua

[1] sicut inquirit eum: ?

ove, tunc liberabitur, si vero non potuerit, poenae subjacebit: ita et Dominus faciet cum abbate. Paterfamilias est Dominus, pastor vero est abbas, oves autem intelliguntur monachi, tempus, quo missurus est abbas rationem, intelligitur vita futura, in qua debet abbas mittere rationem de negligentiis monachorum suorum. Et bene dixit: *quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire*, id est non solum de spiritali negligentia, verum etiam de temporali eorum necessitate missurus erit rationem; quodsi non poterit mittere rationem tam de spiritali quam de temporali negligentia eorum, tunc condemnabitur. Et hoc animadvertendum est, quia non liberabuntur monachi, cum abbas condemnatus fuerit, sed monachi condemnabuntur juxta meritum suum; abbas vero duplici poena luet, id est una pro sua negligentia, altera, quia illius negligentia non recta egerunt monachi. Si autem potuerit mittere rationem, quia non sua negligentia perierunt, tunc liberabitur, sicut in subsequentibus manifestat; ait enim: *tantum iterum erit liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa.* Vide modo, quia, sicut prius terrorem incussit abbati de ratione mittenda, ita nunc laetificare eum studet, dum dicit: *Tantum iterum erit liber.* Et cum dicit *liber*, subaudiendum est: a vinculis negligentiae monachorum. Animadvertendum est in hoc loco, quia *inquietus* et ad animam et ad corpus attinet, eo quod est inquietudo animae et corporis, et per inquietudinem corporis ostenditur inquietudo animae, et ex inquietudine animae procedit inquietudo corporis. *Inquieto*, id est non quieto. Inquietudo corporis est, cum monachus vagatur de loco in locum: inquietudo animae est, cum audit signum et tardius occurrit, vel negligenter agit ea, quae sibi injuncta fuerint, eo quod anima non est in suo statu, in quo debuit esse, sed quasi jam vacat.[1]) cum a sua rectitudine cecidit in negligentiam. *Omnis* pastoris *fuerit diligentia attributa.* Nunc videndum est, quare dixit *omnis*, cum dixit *diligentia?* Ideo dixit

[1]) vagatur. Cod. Emmeram.

omnis, ut non solum abbas debeat de diligentia spiritali studium habere, sed etiam de necessitate eorum temporali. Ideo enim dixit *omnis*, cum dicit *diligentia*, quia ad spiritalem et temporalem diligentiam attinere voluit: ad temporalem, sicut est domus, locus, cibus, potus, vestimentum, et caetera his similia. Quia si solummodo de spiritali diligentia et non temporali sollicitus fuerit, nil adjuvat, et iterum nil adjuvat, si solummodo de temporali necessitudine eorum sollicitus fuerit, (si) non [1]) spiritali. Sed tamen plus debet de spiritali diligentia studiosus esse quam de temporali. *Attributa*, id est impensa.

Sequitur: *morbidis eorum actibus fuerit universa cura exhibita*. Quod dicit: *morbidis actibus*, ad infirmitates mentis attinet, quia de corporalium infirmitatum cura inferius dicturus est. Et bene dixit: *morbidis actibus*, quia infirmitas animae per actiones corporis intelligitur, sicuti est, cum pigre ad officium venit et somnolentiam habet, et caetera his similia. *Morbidis actibus* intelliguntur: infirmis actibus, hoc est negligentibus operibus. Morbidi actus sunt opera negligenter facta et caetera vitia. Et hoc animadvertendum est, quia iste morbus, id est infirmitas, ex infirmitate animae procedit, quia sicut corpus habet infirmitates suas, id est febrem et caetera his similia, ita habet anima suas infirmitates, id est iram, furorem, indignationem et caetera his similia: et quantum plus fuerint opera negligenter facta, tanto ex majore infirmitate animae descendunt. Quod si majora vitia fuerint quasi poenae (paene?) morte [2]) infirmitates majores intelliguntur. Nam cum videris fratrem negligentem, cognosce, ejus animam esse infirmam. Et hoc animadvertendum est, quia unum significat istud, quod hic dixit: *universa cura fuerit exhibita*, et illud, quod superius dixit: *omnis diligentia attributa*: et ob hoc hic illud replicavit causa exaggerationis verborum.

1) sine. Cod. Fürstzell.

2) mortis. Cod. Fürstzell. Mortem. Cod. Emmeram.

Fortasse legendum est ita: *Quod si majora vitia fuerint quasi paene mortis infirmitates majores intelliguntur*

Sequitur: *Pastor eorum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino. Absolutus*, subaudiendum est: *a vinculis negligentiae discipulorum suorum. Dicat* positum est pro *dicet*.

Sequitur: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Justitia* enim in hoc loco pro generali justitia est posita, quae ad omnes virtutes attinet, veluti est illud Prophetae; ait enim: *Indicabo tibi, o homo, quid Dominus tuus requirat a te, judicium et justitiam, et ambulare sollicitum cum Deo tuo.* Quasi errans genus humanum a Deo, idcirco dixit: *Indicabo tibi.* Judicium vero est discernere inter bonum et malum, justitia autem est, recedere a malo et facere bonum. *Ambulare sollicitum* dixit, ut sollicite custodiat bonum, quod agit; *veritas* vero attinet ad Deum, quia ipse dixit: *Ego sum via, veritas et vita:* et iterum attinet ad specialem virtutem, de qua dicit Apostolus: *Veritatem loquimini unusquisque ad proximum suum,* ac si diceret: Nolite mentiri invicem. *Salutare* enim attinet ad Christum, de quo dictum est: *Salutare tuum da nobis,* et potest referri ad praecepta divina, quia salutaria sunt. Et est sensus, cum dixit: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi*, i. e. dixi illis recedere a malo et facere bonum, et praecepta tua indicavi illis, necnon et te ipsum illis manifestavi.

Sequitur: *Ipsi autem contemnentes spreverunt me. Contemnere*, i. e. spernere, i. e. rejicere vel repellere. Tunc contemnit quis, quando non vult audire praeceptum; spernit autem, quando ea, quae audit aut habet forte, de corde suo repellit: quia aliud est, in domum non sinere intrare, sicut est contemnere, et aliud, si susceptum habet, de domo sua rejicere. Et est sensus, cum dicit: *Ipsi autem contemnentes spreverunt me*, i. e. noluerunt audire, et si audierunt, a cordibus suis ea, quae dixi, expulerunt.

Sequitur: *Et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens ipsa mors. Tunc demum*, i. e. tunc, deinde, postea; *curae suae*, i. e. saluti suae. *Curae suae* attinet ad spiritalem salutem et ad salutem

corporis, verbi gratia, tunc non obediunt curae suae, cum praeceptis divinis, quae salutem hominibus se observantibus praebent, non oboediunt; vel tunc non oboediunt saluti suae, cum sibi servitium aut necessitas sive pro infirmitate sive pro sanitate impensa fuerit, et illi, cum debent pro illo servitio vel necessitate sibi impensa in melius proficere, non solum non proficiunt, verum etiam in pejus proveniunt. *Sit poena sua praevalens eis ipsa mors*, ita enim construitur, i. e. tunc sit, hoc est fiat poena, subaudiendum est, sua ipsa.[1]) *Praevalens mors*: *Praevalens*, i. e. valde valens. Et est sensus, cum dicit: *Tunc demum inobedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens ipsa mors*, i. e., quantum minus studium vel minorem curam habuerint erga salutem suam tam spiritalem quam etiam corporalem, tantum majorem poenam habebunt, et propterea dicit *curae suae*, i. e. salutis suae.

Sequitur: *Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis.* Istud enim *ergo* ex superioribus pendet, ubi B. Benedictus dicit: *Memor semper abbas, quia doctrinae suae vel discipulorum obedientiae utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio*, ac si diceret: Si ita est, ut ille abbas tam de sua doctrina quam de obedientia discipulorum suorum redditurus erit[2]) rationem, ergo, qui suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis, i. e. omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat, videlicet prius bona faciendo et postmodum verbis docendo. Sunt enim multi, qui dicunt, solummodo esse doctrinam verbis, et iterum sunt alii, qui dicunt, solummodo esse doctrinam operibus. B. vero Benedictus quia cognovit, utrumque esse necessarium, i. e. doctrinam, quae verbis fit, et doctrinam, quae operibus, idcirco dixit *duplici doctrina*, i. e. doctrina, quae fit verbis, et doctrina, quae operibus. Et ut ad superiora redeamus, ubi dicitur: *omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat*: quia magis

[1]) cf. cod. Emmeram.
[2]) sit. Cod. Emmeram.

doctor actibus quam verbis praeesse debet, docet B. Gregorius in libro pastorali hoc modo dicens, ait enim: *Sed inter haec ad ea, quae jam diximus, caritatis studio retorquemur etc. . . . . operibus clament.*[1])

Unde subditur, id est: *omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat.* Nunc animadvertendum est, quare praemisit *omnia*, cum dixit *bona et sancta?* Ideo dixit *omnia*, quia nil excludit abbati, hoc est, non secundum quod abbas eligit aut ei libitum solummodo fuerit, sed omnia debent esse bona et sancta, hoc est, quae in scripturis divinis repererit hoc est secundum auctoritatem divinarum scripturarum. In hoc enim loco, quo dicit: *factis amplius quam verbis ostendat*, utrumque vult S. Benedictus, id est doctrinam verborum et operum. Sed quia sunt multi, qui non possunt utrumque peragere, id est doctrinam verborum et operum, ideirco dixit: *factis amplius*, ac si diceret: utrumque debet peragere, sed quamvis utroque modo debet praeesse, tamen magis factis: et si periculum est in illo, qui factis solummodo praeest, tamen magis periculum est in illo, qui solummodo verbis praeest, ac si diceret: et doctrina et opere debet praeesse, maxime opere. Nam quod utrumque necessarium sit, id est doctrina verborum et doctrina operum, plurima habemus exempla. Legitur enim de Domino Jesu, quia coepit Jesus facere et docere. Vide modo, quia prius dixit facere, et postmodum docere. Et iterum: *Erat autem Jesus docens in synagogis eorum quasi potestatem habens, non sicut scribae eorum.* Sermo scribarum non habet potestatem, quia non complent opere, quod verbis dicunt: sermo autem Domini habet potestatem, quia prius opere complebat et postmodum verbis praedicabat. Unde unusquisque, membrum ejus, si caput suum vult sequi, hoc, quod verbis praedicat, opere compleat. Et quod utrumque sit necessarium, testatur Papa Gregorius, cum dicit: *Cujus vita despicitur, restat, ut ejus praedicatio contemnatur.* Et

1) cf. Migne, tom. 77, col. 124. 125, regulae pastoral. tertiae partis c. 40.

B. Hieronymus dicit: *Utrumque enim Dei servis necessarium est, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur.*

Sequitur: *Ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde et simplicioribus factis suis divina praecepta demonstret.* In hoc enim loco, cum dicit: *ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat,* reddit causam, quare debeat ille abbas duplici doctrina praeesse suis discipulis, ac si diceret: aliis praeesse debet verbis, aliis autem discipulis operibus. Et bene dixit, capacibus discipulis mandata Domini verbis proponere, quia sunt aliqui subjecti, qui in quibusdam operibus praeeunt abbatem suum, et idcirco inconsequens est, ut abbas, quos gaudet habere praeeuntes, velit eos habere sequentes. Et forte dicit aliquis: quare superius dixit *factis amplius*, et nunc dicit *verbis?* Ideo dixit *verbis*, quia sunt multi, qui quamvis propter aliquod impedimentum non possunt complere opere, quod verbis praedicant, tamen devotione complent. Unde quia ipsam perfectionem devotionis non possunt operibus manifestare, idcirco verbis manifestant. Duri corde sunt, qui intelligunt et nolunt complere. Simpliciores sunt, qui intelligunt et non possunt. Duri sunt, qui non intelligunt et possunt intelligere: sed pejores sunt illi, qui possunt intelligere et nolunt, quam illi, qui nec intelligunt nec intelligere possunt. Simpliciores sunt, qui non intelligunt, sed volunt, aut volunt et non possunt intelligere,[1] sicut diximus. De hac varietate qualitatis uniuscujusque hominis docet B. Gregorius hoc modo dicens: *Alius etenim celsitudinem bene vivendi appetere et vult et valet, alius nec vult nec valet, alius vult et non valet, alius valet et non vult.* Et bene dicit, istis praecepta divina factis ostendere, ut illi, sive qui intelligunt et nolunt operari, sive qui non intelligunt et volunt facere, in ejus actione legant, quid agere debeant.

Sequitur: *Omnia vero, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda*, ac si diceret:

[1] complere (?)

[illegible]

Quidquid docuerit, discipulis esse contraria, ipse non agat; tunc enim indicat non agenda in suis factis, cum ipse illa non agit.

Sequitur: *Ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur.* Nunc reddit causam, quare debeat ille abbas in suis factis indicare non agenda contraria discipulis, cum dicit: *ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur*, ac si diceret: idcirco non debet ille abbas agere ea, quae discipulos docuerit non agere, ut non inveniatur reprobus. Istud, quod nunc dicit: *ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur*, de Paulo apostolo sumpsit. Dixerat hoc Paulus apostolus Corinthiis tempore, quo pseudoapostoli surrexerunt et dicebant Corinthiis, Paulum apostolum falsum apostolum esse et non vidisse Dominum et non vera praedicasse, et seducebant multos Corinthios et separabant se a praedicatione Pauli. Paulus apostolus cum hoc cognovisset, idcirco dixit illis: *Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes* et reliqua, et pervenit usque ad illum locum, ubi dicit: *Castigo corpus meum et servituti redigo, ne, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*, ac si diceret: Miror vos, o Corinthii, quare suscipitis voluntarie insipientes, cum sitis sapientes: in me potestis illos cognoscere, quia illi falsi et stulti sunt, id est, si ego idcirco corpus meum castigo et servituti illud redigo, ne reprobus inveniar, ergo illi reprobi sunt, quia falsum dicunt et nolunt operibus complere, quod verbis praedicant.

Sequitur: *Ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum, tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te.* *Ne quando*, id est ne aliquando: *peccanti*, i. e. dicenti et non facienti. Apte et congrue dicit nunc: *Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum, tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te.* Quia dederat superius de bonis praedicatoribus exemplum, [et] nunc subjunxit de malis alterum exemplum. Justitia enim in hoc loco pro generali justitia ponitur, quae ad omnes virtutes attinet, veluti est

illud: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* *Testamentum* autem in hoc loco tam de veteri, quam de novo testamento dicitur; testamentum vetus ideo dicitur, quia veteribus hominibus, i. e., qui ad veteris Adae conversationem attinebant, novum autem testamentum ideo dicitur, quia novis hominibus datum est, i. e., qui ad novum hominem attinent, id est Christum. Sic enim dicit B. papa Gregorius [1]: *Novus homo venit in mundum, nova praecepta edidit (dedit?) mundo.* Disciplina autem est omnium mandatorum Dei custodia: et est sensus, cum dicit: *Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* O peccator! quare tu audes vel praesumis, per os tuum mea praecepta dicere, cum tu non facis ea, quae dicis? Nunc animadvertendum est, quomodo potest quis sermonem Dei retrorsum ejicere, cum ille sermo non est corporalis, sed nec materialis? Verum potest rejici, verbi gratia, nos illam rem, quam amamus et diligimus, ante oculos nostros ponimus; etiamsi ante oculos non sit, tamen oculo cordis illam intendimus. Et rem, quam non diligimus, post dorsum rejicimus, et quamvis in praesentia sit, tamen oculos cordis ab illa avertimus. Ita et spiritaliter; tunc enim quis praeceptum et sermonem Domini post se projicit, cum non vult illum implere, sicuti est illud: *Verterunt ad me dorsum et non faciem.* Quid est, quod dicit Dominus? Quomodo potest quis dorsum in faciem Dei ponere, cum Dominus ubique sit et undique? Ille dorsum in faciem Domini ponit, qui illum non diligit nec sermonem ejus opere complet.

Sequitur: *Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti?* Hoc autem Dominus in Evangelio dicit; ait enim: *O hypocrita! prius ejice trabem, quae est in oculo tuo, et tunc perspicies educere festucam de oculo fratris tui.* Per trabem intelligitur inveterata ira. Bene per trabem intelligitur inveterata ira, quia sicut arbusta vel virgultum per augmentationem temporis adeo sumit

[1] hom. 32 in evangel.

robur et fortitudinem, ut arbor sit, ita et inveterata ira, quae per augmentationem temporis adeo sumit robur et fortitudinem, ut merito nomine trabis nuncupetur. Per festucam vero intelligitur ira, quae ad tempus est. Et hoc animadvertendum est, quia non dat Dominus regulam pro uno peccato, ut tantum de uno debeat intelligi, sed per unum peccatum omne vult intelligi, sicuti est in hoc loco, per iram inveteratam vult intelligi omnia peccata majora, per iram ad tempus vult intelligi omnia minora peccata. Et est sensus, cum dicit: *Qui in oculo fratris tui festucam videbas, in tuo trabem non vidisti*, i. e. quare prius, o hypocrita, non ejecisti majora peccata, i. e. iram et caetera his similia de corde tuo, quod per oculum intelligitur, cum alium de minoribus peccatis arguebas? Nunc vero quasi aliquis interrogasset S. Benedictum dicens: Ecce, pater Benedicte, dedisti exemplum de bonis et malis praedicatoribus, nunc rogo, ut dicas, quid agendum sit abbati. Ille vero quasi respondens dicit: *Non ab eo persona in monasterio discernatur.* Nam quid sit: *non ab eo persona in monasterio discernatur*, inferius manifestat, cum subdit: *Non unus plus ametur, quam alius*, hoc est, non personam in monasterio discernere, i. e. non unum plus amare quam alium. Et reddit causam, quem debeat diligere, cum subdit: *nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem.* Istud enim, quod dicitur: *bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem*, tribus modis intelligitur. Uno enim modo intelligitur ita: si enim velis, ut istud *aut* habeat suum vigorem, i. e. distinctionis, *bonis actibus* intelligitur obedientia sapienter facta et studiose, *obedientia* vero ponitur pro obedientia simpliciter facta: verbi gratia, duo sunt fratres, unus sapiens et intelligibilis, alter autem est simplex: et injungitur obedientia sapienti et simplici: ille sapiens agit illam obedientiam sapienter et studiose, simplex autem, sicut intelligit, peragit illam obedientiam, et propterea, quia sapiens sapienter egit et nobiliter, vocatur ejus obedientia actus bonus, et in isto simplici, quia simpliciter peregit suam obedientiam, vocatur pro simplicitate ejus

tantum obedientia. Altero modo intelligitur: si velis ut istud *aut* habeat vigorem suum, *actibus bonis* ponunt pro *actibus spiritalibus*, veluti sunt lacrimae, jejunium, orationes, mortificationes, et cetera his similia; *obedientia* vero ponitur pro exercitio manuum. Si autem ponitur istud *aut* simpliciter pro *et*, tunc *bonis actibus* et *obedientia* simpliciter pro obedientia posita esse intelligendum est.

Sequitur: *Non praeponatur ingenuus ex servitio convertenti.* Perseverat adhuc B. Benedictus in reddenda ratione, de qua interrogatum esse superius intelleximus, cum dicit: *non praeponatur ingenuus ex servitio convertenti*, ac si diceret: si servus venerit prius et liber postea, propter libertatem illius non debet praeponi servo, quia servus est; et reddit causam, pro qua debeat praeponi, si illum abbas superponere voluerit servo, cum dicit: *nisi aliqua causa rationabilis existat.* Istud enim, quod dicit *rationabilis causa*, duobus modis potest intelligi; uno enim modo intelligitur rationabilis causa de illa, quod[1]) superius dixerat: *in bonis actibus et obedientia invenerit meliorem*, quod magis ad hoc attinet. Altero autem modo intelligitur rationabilis causa, quantum ad humanam aestimationem attinet istud, verbi gratia est monasterium, in quo omnes sunt graeci et nullus eorum scit latinam (linguam) nisi unus, et ipse ordine minor est. Deinde venit hospes latinus, qui ignorat graecam locutionem: sedet abbas et fratres cum hospite. Non est enim honestum in illo loco, ut minimus illorum fratrum sedendo in ultimo loco respondeat hospiti latino, qui superius sedet tacentibus aliis fratribus, sed, sicut dixi, juxta humanam rationem rationabilis causa est, ut ille minimus, quia potest hospiti respondere, promoveatur superius et sic loquatur hospiti. Similiter rationabilis causa est, ut de omnibus artibus ita fiat. Et iterum rationabilis causa est, ut frater, qui bene potest cantare, promoveatur in choro, et lector in illo loco, ubi necessitas cogit lectionis, promoveatur. Et hoc animadvertendum est, quia si frater promoveatur propter

[1]) quam Cod. Emmeram.

illud, quod B. Benedictus superius dixit, i. e. *bonis actibus et obedientia* in omnibus locis,[1]) i. e. in refectorio, in capitolio et reliq. Illi vero, qui pro cantu vel lectione aut lingua aut artificio promoventur, tantum in illis locis promoveantur, ubi necessitas cogit solummodo. Et hoc animadvertendum est, quia etiam pro illo, quod superius S. Benedictus dicit, non facile promoveatur, nisi alicujus utilitatis fuerit. Hoc etiam notandum est, quia ille in omnibus promoveri debet, qui vita bonus est, i. e. qui sanctam conversationem habet, qui zelum Dei habens aliis proficere potest et adjutor esse prioris. Quod si vita fuerit negligens et sapuerit artem, i. e. cantum, ibi promoveri debet, ubi solummodo necessitas exigit, hoc est in choro, aut ubi necessitas illius artis, quam sapit, exposcit: in reliquis vero locis ordinem suum sequatur. Si autem fuerint duo, qui aequales sunt de bona conversatione, tamen si unus ex illis est artifex, veluti est cantor, ille pro cantu in omnibus promovendus est in choro, et non solum in choro, sed etiam in omnibus locis, hoc est in refectorio et in omnibus, sicut superius diximus.

Sequitur: *Quod si ita justitia dictante abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat.* Hoc autem ita debet construi: quod si ita abbati visum fuerit dictante justitia, id faciat, ac si diceret: si sic visum fuerit dictante, hoc est admonente justitia, ut dignus sit frater promoveri, promoveat illum. Justitia autem in hoc loco pro speciali justitia[2]) ponitur: justitia enim dicitur quasi *juris status*, eo quod unicuique jus suum tribuit. Jus, i. e. meritum. Nunc autem animadvertendum est, quare dicit *de quolibet ordine*, cum adhuc de ordine non dixit? Mos est sanctorum praedicatorum hoc facere, i. e. anticipare ea, quae inferius plenius dicturus est,[3]) quod maxime Evangelistae faciunt, i. e. praeponenda supponere et supponenda praeponere. *De cujuslibet ordine* cum dicit, ostendit, unum ordinem esse de

[1]) promoveri debet. Cod. Emmeram.
[2]) virtute. Cod. Divionens. ex Marten.
[3]) dicturi sunt. Cod. Emmeram.

his, qui laici veniunt in monasterio. Alter ordo est sacerdotum, alius monachorum peregrinorum. De infantibus non dicit. De istis ordinibus potest praeponere et supponere per rationabilem causam, hoc est clerici possunt presbyteris praeponi et monachis peregrinis.[1])

Sequitur: *Sin alias, propria teneant loca*, hoc est, nisi propter istam rationabilem causam nullus promoveatur; si enim propter honorem aut libertatem saeculi promoverit, non est abbas Dei, sed saeculi aut diaboli abbas est.

Sequitur: *Quia sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus.* Nunc reddit causam, quare debeant propria loca tenere, cum dicit: *quia sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus.* Hoc, quod nunc dicit B. Benedictus, sensum apostoli Pauli exprimit; dixerat enim hoc apostolus Paulus: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis; non est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina, sed omnes vos unum estis in Christo Jesu.* Cum enim dicit: *Unum estis*, subaudiendum est: corpus. In hac quippe regeneratione spiritali non est sexus, hoc est, sicuti femina baptizatur, ita et masculus. Non sunt duae conditiones, hoc est, sicuti servus baptizatur, ita et liber, sicut pauper, ita et dives. Non est Judaeus, neque Graecus, id est, sicut Judaeus baptizatur, ita et Graecus; sed omnes unum sumus i. e., unum corpus, quia non personae discernuntur, sed omnes solummodo secundum meritum discernuntur, non propter sexum, non propter conditionem, non propter sapientiam aut propter potentiam discernuntur. In generatione hac carnali inveniuntur sexus, inveniuntur conditiones, quia secundum sexum discernuntur et secundum conditiones et secundum potentiam discernuntur. Vide modo, quia sicut in regeneratione spiritali non discernitur apud Deum quisquam propter aliquid, sed tantum propter meritum, ita et abbas in monasterio, quia vicem Christi agit, non

[1]) Clerici possunt praeponi et presbyteri et monachi peregrini. Cod. Emmeram.

debet pro aliqua causa discernere, nisi tantum propter meritum.

Sequitur: *Et sub uno domino aequalem servitutis militiam bajulamus*, hoc est, aequaliter nos Deus creavit, ut aequaliter illi servire debeamus. Quod vero dicit: *Omnes aequaliter servitutis militiam bajulamus*, quantum ad naturam creationis attinet, omnes aequaliter sumus servi, quia nos omnes ille creavit, et ideo sumus illi aequaliter servi, quantum ad creationem attinet. Similiter etiam secundum hoc praeceptum, quod dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua*, omnes aequaliter debemus illum diligere. De servitute vero alia, quae operibus exercetur, non omnes aequaliter illi servimus, quia alii minus, alii plus illi servimus;[1]) nam istam conditionem saeculi, hoc est servi, homines invenerunt. Servi autem vocabulum inde traxerunt, quod hi, qui jure belli possent occidi a victoribus, cum conservabantur (a victoribus), servi fiebant, a servando scilicet *servi* appellati.

Sequitur: *Quia non est apud Deum personarum acceptio*. Nunc reddit causam, quare unum sint omnes in Christo, cum dicit: *Quia non est apud Deum personarum acceptio*.

Sequitur: *Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur*.

Perseverat adhuc B. Benedictus in intentione sua monstrandi discretionem electionis personae, cum dicit: *Solummodo in hac parte*, et reliqua. Quia superius dixerat, vicem Christi agere in monasterio, ideo nunc docet illum, qualiter Christus eligit unumquemque, ut ille, sicut Christus facit, similiter faciat. *Solummodo*, id est tantummodo: *in hac parte*, subaudiendum est: *Dei*. In hoc, quod dicit Dei partem, subintelligitur, pars (partem?) esse saeculi. Bene dixit: *In hac parte tantum discernimur, si meliores ab aliis et humiles inveniamur*, quia, sicut jam diximus, solummodo propter meritum discernimur: nam in saeculi parte discer-

1) serviunt. Cod. Fürstzell.

nimur sexu, aetate, conditione et reliq. Animadvertendum est, quia istud, quod hic dicit: *meliores ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur*, et illud, quod superius dixit: *in bonis actibus et obedientia invenerit meliorem*, unum significat. Sed tamen videtur esse contrarietas in eo, quod hic dixit *humiles*, et illic dixit *obedientia*. Sed non est contrarium, quia istae tres virtutes, id est caritas, humilitas et obedientia adeo sibi sunt concatenatae et conjunctae, ut una sine altera esse nequeat: nam ubi caritas est, ibi humilitas et obedientia, et ubi humilitas, ibi caritas et obedientia, et ubi obedientia, ibi caritas et humilitas est. Unde nostri doctores, quia istae tres virtutes inseparabiliter sibi sunt conjunctae, illas pennato animali[1]) adsimilaverunt, eo quod sicut illud animal pennatum non potest recte solummodo corpore sine duabus alis subsistere, ita non potest caritas solummodo, quae est corpus virtutum, sine his duabus virtutibus recte existere.

Sequitur: *Ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas.* Istud enim *ergo* ad superiorem sensum respicit, ubi dicit: *non unus plus ametur, quam alius.* Et est sensus, cum dicit: *ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas*, quia vicem Christi agit, non debet unum plus amare quam alium: ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas. In hoc enim loco videtur sibimet S. Benedictus contrarius in eo, quod hic dicit: *aequalis sit ab eo omnibus caritas*, et superius dixit: *nisi quem in bonis actibus aut obedientia invenerit meliorem*, et inferius dicturus est: *alium blandimentis, alium increpationibus, alium suasionibus, et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet et aptet.* Jam si secundum superiorem sensum plus debet diligere bonum quam malum, et secundum inferiorem sensum unicuique secundum qualitatem vel intelligentiam suam debet se conformare et aptare, quomodo potest aequaliter omnibus caritatem praebere? Non est contrarium, sed discretum doctorem requirit. Discretus enim doctor scit, duobus

[1]) animali deest Cod. Mellicens. et Fürstzell.

modis fieri caritatem, uno modo solummodo in corde, altero vero modo in corde et opere. Secundum vero illum modum, in quo caritas solummodo in corde sit, servat hunc locum, in quo dicit: *aequalis sit ab eo omnibus caritas*, eo quod aequaliter optat, omnes, i. e. bonos et malos ad paradisi gaudia pervenire. Secundum vero alterum modum, in quo caritas sit in corde et opere, observat sensum superiorem, in quo dicit, bonos plus amare, quam malos, necnon etiam inferiorem, ubi dicit: *secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam se omnibus conformet et aptet*, eo quod bonos plus diligit, quam malos, et retribuit unicuique secundum meritum suum. Potest etiam caritatem omnibus aequaliter praebere et debet omnibus illis, quos aequaliter cognoverit esse meliores, caritatis bonum aequaliter impendere. Verbi gratia, invenit abbas aequaliter bonos; nam si istos, qui aequaliter sunt boni, non aequaliter dilexerit, non est aequus abbas, quia magis iniquitatem[1]) agit, quam aequitatem, sicuti si cum bonos et malos aequaliter diligit secundum illum modum, quo caritas sit in corde et opere.

Sequitur: *Una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina.* Quid est, quod dicit, ut una disciplina omnibus secundum merita praebeatur, cum inveniuntur multi mali unum meritum, i. e. unam culpam habere: verbi gratia, sunt quatuor fratres in monasterio, qui sunt reperti in vitio gulae, i. e. consuetudinem habent, ante horam ire in refectorium et aliquid cibi potusque percipere, et tamen unus ex illis est jam excommunicatus et publice correptus et bis admonitus. Alter vero solummodo duos habet gradus, cum publice correptus est, et alius solummodo bis secrete admonitus est, alius autem solummodo semel admonitus est. Numquid debet unam disciplinam omnibus istis praebere? Non, sed debet ille abbas in istis inspicere tempus, ut qui saepius correpti sunt, majorem disciplinam suscipiant, quam illi, qui non saepius correpti sunt, et intentionem uniuscujusque, qua intentione hoc malum fecerint, debet atten-

[1]) inaequalitatem. Cod. Tegerns.

dere: nam si omnibus istis aequaliter unam disciplinam praebuerit, sine dubio non bene agere se manifestabit. Nam potest etiam omnibus aequaliter unam disciplinam praebere isto modo, verbi gratia, si quatuor mali fuerint inventi in aequali temporis augmentatione positi, et in intentione aequali, istos omnes aequali disciplina debet abbas mulctare, hoc est, judicare.

Sequitur: *In doctrina sua namque abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa.* Forma enim dicitur ab informando, eo quod unamquamque rem, cui impressa fuerit, ad similitudinem sui videtur reddere. Et bene disciplinam apostolicam formam nominavit, quia, si disciplina abbatis ei impressa fuerit, illam ad similitudinem suam exhibet.[1]) Nam hoc, quod dicit: *Argue, obsecra*, Paulus apostolus cuidam discipulo suo dicit. Sed non est hic laborandum, eo quod inferius idem B. Benedictus exponit, ait enim: *Id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta.* Miscere enim duobus modis intelligitur: (miscere dicitur) *ministrare*, veluti cum dicimus: miscuit vinum, i. e. ministravit vinum. Et iterum miscere dicitur *simul mittere*, veluti cum dicimus: miscuit aquam vino, i. e. simul misit aquam et vinum. Tunc enim miscet abbas tempora temporibus, cum tempore dandi disciplinam videns fratrem propter nimium furorem aut aliam aliquam malitiam suam solummodo non posse ejus disciplinam suscipere, differt illud tempus ad aliud tempus, in quo tranquillo animo valeat ejus disciplinam suscipere: et cum hoc facit abbas, tunc miscet tempus tempori, i. e. tempus furoris cum tempore tranquillitatis. Qualiter autem debeat miscere abbas tempus tempori, docet B Gregorius hoc modo dicens, ait enim: *Neque enim etc. . . . morsu asperae increpationis tenent.*[2]) De hoc quippe asperae increpationis morsu docet iterum Beatissimus Gregorius ita dicens, ait

[1]) Fortasse corrigendum est ita: *quia disciplina abbatis, cui impressa fuerit, illam ad similitudinem suam exhibet.*

[2]) cf. Migne, tom. 76, col. 538, num. 27. (moral. lib. 30, in cap. 38. B. Job. v. 40.)

enim [1]): *Perturbati quippe quid audiant, ignorant, sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriae omne rectum, quod dicitur, perversum videtur. Unde et Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum, quod fecerat, cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audicit.* In hoc enim loco, ubi dicit: *Terroribus blandimenta*, subaudiendum est: misce. Istud enim quod dicit: *terroribus blandimenta*, ad distinctionem personarum non est difficile, eo quod malis debet terrorem ingerere, bonis autem blandimenta; sed cum in una eademque persona hoc debet fieri, valde est difficile. Vide modo, quia hoc, quod B. Benedictus dicit: *terroribus blandimenta*, Dominus per Moysen figuraliter dicit: *Non accipies in loco pignoris a fratre tuo molam inferiorem et superiorem.* Per debitorem intelligitur peccator, per molam inferiorem intelligitur timor et per molam superiorem intelligitur blandimentum. Ita autem debet rector temperare suam praedicationem, ut nec semper debeat ingerere suo auditori timorem, eo quod si semper territus fuerit, desperabit, et si semper illum fuerit blanditus, non corrigitur.

Sequitur: *Dirum magistri pium patris ostendat affectum.* Sunt enim alii libri, qui habent: *Diri magistri et pii patris ostendat affectum.* Secundum vero superiora verba ita construitur, hoc est: Ostendat aliquando dirum affectum magistri, aliquando ostendat pium affectum patris. Secundum inferiora verba construitur ita: aliquando ostendat diri magistri affectum, aliquando ostendat pii patris affectum, ac si diceret: aliquando se debet ostendere sicut dirum magistrum, aliquando vero sicut pium patrem. *Dirum* intelligimus severum et crudelem, i. e. indisciplinatos et inquietos debet durius arguere. Usque nunc B. Benedictus quasi massam suae dispositionis fecit de *arguere et obsecrare* atque *increpare.* [2])

[1]) regulae pastor. lib. part. 3. cap. 16.

[2]) de arguendo et obsecrando et increpando. Cod. Emmeram.

quae superius dixit, i. e. in unum comprehendens dixit; nunc autem singillatim exponit, cum dixit: *id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere.* Indisciplinatus tribus modis dicitur, uno enim modo dicitur indisciplinatus ille, qui non intelligit, hoc est, non verecundatur disciplinam, i. e. excommunicationem; altero vero modo indisciplinatus dicitur ille, qui intelligit, hoc est, verecundatur excommunicationem, et tamen cupidine peccati iterum labitur in illud peccatum: tertio vero modo dicitur indisciplinatus ille, qui sive intelligat, sive non intelligat, hoc est, verecundetur, tamen dicit, se nolle suscipere disciplinam. Hic talis est expellendus de monasterio, ita tamen, si ille laicus venit de seculo et iterum vult reverti ad seculum: nam si in illo monasterio crevit et didicit ordinem monachorum et vult ad pejorem conversationem ire et hoc abbas perpenderit, quia ita est, non debet expelli, ut ad pejorem conversationem vadat, sed debet mitti in carcerem, ut ibi tamdiu stet, donec cupiat manere in monasterio et suscipere ejus disciplinam. Si vero cum secrete admonitus fuerit iste indisciplinatus [et] dixerit, se nolle hanc disciplinam suscipere, debet hoc nuntiari abbati, abbas vero debet eum secrete ad se vocare et ei dicere: *Quare non suscepisti hoc, quod tibi iste frater dixit?* Si vero ille dixerit: *Mea culpa, in quod male egi,* debet illi remittere. Et iterum si in eodem peccato inventus fuerit, debet secrete admoneri: et si iterum in eodem peccato inventus fuerit, debet publice admoneri. Nam si coram abbate, quando eum abbas, sicut superius dixi, admonuit, dixerit persistens in prava sua voluntate: *Non hoc suscipio,* si iterum inventus fuerit, non jam secrete, sed publice corripiatur: et si, cum publice correptus fuerit [et] dixit: *Nolo suscipere hanc disciplinam,* tunc abjiciatur de monasterio.

Sequitur: *Inquietos.* Sicut est inquietudo corporis, ita est et inquietudo mentis. Inquietudo corporis est vagatio de loco in locum: inquietudo mentis instabilitas mentis. Inquietus quatuor modis dicitur. Est inquietus mente et corpore: iterum est inquietus mente et quietus corpore.

Istum quis non potest arguere, eo quod non agnoscitur, quia est hypocrita. Est iterum quietus mente et inquietus corpore: iste bonus est, idcirco non debet argui, quia causa obedientiae est inquietus corpore. Ille vero inquietus mente et inquietus corpore dividitur in duobus modis. Est inquietus mente et inquietus corpore causa obedientiae. Est inquietus corpore, sed tamen ex delectatione mentis obedit et idcirco non potest argui, quia velamento obedientiae suam inquietudinem mentis operit. De hac namque obedientia B. Gregorius nobiliter docet hoc modo dicens, ait enim: *Et dederunt ei unusquisque . . . . metalla transcendat.* [1])

Inquietus autem mente et corpore, iste solus est sub judicio, si sine obedientia est, quia ejus mentis inquietudo ostenditur per inquietudinem corporis, et ejus corporis inquietudo de animae procedit inquietudine. Iste talis nec in uno loco potest stare: propter suam inquietudinem debet durius argui. [2])

Sequitur: *Obedientes autem et mites atque patientes, ut in melius proficiant, obsecrare.* Obedientes dicuntur quasi *obaudientes*, quia, quod aure audiunt, opere complent. Obedientes tribus modis dicuntur; sunt enim multi obedientes, qui solummodo abbati vel caeteris prioribus sunt obedientes aut causa timoris aut adulationis et reliq., et tamen aliis recusant obedire. Istorum obedientia non est sana: nam si sana, i. e. propter Deum fuisset, aliis etiam obedientiam exhiberent. Alii sunt obedientes, qui solummodo quatuor vel tribus fratribus aut causa adulationis aut aliqua causa obediunt, et tamen non abbati aut caeteris prioribus vel etiam aliis volunt obedire. Istorum obedientia non est sana, quia non ob caritatem Dei obediunt: nam si caritatis causa obedissent, aliis obedientiam exhibuissent. Ideo non sunt obsecrandi, sicut superiores, sed durius arguendi. Item sunt

1) Moral. lib. 35. in cap. 42 B. Job. num. 27-31. (Migne, tom. 76 col. 765-768.)

2) Cf. cod. Emmeram.

alii obedientes, qui causa caritatis Dei sicut abbati aut ceteris prioribus, ita et omnibus fratribus obediunt: isti solummodo sunt obsecrandi. Mites duobus modis dicuntur: uno enim modo dicuntur mites, qui praeceptis Dei non resistunt, qui suis vitiis resistunt et contradicunt. Et sunt alii mites, qui, cum legunt aut audiunt scripturas divinas obscure dictas, non detrahunt, eo quod obscura dicta sunt. Patientes dicuntur, quia patiuntur et tranquillo animo sufferunt. Patientes duobus modis dicuntur; uno enim modo dicuntur patientes, qui dura aut aliquid mali ab abbate aut ab aliquo priore causa timoris patienter videntur sufferre, tamen si ab aliis minoribus sibi aliquid dure ingestum sive factum fuerit, statim resistunt. Isti non sunt rogandi, sed potius arguendi. Item sunt patientes, qui sicut abbati non resistunt, ita etiam propter caritatem Dei aliis fratribus non resistunt, isti quippe rogandi sunt. Patientia tribus modis exercetur, aut a Deo, aut ab hoste, aut ab homine: a Deo flagellum, ab hoste tentamenta cogitationum, ab homine damna rerum et injurias. Indicium[1]) patientiae est: cum audit injurias vel patitur adversa, dulcia verba respondet, et augmentationem habet, cum solummodo tacet, et tamen habet exinde in corde aliquid. Perfectio est, cum, sicut tacet in ore, ita etiam in corde, et diligit. Et forte dicit aliquis: quo debeo proficere, cum non habeam, quo proficiam? Cui dicendum est: si non proficis in augmentationem virtutis, profice in perseverantia.

Sequitur: *Negligentes autem et contemnentes ut increpet et corripiat admonemus.* Cassiodorus namque ita dicit: *Increpare enim dicimus, quasi de taciturnitate crepare et in mordacia dicta prosilire.* Increpare est, cum dicit: Quare fecisti hoc malum et quare non hoc bonum? Corripere est manifestare et indicare, ad quod malum tendit, vel cui bono contrarium est. Negligentes duobus modis dicuntur; uno enim modo dicitur negligens, cum audit imperium magistri, et tamen per negligentiam non implet. Est alter tamen,

1) Iudicium (?)

qui audit, si statim non implet, postea implet; est et alius, qui, si implet, negligenter implet, hoc est, non studiose agit. Contemnentes autem duobus modis dicuntur. Sunt, qui in principio parvi pendunt obedientiam, tamen postea implent. Alii sunt, qui sicut parvi pendunt imperium in principio, ita etiam perseverant non complentes, in ipsa despectione perseverantes. Qualiter enim possit cognosci humilis dicendum est: hoc enim modo utcunque potest cognosci, id est, si cum abbas jubet illi fratri, qui superius sedet, ut sedeat inferius, et ipse frater non solum gaudet sedere inferius, sed etiam desiderat, ut ille, qui minor erat, in loco suo sedeat, quatenus [ut] ipse sit minor, alter vero major.

Sequitur: *Neque dissimulet peccata delinquentium.* Protulit B. Benedictus testimonium apostoli, et non solum protulit, verum etiam exposuit illud, ac si diceret: Hactenus dixi formam apostoli et non solum dixi, sed etiam illam exposui: nunc autem, quia cognovit ille abbas me exponente illam formam, ideo modo ego ex mea vice admoneo illum: *neque dissimulet peccata delinquentium*, quia ad hoc Paulus apostolus illam formam protulit, ut nullus praepositus sanctae ecclesiae debeat dissimulare peccata subditorum suorum, i. e. imprudenter. Nunc animadvertendum est, quare B. Benedictus dixerit absolute: *neque dissimulet peccata delinquentium.* Sunt enim multi, qui aut causa adulationis, aut timoris aut etiam causa ignorantiae, eo quod nesciunt, interitum animarum dissimulant. Istorum dissimulationes horrendae sunt et detestandae. Et sunt alii, qui dissimulant peccata delinquentium aut causa adjutorii, aut loci: isti tales si videantur coram hominibus dissimulare, tamen coram Deo non dissimulant. Et ideo quia isti judicio humano videntur dissimulare, a Dei judicio dividuntur.[1] Dixit namque B. Benedictus absolute: *Ne dissimulet peccata delinquentium*: tamen non debent isti dissimulare sub dubietate, sed debent esse certi de loco vel

[1] cf. Ps. 16, 11. [illegible]

adjutorio. Qualiter etiam dissimulari debent peccata delinquentium, docet B. Gregorius honestissime hoc modo dicens, ait enim: *Sciendum quoque est . . . . asperitate timescat.*[1])

Sequitur: *sed mox ut coeperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet.* Bene dixit *mox*, quia cognovit B. Benedictus, peccatum, si per augmentationem temporis robur et fortitudinem sumpserit, aut vix aut certe nunquam potest eradicari, et cum eradicabitur, cum magno labore eradicabitur. Unde Dominus ad Job dixit de diabolo: *Stringit caudam suam sicut cedrus*, ac si diceret: tale est vinculum diaboli in novissimo hominis quasi cedrus fortissima. Et idcirco dixit *radicitus*, i. e. a radice, quia si a radice non fuerit eradicatum, etsi videatur amputari, tamen occasione aliqua pullulabit. Sicut enim frustra laborat agricola in amputandis ramis, cum vult arborem evellere, nisi in radice laboraverit, casso labore consumitur, ita et doctor aut abbas frustra laborat in amputandis operibus malis, cum vult eradicare vitia, nisi in occasionibus peccati laboraverit, quia si ad tempus videntur amputari, tamen tempore suo occasione accepta statim pullulabunt. V. g. sunt duo vel tres fratres, qui vitio gulae detenti vadunt in refectorium ante horam et manducant et bibunt: postea si abbas in istis laboraverit et non in cellerario, cassabitur ejus labor, quia, si ad tempus videatur amputare et emendare, tamen, si cellerarius vitiosus fuerit, etsi non dabit illis, qui emendantur, tamen dabit aliis. Unde si radicitus vult emendare, cellerarium, si dignus est, evellat: si enim evellerit cellerarium, tunc radicitus amputat (vitium). Ita et in ceteris causis debet evellere vitium radicitus: quodsi non fecerit, i. e. si a radice non evulserit, praevaricator hujus praecepti est. Istud *praevalet* tribus modis intelligitur sive praevalet sensu aut virtute aut certe praevalet attingere in profunditate peccati, ac si diceret: juxta quod potest intelligere, juxta quod habet virtutem, vel juxta quod potest attingere in profunditate peccati, radicitus

[1]) cf. Migne, tom. 77, col. 44 16, lib. regulae past. cap. 10.

amputet. Nunc vero, quia voluit B. Benedictus ostendere, quam ingens periculum instat in non servando formam apostolicam, quam dixerat: *Argue, obsecra, increpa*, et in non servando suum consilium, quod dixit: *neque dissimulet peccata delinquentium*, ideo posuit exemplum Heli, ait enim: *memor periculi Heli sacerdotis de Silo.* Ecce enim B. Benedictus adhibuit exemplum Heli, quod exemplum valde debet abbas pertimescere et contremiscere, ne ei talia contingant, si negligenter erga discipulorum suorum salutem curam exhibuerit. Heli enim, quia non, sicut debuit, corripuit filios suos pro culpis, quas perpetrabant, [et] ideo propter ipsam stultam indulgentiam meruit periculum incurrere animae suae, et ipsi filii sui uno die occisi sunt, et de populo XXX millia occisi sunt, et arca Domini capta est, et ipse retro cadens fractis cervicibus, sicut diximus, mortuus est, et nomen ipsius de libro vitae deletum est. Et e contra Phinees: qui pro eo, quod zelo Dei commotus duos adulteros interfecit, et totum populum de ira Dei liberavit. Iste enim Heli, qui cecidit retro, significat omnes, qui in peccatis suis moriuntur, quia mos est scripturae divinae, dicere *retro cadere* illos, qui in peccatis suis moriuntur, et illos, qui in poenitentia moriuntur, dicit, *in faciem cadere*, quia sicut ille, qui retro cadit, non videt, quo cadit, et qui cadit in faciem, videt, quo cadit: ita illi, qui in peccatis suis moriuntur, non vident peccata sua.

Sequitur: *et honestiores quidem atque intelligibiles animo prima vel secunda admonitione verbis corripiat.* Nunc quasi interrogasset aliquis S. Benedictum dicens: Ecce Pater Benedicte, quia dedisti exemplum Heli, nunc optamus, ut dicas, qualiter debeat abbas istud periculum vitare: ille [vero] quasi respondens dicit: Honestiores quidem atque intelligibiles animo corripiendo prima vel secunda admonitione verbi, improbos autem et duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërcendo. *Verberum* attinet [1]) ad flagellum, castigatio corporis attinet ad flagellum et ad excommuni-

[1]) verbera attinent. Cod. Emmeram.

cationem et ad jejunium tantum. In hoc loco bene dixit: *prima vel secunda admonitione verbi honestiores corripiat*, quia adeo sunt honestiores, donec ad publicam correptionem venerint; postquam publicam correptionem acceperint, desinunt esse honestiores. Deinde nec adhuc sunt improbi, sed tantum in probatione consistunt, quia non sunt improbi, donec per sex gradus ierint, i. e. primus gradus est admonitio secreta prima et secunda vice: secundus publica correptio; tertius excommunicatio: quartus *nimiis jejuniis*;[1]) quintus flagellum; sextus oratio. Et cum istos gradus acceperint et non emendaverint, tunc sunt improbi, quia ista regula manifestat, illos improbos esse, ducendo per sex gradus. Et ideo dixit: *duros, superbos atque inobedientes*, quia de istis omnibus fiunt improbi, eo quod omnes istos debet ducere per sex gradus, et cum ducti fuerint et non se emendaverint, tunc sunt improbi. Duri sunt, qui, sive excommunicentur, sive flagellentur, non emendantur, sed hoc, quod volunt, faciunt, quia non timent excommunicationem aut flagellum.[2]) Et propterea dixit: *in ipso initio peccati*, i. e. postquam improbi facti sunt, tunc illud peccatum si fecerint, aut certe flagellentur aut excommunicentur, sicut ipse dicit: *improbos autem et duros aut superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat*. Verbi gratia, si vult abbas, postquam illos improbos cognoverit, potest ejicere foris monasterio, si vero ejecerit illos foris ostium monasterii, tunc debet consilium cum fratribus accipere, ut revocentur. Si revocati fuerint, tunc in ultimo loco illos, sicut regula dicit, constituat. Deinde si in ipso peccato, pro quo ejecti sunt, inventi fuerint, quasi primitus venissent in monasterium, ita illos per illos sex gradus ducat, sicut antea. Quod si noluerit illos abbas ejicere foris mona-

[1]) nimia jejunia. cod. Emmeram.

[2]) Duri corde sunt, qui, sive admoneantur, sive excommunicentur, non emendantur, neque etiam erubescunt, sed obstinata mente non timentes verecundiam atque excommunicationem impetum sui cordis sequuntur. Cod. Divionens. ex Marten.

sterium, sed retinuerit illos, tunc postea, si in ipso peccato inventi fuerint, non debet per sex illos gradus ducere, sed tantum aut flagellentur aut excommunicentur. Et hoc non debet abbas pro omnibus peccatis facere, sed pro illis, quibus inventi sunt improbi: nam pro aliis iterum per sex gradus debent duci. Et hoc animadvertendum est, quia, cum pro peccato admonitus fuerit et postea, si post medium annum aut integrum fecerit illud peccatum, unde aut admonitus vel excommunicatus fuit, quasi non fecisset illud peccatum, ita debet in primo gradu illum admonere, deinde postquam ductus fuerit per sex gradus, si abbas illum ejecerit, non est improbus; si vero non ejecerit, et postea non emendaverit, tunc est improbus. Honestiores quidem sunt, qui imitabilem vitam habent. Honestiores possunt esse sine intelligibili animo; intelligibiles autem possunt esse sine honestate, quia, quamvis sapiant et intelligant, tamen non sunt religiosi tam actu[1]) et incessu et verbis, sicut sunt honestiores. Honestiores iterum possunt esse sine intelligibili animo, quia sunt multi honesti locutione, incessu et actu, tamen sapientes non sunt: nam honestus dicitur, quia nihil habeat turpitudinis. Nam quid est honestas nisi honor pepetuus, i. e. quasi honoris status?

Sequitur: *sciens scriptum*: *Stultus verbis non corrigitur.* Vide, quia istos omnes ad unum finem duxit, i. e. stultitiam; a stulto enim derivatur stultitia. Stultus enim est hebes corde, sicut quidam ait: Ego me stultum esse existimo, fatuum esse non opinor, i. e. obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Stultus est, qui per stuporem non movetur injuria; saevitiam enim perfert nec ultus est nec ullo ignominiae commovetur dolore.

Sequitur: *Percute filium tuum virga et liberabis animam ejus a morte.* Testimonium est scripturae divinae hoc. In hoc vero, quod dicit: *Percute filium tuum virga et liberabis animam ejus a morte*, debet abbas esse discretus et prudens: debet enim cognoscere, ut si proficit

[1]) religiosi in actu. Cod. Emmeram.

auditori suo flagellum, debet ei adhibere flagellum, si vero non proficit, tunc non debet ei adhibere flagellum, quia sicut unus idemque cibus vel potus non aequaliter congruit sumptus omnibus humanis corporibus, ita nec unus poenitentiae modus diversis aetatibus, sensibus, conditionibus, negotiis, moribus et utrique sexui congruere potest.

Sequitur: *Meminere semper debet abbas, quod est, meminere, quod dicitur, et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Ita discerni debet: *Meminere debet abbas, quod est, meminere, quod dicitur, et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur*; cum enim iterum dicit *meminere*, subaudiendum est *debet*. Istud vero, quod subsequitur: *quod dicitur*, non est dubium, quod subaudiendum sit *ab aliis*, sicut superius dixit: *meminere debet. quod dicitur*, hoc est abbas, i. e. pater. Nam cum dicit: *meminere debet abbas semper, quod est*, dubium videtur, quid subaudiendum sit: si enim dixisset: *quid est*, subaudiendum esset: quia homo est; sed cum dicit: *quod est*, subaudiendum est: quia praelatus est, ac si dicat: non solum debet meminere, i. e. ad memoriam revocare, quia praelatus est, sed etiam meminere debet, quia ab aliis dicitur, hoc est nominatur. Ideo dixit ista: meminere debet semper abbas. quid est. quia homo est, i. e. fragilis, ut honor fragilitate hominis temperetur, ut non superbiat, et fragilitas hominis ex honore non torpescat, sed studeat laborare pro amore honoris. Et hoc animadvertendum est, quia ista verba inferiora, i. e. *et scire. quia. cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* manifestant et indicant superiora verba, hoc est: *meminere semper debet abbas, quod est. meminere, quod dicitur*, ac si dicat: idcirco debet abbas, quod est praelatus, i. e. pater. meminere, et meminere. quod etiam ab aliis dicitur, ut sciat et cognoscat, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et bene dixit: *quia cui plus committitur. plus ab eo exigitur.* Sic enim papa Gregorius dicit: *Lectio sancti evangelii sollicite nos considerare admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius*

inde judicemur; cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Et quod, secundum quod accipit. rationem compellatur reddere. idem beatus papa Gregorius docet: *Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exigit, quantum unicuique suae pietatis donum distribuit.*

Sequitur: *sciatque, quam difficilem et arduam rem suscepit, regere animas.* Difficile est. quod vix potest fieri; ardua[1]) vero est subtilis et laboriosa atque studiosa. quod paene unum significat cum *difficile*, ac si diceret: cognoscat abbas, quia difficilem et arduam rem suscepit, hoc est, quae potest fieri, et[2]) nimis cum studio et labore fit. Inter difficile et impossibile hoc interest: impossibile est, quod non potest fieri, difficile autem potest fieri, sed cum grandi labore et cum magno studio. Nam quare sit difficile. idem B. Benedictus manifestat, cum subdit dicens: *regere animas*, ac si diceret: ideo est difficile, quia animas regit, corpora vero regere difficile non est. Jam quid sit regere animas. manifestat, cum subdit: *et multorum servire moribus.*

Istud *et* pro *id est* positum est, ac si diceret: regere animas est multorum servire moribus. Si enim unius hominis mores sequi difficile est, quanto magis multorum. Hanc autem difficultatem in se ipso homo potest argumentare et cognoscere: si homo mores suos non potest ad unum tenorem deducere. qui (quia) aliquando sunt irascentis. aliquando tristantis, aliquando laetantis. aliquando obliviscentis, nec ad unam regulam temperare, quanto magis aliorum? Et quod quis aliorum debeat servire moribus. habes exemplum: dicit enim Paulus apostolus, *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, id ipsum sentientes.* Non enim de gaudio terreno aut de luctu terreno dicit, sed de spiritali. Ille enim gaudet cum gaudentibus, qui se laetum laetantibus praebet, et ille flet cum flentibus, qui se tristem tristantibus exhibet, et illi id ipsum invicem sentiunt. qui dolorem aliorum suum esse sentiunt per caritatem invicem. Et hoc valde difficile est: verbi gratia, venit quis cum

---

[1]) scil. res. [2]) et = sed.

laeto animo de spiritali processu vel profectu ad abbatem; ille vero si laetum se praebet illi, servit ejus moribus, si autem non se praebet laetum illi, tunc non servit moribus illius. Illo vero laeto cum fratre ipso momento intrat alter cum tristi animo de spiritali defectione aut casu. Ille si non expulsa laetitia,[1]) quam habebat, se praebuerit illi tristem, tunc non servit moribus ejus. Et iterum si intraverit alius cum laeto animo, et ille debet se iterum laetum de spiritali profectu illi praebere, si vero se non praebuerit, non servit moribus ejus. Vide modo, quia ideo difficile est, eo quod in uno momento debet esse et tristis et laetus, et iterum laetus et tristis propter diversos mores subditorum. Nam qualiter debeat regere multorum animas, manifestat, cum dicit: *alium blandimentis, alium increpationibus, alium suasionibus.* In hoc loco subaudiendum est: *regat.* Tunc regit alium blandimentis, cum illi, qui blandimentis est dignus, blandimenta tribuit: et tunc increpationibus alium regit, cum illi, qui dignus est increpationibus, increpationem tribuit; et tunc alium suasionibus regit, cum illi, qui suaderi dignus est, suadet.

Sequitur: *et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet et aptet.* Iste enim locus duobus modis potest intelligi: uno quippe modo secundum illud, quod Paulus apostolus dicit: *Factus sum omnibus omnia, ut omnes lucrifacerem.* Non enim Paulus apostolus simulatione factus est omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret, sed compassione, verbi gratia, cum videbat gentilem, compatiebatur illi dicens: Si ego gentilis essem, necesse mihi fuerat, ut alius mihi evangelizaret regnum Dei, quatenus recedens ab idolorum cultu salvarer. Et si mihi cognosco necessitatem inesse, ut mihi alius ita fecisset, ergo evangelizabo illi regnum Dei, etc. Et ita secundum hunc sensum debet se abbas conformare unicuique et aptare. Altero vero modo intelligitur secundum illud, quod papa Gregorius dicit; ait enim ita: *Sit rector bene agentibus per*

[1]) cf. cod. Emmeram.

humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, et bonis in nullo se praeferat, et cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat, quatenus et honore suppresso aequalem se subditis bene viventibus deputet et erga perversos jura rectitudinis non exercere formidet.[1]) *Qualitas* autem attinet ad meritum, et intelligentia ad intellectum.

Sequitur: *ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Nunc autem reddit causam, quare debeat abbas alium regere blandimentis, alium increpationibus et alium suasionibus, et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam conformare et aptare debet, cum subdit: *ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat*, ac si diceret: non solum ob hoc debet ille abbas ista omnia propter damnum gregis sibi commissi agere, verum etiam ut augmentetur ille grex et proficiat. Et bene dixit: *sibi commissi,* quia non suus est ille grex, sed Domini et sibi commissus, unde, quia suus non est sed sibi commissus, ideo debet diligenti cura illum tractare; ille enim pastor gaudet de augmentatione gregis, cujus grex augmentatur et crescit. Et ideo dixit prius non propter damnum, hoc est pro timore, sed etiam pro augmentatione, hoc est gaudio vitae aeternae, veluti cum quis mittit setam, ut introducat filum, non ut seta permaneat, sed ut per setam filum introducat, ita et S. Benedictus in hoc loco fecisse videtur; cum prius incussit timorem de damno gregis, quasi setam misit, deinde cum subjunxit amorem de augmentatione gregis, quasi filum traxit. Et ille pastor tristatur de damno gregis, cujus grex minoratur et decrescit. Sunt enim alii pastores, qui solummodo pro timore poenae gregem suum pascunt, ne flagellentur, et sunt alii pastores, qui non pro timore poenae, sed pro remuneratione pascunt gregem suum. Et ideo abbas non solum pro timore minorationis gregis, sed etiam

[1]) lib. regulae past cap. 6.

pro augmentatione gregis sui debet laborare. Sunt iterum alii pastores sapientes et studiosi, et diligenti cura pascunt gregem suum, et tamen aliqua occasione, i. e. aut morbo generali aut propter locum et caet. deperit ille grex. Et sunt alii pastores negligentes et hebetes, qui non studiose pascunt. gregem, et tamen aliqua occasione crescit illorum grex; sed cum Dominus illorum tempore rationis reddendae venerit, ut ratio agatur de grege, non juxta quod videtur in grege, i. e. secundum augmentationem neque secundum minorantiam gregis, sed magis secundum laborem pastorum aut negligentiam illis tribuit, i. e. studiosis pastoribus tribuit meritum laboris, licet diminutus sit grex, negligentibus autem, juxta quod negligentes fuerunt. quamvis grex illorum crevisse videatur, poenas subministrat. Ita et spiritaliter Dominus faciet studiosis praelatis. quamvis damna passi sint gregum vel amplificationem ostendant. Ubi considerandum est, si negligens pastor quamvis totum gregem et augmentatum domino suo consignet. non remunerationem accipit, sed magis poenam juxta negligentiam suam, quid dicendum est de his, qui invidi suis subjectis existunt?

Sequitur: *Ante omnia, ne dissimulans aut parvi pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis.* Nunc animadvertendum est, quare dixerit *ante omnia*, cum jam caetera dixerat? Non est ita intelligendum, ut quasi non dixisset, sed quia mos est sanctorum praedicatorum. maxime illorum. qui sermonem faciunt ad populum, dicere: hortor et admoneo vos fratres carissimi. ut ante omnia caritatem invicem habeatis; deinde subjungit multa, quae auditores sui debeant agere; et iterum dicit: ante omnia castitatem et humilitatem habete. Vide modo. non ob hoc dicit, ut castitatem et humilitatem ante, quam caritatem et caetera, quae subjunxit, habeant, sed ob hoc dixit *ante omnia* in primo et in secundo vel tertio loco. quia omnes illae virtutes aeque teneri et haberi debent. Ita et B. Benedictus in hoc loco dixit *ante omnia*, et superius dixit alia. *Dissimulans* et *parvipendens* unum significant in hoc loco;

parvipendere est, contemtu animi aliquid etiam magnum despicere; pendere enim aestimare est.[1]) Istud enim, quod dicit *plus*, simpliciter intelligendum est, ut non plus gerat sollicitudinem de terrenis rebus quam de salute animarum, quasi diceret: salutem animarum incomparabiliter debet agere; sed quia piger est, ut incomparabiliter agat sollicitudinem de animarum sibi commissarum salute, ita agat sollicitudinem de salute animarum sibi commissarum, sicut de terrenis rebus. Sic etiam Paulus facere videtur, cum dicit: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.* Humanum, i. e. possibile, ac si diceret: quia pigri estis ad bona facienda, idcirco dico vobis propter pigritiam vestram, [ut] sicut studiose servistis idolis, ita studiose servite[2]) Deo, cum Deo incomparabiliter serviendum est.

Nunc videndum est, qualiter cognoscatur abbas plus agere sollicitudinem de rebus transitoriis quam de salute animarum sibi commissarum. Multimodis cognoscitur: verbi gratia, habet abbas villam fructiferam atque fertilem, et est ibi occasio peccati. Ille vero abbas superatus amore frugum illius villae non timet illam occasionem peccati, sed tantum ut habeat fructum solummodo plurimum, mittit monachum suum illuc. Et cum hoc facit, plus agit curam de terrenis rebus, quam de salute animarum. Item si abbas in capitulo aut in quolibet loco plus loquitur de terrenis rebus quam de mortificatione vel jejunio vel caeteris virtutibus, qualiter exerceant illas virtutes aut debent exercere fratres, plus videtur gerere sollicitudinem de terrenis rebus quam de salute animarum. Iterum habet abbas monachum nobili progenie ortum, cujus parentes magnum donum conferunt monasterio, et tamen ipse monachus malae conversationis est et plurimis malae

[1]) Parvipendere idem est, ac magnum aliquid animo superbo despicere seu parum aestimare. Cod. Divion. ex Marten.

[2]) serviatis Cod. Emmeram.

conversationis exemplum praebet. Abbas quia timet, ne parentes monachi desistant conferre illud lucrum monasterio, timet corripere monachum, et dum ita agit abbas, manifestat, se plus agere curam de terrenis rebus quam de salute animarum. Et iterum habet abbas vestiarium plenum divitiis et videt fratrem necessitatem habentem: iste talis timens, ne suum vestiarium minoretur, non succurrit fratri patienti necessitatem, aut cellam infirmorum non restaurat propter avaritiam suam: hic talis manifestat, se plus studere terrenis rebus quam de salute fratris.[1]) Et iterum sunt quatuor vel quinque studiosi fratres in divinis rebus, qui et se et alios adjuvant. Ille abbas habens necessitatem, quia foris non habet tales, qui faciant laborare suas curtes, deinde tollit istos quatuor et mittit foras super illa loca, et dum illi sunt illic in illis locis, in monasterio non sunt, qui custodiant caeteros. Hic talis abbas convincitur plus amare terrena quam salutem fratrum, et in nullo loco plus errat ille abbas quam in isto loco.

Sequitur: *sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est.* Nunc animadvertendum est, quia non dixit solummodo *cogitet*, sed cum adjectione *semper*; ideo dixit *semper*, quia abbas nunquam debet ab hac cogitatione esse securus, i. e. sive jaceat, de hoc cogitet, sive manducet, de hoc cogitet, sive foras vadat, de hoc cogitet, et caetera. Forte dicit aliquis: quomodo potest hoc abbas semper cogitare, cum debet etiam disponere rem monasterii? Vere semper hoc potest cogitare, si omne, quidquid agit, quidquid disponit, pro salute animarum disponat vel agat. Et hoc animadvertendum est, quia non dixit corpora aut animalia aut possessiones, de quibus rationem redditurus est, sed animas; ideo dixit animas, quia omnia ad animas attinent. Forte dicit aliquis abbas: quia non mihi cura est de corporibus fratrum, sed de animabus, eo quod de animabus solummodo sum redditurus rationem. Hic talis cognoscat, in hoc loco Bene-

1) curam agere.

dictum per speciem dixisse hoc, cum *animas* posuit pro toto homine, h. e. corpore et anima, sicut est istud: *Introivit Jacob in Aegyptum in septuaginta animabus quinque.* Numquid solae animae absque corporibus introierunt in Aegyptum? Non, sed animas posuit pro toto homine, i. e. corpore et anima. Et iterum: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Numquid sola caro videbit Dominum absque anima? Non, sed caro cum anima videbit Dominum.

Sequitur: *et ne causetur forte de minori substantia.* Iste enim locus varie a variis tractatoribus intelligitur. Sunt enim alii, qui intelligunt, minorem substantiam ad substantiam monasterii pertinere, ut sit sensus: non debet ille abbas causari, i. e. murmurare, querelari, quia parvam substantiam habet istud monasterium. Alii sunt, qui intelligunt minorem substantiam damnum alicujus rei monasterii, ut sit sensus: non debet abbas causari, murmurare, querelari, si aliquod damnum illi illatum fuerit. Sed ille primus sensus utilior est secundum istud exemplum, quod nunc subjungit B. Benedictus dicens: *Meminerit scriptum: Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* In hoc loco *primum* non est ordinis, ut aliud ei succedat, sed dignitatis, et ponitur pro *solo* et *semper* et *ante omnia* et *super omnia.* Nam si hoc[1]) per res singulas diversas invenitur solum, sicut dixi.[2]) Verbi gratia, quaeris panem, et interrogo te: cur quaeris panem? dicis mihi: ut possim subsistere, quatenus valeam Deo servire. Si ita quaeris panem, regnum Dei quaeris. Et iterum: Quare quaeris vestimentum? Respondens dicis: ideo quaero vestimentum, ut valeam subsistere et Deo servire studiose. Si ita est, regnum Dei quaeris: et caetera similia. Sciendum enim est, quia tribus modis quaeritur regnum Dei. Quaerit homo regnum Dei pro amore regni Dei. Et sunt alii, qui quaerunt cibum vel potum et caetera pro amore

[1]) scil. regnum Dei.

[2]) subaudiendum esse videtur: *tunc quaeritur regnum Dei ante omnia et super omnia.*

regni Dei; et isti tales regnum Dei quaerunt jejunando, orando, psallendo, vigilando et caeteras virtutes operando. Et sunt iterum alii, qui videntur quaerere regnum Dei non pro amore regni Dei, sed pro amore cibi vel potus et caeterarum rerum temporalium: isti tales non quaerunt regnum Dei, quia hypocritae sunt, sicut dicitur: *Et aestimata est afflictio exitus illorum et ab itinere justo abierunt in exterminium.* Et iterum: *Justus periit, et nemo est, qui recogitet.*

Sequitur: *Et iterum: Nihil deest timentibus eum.* Nunc videndum est, quare dicit: *Nihil deest timentibus eum*, cum videntur multi justi fame perire et in necessitate deficere, quantum ad visum hominis attinet. Iste enim locus: *Nihil deest timentibus eum* et caetera, sicut est illud: *Non vidi justum derelictum nec semen ejus quaerens panem*, aliquando secundum literam debet intelligi, aliquando secundum spiritalem intelligentiam, quasi diceret ipsa divina scriptura: cum vides, me non posse intelligi secundum literam, aliud in me quaere: verbi gratia vides, justo homini nihil deesse, salus illi adest: et si videris, justum hominem necessitatem habere, ipsa sua necessitas salus[1]) illi est: ac si diceret S. Benedictus aliis verbis: non contingat, ut murmuret, quia minorem substantiam habet suum monasterium, sed cognoscat, quia salus illi adest in minore substantia. Sciendum est, quia non dicit: *apponentur vobis*, sed *adjicientur vobis*, quia aliud est apponere, aliud vero adjicere: illi enim apponitur, ubi non est datum aliquid, adjicitur autem, ubi jam aliquid ad augmentationem superponitur et adjungitur ei.

Sequitur: *sciatque, quia, qui suscipit animas regendas, praeparet se ad rationem reddendam.* Sunt multi libri, qui habent *praeparat*, et alii sunt, qui habent *praeparet*. Si *praeparat* habet, hoc modo intelligitur: est enim indicativus modus et dat ei exemplum de abbate, qui studiose suum monasterium peragit, quasi diceret: studiosus enim abbas, qui suscipit curam animarum ad eas regendas, prae-

[1]) aeterna Cod. Emmeram.

parat se ad rationem pro eis reddendam, et ideo, quia scit, se rationem redditurum, pro eis laborat, quatenus securus ipsam rationem reddere possit. Si autem habet *praeparet*, intelligitur hoc modo: est enim hortativus et imperativus modus, per quem hortatur abbatem, ut laboret et praeparet se ad reddendum securus rationem pro ipsis animabus, quas regere suscipit.

Sequitur: *et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suae animae.* Haec autem sententia ita construitur: Et agnoscat, quia pro certo redditurus est rationem Domino in die judicii ipsarum omnium animarum, quantum numerum fratrum se scierit habere, quasi diceret: agnoscat, quia pro omnibus est rationem redditurus Domino, quantos fratres habuerit sub se, i. e. sibi commissos; verbi gratia si centum fratres habuerit, pro centum, si XX pro XX, et caetera his similia. In hoc enim loco, quod dicit: *addita et suae animae*, subaudiendum est *ratione*. Sunt enim multi abbates, qui et doctrina et opere studiose praesunt suis discipulis, sed intentionem habent malam. Et sunt alii, qui doctrina et opere videntur studiose praeesse, tamen absconse mala agunt, et ob hoc dicit: *addita et suae animae*, ut sollicitus sit, quia non solum pro suis subjectis, sed etiam pro se redditurus est rationem.

Sequitur: *et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus.* Ita construitur: et redditur sollicitus de suis, subaudiendum est *ratiociniis*, cum de alienis ratiociniis cavet, subaudiendum est: puniri vel condemnari de alienis ratiociniis. *Ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus*: ita timens, ac si diceret, sicut dixi. Ratiocinium est altercatio sive negotium: ratiocinatio enim est faciendi quid inficiendive excogitata ratio.

Sequitur: *et cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficiatur a vitiis emendatus.* De

admonitionibus, id est per admonitiones vel doctrinas suas, ac si diceret: sollicitudo aliorum reddit illum sollicitum.

Cap III.

DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS.

Consilium dicitur a consulendo,. quia per consilium inquiritur et cognoscitur malum, quod cavendum est, et bonum, quod agendum est. Veruntamen et hoc sciendum est, quia, cum bonum per consilium repperitur, non est permanendum in ipso bono, sed transeundum est ad melius, deinde ad optimum, si fieri potest. *Consulo* enim duos sensus habet; si conjungitur cum Dativo: *consulo tibi*, intelligitur: prospicio tibi et provideo tibi, h. e. tuae utilitati et tuo profectui; si autem conjungitur cum Accusativo, intelligitur *interrogo*. Unde dicitur: *Consuluit David Dominum*, i. e. interrogavit Dominum. In apto enim et congruo loco nunc B. Benedictus dicit *de adhibendis ad consilium fratribus*, quia superius informaverat abbatem in his rebus, quae in se vel ad se attinent, i. e. qualiter debeat praeesse suis discipulis doctrina et opere: nunc autem docet illum, qualiter debeat esse in his rebus, quae extra illum sunt, i. e. qualiter debeat disponere ea, quae disponenda sunt. Nam quare hoc capitulum dixerit, manifestat illa sententia inferior, qua dicitur: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.* Sicut enim illud capitulum: *Qualis debeat esse abbas*, creavit illa sententia, qua dicitur: *Christi enim vicem agere creditur in monasterio, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater*, ita istud capitulum generavit haec sententia, qua dicitur: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.* Haec autem sententia: *Omnia fac cum consilio*, dividitur in duobus modis, i. e. in praecipuis, cum dicit: *quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse, unde agitur*; et in minoribus, cum dicit: *si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum utatur consilio.* Et cum hoc dicit, nihil excludit abbati, ut aliquid

sine consilio agere debeat. Nunc animadvertendum est, quare dixit *seniorum*, et non dixit *fratrum* aut *aliquorum*; non enim vacat in eo, quod dixit *seniorum*, sed innuit nobis, ut investigemus, qui sunt isti seniores. Sunt enim multi praelati, qui dum constricti sunt ab hac sententia, ut nihil sine consilio agant, illos subditos interrogant, quos sciunt sibi secundum voluntatem suam dare consilium; verbi gratia cum vult tres aut quatuor causas agere, de una interrogat illum subditum, quem cognoscit sibi secundum voluntatem suam dare consilium; de altera causa interrogat alium, et de alia interrogat alium, et de alia interrogat alium: semper enim praelati illos interrogant, quos cognoscunt secundum voluntatem suam sibi dare consilium, et cum ita agunt, dicunt, se omnia fecisse cum consilio, ac per hoc falluntur, quia regula dicit, illos seniores adhibere ad consilium, qui Deum timent, sicuti habes: *Cum consilio fratrum timentium Deum ordinet ipse sibi praepositum.* Consilium enim, sicut superius dictum est, a consulendo dicitur, eo quod consulit alicui rei. Dicit enim Cassiodorus: *Convenire* enim est, multos in simul venire; similiter et *convocare* est, multos in simul vocare. Isti enim seniores si non sunt aut inveniri non possunt, tamen possunt creari per admonitionem, ut sapiant, eo quod, sicut Terentius dicit, istud est sapere, non solum quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere. Istos enim seniores non debet dividere inaequalitas morum, sed debent esse diversae aetatis, eo quod difficile possint esse unius aetatis. In istis enim senioribus tria debent requiri: fides, spes, caritas. Fides rei, qua tegant universa, quae constituuntur, ut sive una hebdomada vel mense aut anno aut certe usque ad mortem, si necessitas fuerit, tegere debeant, et nunquam ulli hominum sive parenti, sive extraneo per nullum ingenium indicent, quo mortalis infirmitas valeat agnoscere. Spes, i. e. praemium aeternorum gaudiorum, quo firmati, si persecutio ob illam rem orta fuerit, non recedant aut fugiant, quia solet persecutio post rem aliquando oriri. Caritas, i. e. talis fraternitatis amor debet esse in illis, ut, quod unus sapit,

velit etiam alium scire, et cum tres aut quatuor locuti fuerint, alius non inter illos sine vocatione accedat absque verecundia. Deinde debent cognitionem habere boni et mali, ut sit, sicut Dominus dicit ad Esaiam prophetam: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Deinde debent scire, quid sit bonum et melius et optimum, quia periculum est, si eligit bonum pro meliore, ubi melius potest inveniri; et iterum periculum est, si eligit melius pro optimo, ubi optimum potest inveniri; et similiter cognoscere debet, quid sit malum, quid sit pejus, et quid sit pessimum. Omnis enim res aut solummodo congruentias sine contrarietate, aut solummodo contrarietates sine congruentia aut certe congruentias et contrarietates simul habet. Si enim res totas habet congruentias sine contrarietate, sine dubio bona est; quod si totas habet contrarietates absque congruentia, mala est; si autem congruentias insimul cum contrarietate habet, videtur difficilis esse ad discernendum; si enim plus habuerit congruentias quam contrarietates, tanto magis judicanda est bona esse res, quanto magis habuerit congruentias quam contrarietates; si autem aequaliter habuerit congruentias cum contrarietate sicut dixi, si non potest discerni per numerum, discernenda est per pondus. Verbi gratia quatuor congruentias habes et quatuor contrarietates. Considera pondus, i. e. si plus praevalent congruentiae, quam contrarietates, tunc bona est; deinde cum hoc cognoveris, postea proba per numerum, si melior est aut optima, i e. si deficiunt contrarietates, tunc est melior, et si plus deficiunt contrarietates, tunc est optima, quia non solum attendendus est numerus in contrarietatibus et congruentiis, sed etiam pondus, quia nihil valet numerus sine pondere, eo quod solet contingere, unam congruentiam pro magnitudine sui superare quatuor vel quinque contrarietates; verbi gratia, si est una congruentia vel duae contrarietates, vide, qualis est major, utrum una congruentia an duae contrarietates? si major est congruentia, tunc bona est res, aut si plus praevaluerint duae contrarietates quam una congruentia, tunc mala est. De-

inde si fuerint tot contrarietates, quot congruentiae, tunc discernendae sunt per pondus, i. e. si superaverint congruentiae illas contrarietates, tunc bona est res. Qualiter perveniatur ad optimam rem cognoscendam, superius jam dictum est; ita enim intelligendum est de contrarietatibus, utrum mala sit, an pejor aut certe pessima, sicut de congruentiis diximus, i. e. si superaverit illa contrarietas ipsas congruentias. Et ideo semper pondus debes considerare tam in contrarietatibus quam in congruentiis, sive in paucitate sive in pluralitate sive in aequalitate congruentiarum et contrarietatum, quia solet una tam magna esse sive congruentia sive contrarietas, ut non solum alteram superet, sed etiam duas vel tres vel plures. Nunc videndum est, quid sit *quoties.* Quoties intelligitur: *quot vicibus. Praecipua* est illa res, quae ad totam congregationem attinet et sub dubietate est, i. e. quae argumentationibus non potest discerni. utrum prospera est an nocua, verbi gratia praecipua est illa res, cum frater novitius in monasterium suscipitur, eo quod ad totam congregationem attinet et sub dubietate est. Ideo attinet ad totam congregationem, quia, si bonus fuerit, omnibus bonum exemplum praebet, et si malus. omnibus malum exemplum demonstrat; et ideo, quia nescitur, utrum perseveraturus sit nec ne, necesse est, omnis congregatio interrogetur ex hoc. Et iterum praecipua est, cum frater de monasterio expellitur pro aliquo vitio, eo quod nescitur illius finis, utrum cito veniat an tarde, aut forte medio anno. aut uno mense non erit postea victurus,[1]) et forte habuit exemplum bonum fratribus tribuere. si converteretur; et ideo debet omnis congregatio ex hoc interrogari, ut quod non potest discerni argumentationibus, merito discernatur. Et iterum B. Benedictus judicavit de fratre, qui gravioris culpae noxa tenetur, ut ab oratorio et a mensa simul suspendatur. et tamen hora, qua ille debet cibum percipere, aut mensuram cibi in arbitrio prioris constituit: et ideo quia nescitur, quot diebus

[1]) venturus. Cod. Emmeram.

ille frater maneat in illa poenitentia aut qua hora debet manducare aut quali mensura ab humana infirmitate, ut Deo hoc placabile sit, necesse est super hoc, ut interrogetur omnis congregatio, ut quod non potest humanis rationibus discerni, Dei judicio discernatur. Et hoc animadvertendum est, quia, dum pro tali fratre interrogatur, qui est excommunicatus, ut absolvatur, ille frater non debet esse in capitulo, sed foris. Nam de minoribus culpis debet interrogare solummodo seniores, quia non est praecipua; ideo debet interrogare, quia illum constringit regula, nil sine consilio fratrum agere. Et hoc notandum est, quia tanto major fit culpa, quantum plus crescit. Et iterum praecipua est, dum aliquam rem grandem vult abbas aut donare, sicuti sunt XX amphoras vini, aut plus vel minus secundum potentiam monasterii, aut certe terram cambire, quae grandis quantitas est; quia nescitur, utrum istud donum aut cambium proficiat an noceat monasterio, ideo necesse est, super hoc ut interrogetur omnis congregatio, ut quod non potest ille abbas argumentationibus discernere, merito discernatur.

Sequitur: *convocet omnem congregationem.* Bene dixit *convocet*, et non *vocet*. quia si solummodo dixisset *vocet* sine adjectione *con*, vocaret abbas congregationis partem et diceret: totam congregationem vocavi. B. vero Benedictus quia voluit, totam congregationem vocari, ideo dixit *vocet* cum adjectione *con*. Et hoc animadvertendum est, quia ideo dixit *omnes* propter causam exaggerationis, eo quod voluit, ut omnimodo in praecipua causa omnem congregationem vocaret.

Sequitur: *dicat ipse, unde agitur.* Vide modo, non dixit solummodo: definiat. aut dicat et definiat, sicut multi abbates faciunt; sed dixit solum *dicat*, ac si diceret: debet dicere causam, et hoc oculis corporis fixis in terram et oculo cordis fixo in Deo; rogare Deum debet dicens: *Domine, rogo clementiam tuam, ut, per quem vis manifestare, digneris indicare.* Hoc est verbi gratia: Est nobis necessitas, ut istam rem agamus, et ideo rogamus dilectionem vestram.

ut, quod unusquisque de hac re sentiat, dicat. Et tunc debent monachi respondere hoc modo: Auctoritas vestra est interrogandi, et nobis data est licentia respondendi; nunc autem rogamus, ut, quod dicturi sumus, non procaciter esse dictum recipiatis, quod respondebimus, quia cum vestra licentia dicimus. Ille vero abbas dicat: nostra licentia est, ut dicatis. Tunc debet unusquisque dicere, quod sentit. Quod si alter e latere surgit dicens, quia hoc, quod dicis, nec bonum nec verum est, hic debet ille alter caute vigilare, ne in procacitatem cadat. Tunc debet dicere abbati: si vobis placet, ego mittam rationem, quam de hac re sentio; et non debet contra illum fratrem, qui sibi contrarie dixit, aliquid contrarium dicere. Quod si abbas dederit licentiam, dicat rationem humiliter illius rei ita: tantas congruentias habet et tantas contrarietates. Si autem abbas non dederit licentiam dicendi rationem, ille |vero| taceat.

Sequitur: *Audiens consilium fratrum tractet apud se, et quod utilius judicaverit, faciat.* Bene dixit: *tractet apud se*, non dixit: spernat, aut confundat dicens: quia tu non dixisti bonum consilium, aut rustice respondisti, sed solummodo debet illis gratias referre dicens: Gratias vobis referimus et benedicat vobis Dominus, quia, quod sapuistis, dixistis. Deinde juxta qualitatem causae debet tractare illam; verbi gratia si grandis causa est, debet surgere cum illis senioribus, qui ad hoc opus deputati sunt, et cum illis tribus aut duobus aut quatuor diebus aut plus aut minus tractare uniuscujusque consilium per congruentias et contrarietates, sicut diximus. Si vero potuerit de consiliis fratrum bonum consilium invenire, tunc debet venire postea in capitulum et dicere: Tractavimus consilia vestra et non potuimus reperire ex illis melius consilium, quam istud, et volo, ut fiat. Et cum hoc dixerit, jam nullus aliquid contendere aut dicere debet, sed omnes taceant et obediant. Si autem non potuerit de illis consiliis fratrum consilium aptum reperire, tunc debet suum consilium invenire, ita tamen illis consentientibus: verbi gratia debet dicere: De istis vestris consiliis nullum potuimus invenire vel reperire;

propterea cogitavimus istud nostrum. Quodsi non forte placuerit fratribus, tunc debet illorum consilia et suum consilium discutere cum congruentiis et contrarietatibus, et quale präeponderaverit in melius, ipsum teneat. Istud enim, quod dicit: *quod utilius judicaverit*, subaudiendum est: quidquid judicaverit; *utilius* enim ponitur pro *utillime.*

Sequitur: *Ideo omnes vocari ad consilium diximus, quia saepius juniori Dominus revelat, quod melius est.* Nunc vero quasi interrogasset abbas S. Benedictum dicens: Pater Benedicte, cur dicis, omnem congregationem ad consilium vocari? grave est mihi, omnem congregationem vocare. Ille vero quasi respondens dicit: Non tibi durum videatur, quod dixi, omnem congregationem vocari; ideo vocari omnem congregationem ad consilium diximus, quia saepius minori Dominus revelat, quod melius est, ac si diceret: ut, quod non potes argumentationibus cognoscere, merito discernas. In hoc loco, ubi dicit: *quia saepe minori Dominus revelat, quod melius est*, concordari videtur Paulo apostolo dicenti: *Si sedenti revelatum fuerit, prior taceat.*

Sequitur: *Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in abbatis pendeat arbitrio.* Hactenus admonuit S. Benedictus abbatem, ut convocaret totam congregationem ad consilium, et reddidit causam, quare debeat omnem congregationem ad consilium vocare; nunc autem admonet monachos, qualiter debeant consilium dare; ait enim: *Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione et non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit.* Et bene dixit: *cum omni humilitatis subjectione*, de duobus verbis causa brevitatis faciens unum: nam potest esse subjectio sine humilitate, verbi gratia potest quis subjectus esse corpore, et mente rebellis, et iterum potest quis esse humilis et non subjectus, i. e. potest esse honestus et tamen sine subjectione; et quia utrumque debet monachus habere, id est humilitatem et subjectionem, ideo dixit: *humilitatis subjectione*, veluti cum duo dicimus unum causa brevitatis, id est: som-

num mortis. *Procaciter* enim in hoc loco pro *superbe* ponitur; *defendere* vero pro *demonstrare et ostendere* ponitur, ac si diceret: non praesumat indicare superbe; et hoc notandum est, quia non dixit tantummodo: *defendere non praesumant* sine *procaciter;* si enim dixisset solummodo: *non praesumant defendere,* non manifestaretur veritas, quia *defendere*, sicut diximus, pro *manifestare* ponitur; sed ideo addidit *procaciter*, id est superbe, quatenus cum humilitate manifestata fuisset veritas sine superbia et sine jactantia.

Sequitur: *sed magis in abbatis pendeat arbitrio.* subaudiendum est: non illorum, qui superbe defendunt. *Pendeat*, id est consistat.

Sequitur: *ut quod salubrius judicaverit, ei cuncti obediant. Salubrius* in hoc loco comparativus pro superlativo positus est.

Sequitur: *sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste condecet cuncta disponere;* ac si diceret: ideo admonui abbatem, salubrius judicare, et monachos, non superbe defendere, quia, sicut illis convenit obedire, ita et abbatem condecet cuncta provide et juste disponere. *Provide* intelligitur quasi *porro videnter; porro* enim adverbium graecum est et ponitur pro *longe; longe* enim pro *finem rei evidenter*[1]) dicitur; evidenter autem pro *juste et provide;* tunc enim provide disponit, cum videns finem rei et secundum suum finem disponit. *Juste* pro *specialiter* ponitur, id est juxta meritum uniuscujusque rei debet illam disponere.

Sequitur: *In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam.* Hactenus, i. e. usque modo B. Benedictus singillatim admonuit monachos et singillatim abbatem; nunc autem illos et abbatem admonet dicens: *In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam.* ac si diceret S. Benedictus: nec monachis nec abbati concedo, ut sine regula quidquam agant, sed omnes secundum regulam agant. Nunc

---

[1]) videnter (?) videre (?)

videndum est, quomodo omnes, id est tam abbas, quam monachi sequi debeant magistram regulam. Magistram regulam sequuntur, si cum auctoritate regulae faciunt spiritalia; magistram sequuntur regulam, si illa temporalia, quae agunt, honeste et saluti animae proficienter agunt.

Sequitur: *nullus ab ea temere declinetur a quoquam. Temere*, id est praesumptive, hoc est cum, quod contrarium est regulae, agunt, sive *temere* intelligitur *passim*, sive *fortuitu* vel *negligenter*. Verumtamen sciendum est, quia istud *declinetur* impersonale est, id est nullus ab ea declinetur a quoquam. *A quoquam*, id est ab aliquo, subaudiendum est: tam ab abbate, quam ab alio monacho.

Sequitur: *Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem*. Nam quid sit *proprii cordis voluntas*, superius in prologo jam diximus.

Sequitur: *neque praesumat quisquam cum abbate suo proterve aut foris monasterio contendere*. Cum dicit: *aut foris monasterio*, subaudiendum est: intus. Iste locus varie intelligitur. Alii sunt, qui intelligunt, ut proterve ad intus attineat, ut sit sensus, ac si diceret: intra monasterium debet contendere, sed sine protervitate, hoc est dicere: si intus rogatus fuerit monachus, potest manifestare causam, sed cum humilitate, et iterum, sicut dixi, rationem illius causae, si abbas dederit licentiam, subjungere debet; foris vero monasterium solummodo causam dicere, et non licet dicere: si vobis placet, ego mitto rationem, quare mihi ita videtur, propter illos homines, qui forte alterius vitae illic fuerint, ne malum illi exemplum ex hoc accipiant, cum non intelligunt rationem illam, quam audiunt. Alii intelligunt, ut *proterve* subaudiatur ad intus et foris, ac si diceret: non praesumat proterve quisquam intus cum abbate suo, aut foris proterve contendere, ut sit sensus: neque intus proterve aut etiam foris proterve contendat, h. e. sicut in monasterio manifestat et subjungit rationem per congruentias et contrarietates, ita et foris manifestet causam et subjungat rationem per congruentias et contrarietates sine protervia. Sed ille sensus primus nobilior est secundo. Et iterum

sunt alii, qui intelligunt ita: neque praesumat intus contendere proterve cum abbate suo aut foris monasterium exire.[1])

Sequitur: *Quodsi praesumserit, regulari disciplinae subjaceat.* Regularis disciplina est: si secreta fuerit illa defensionis culpa, secreto admoneatur semel et secundo et reliq. usque ad sextum gradum, h. e. usque ad orationem. Si vero publica culpa contentionis fuerit, publice arguatur. Et hoc animadvertendum est, ut coram quot fratribus deliquit, coram eisdem fratribus satisfaciat: nam publica culpa est coram totis fratribus, veluti cum est in capitulo, in refectorio, in oratorio et reliq., ubi omnes insimul consuetudo est convenire.

Sequitur: *Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulae omnia faciat sciens, se procul dubio de omnibus judiciis suis aequissimo judici Deo rationem redditurum.* Vide modo, quam honeste facit. Ubi enim abbas debet judicare, quasi fraeno constringit illum dicens: *de omnibus judiciis suis rationem Deo reddere.*

Sequitur: *Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio.* Minora vero sunt, quae solummodo ad uniuscujusque obedientiam attinent, veluti est cellerarius de vasculis emendis aut vestiarius de vestimentis emendis, aut certe si talis parvus locus est terrae, cambire potest. Haec quia abbas potest cum senioribus discernere argumentationibus, quae diximus, ideo necesse non est, omnem congregationem interrogare. Divinarum vero et humanarum rerum dispositio et separanda est et jungenda; separanda videlicet dignitate, quatenus in primo divinarum habeatur dispositio loco. Multum quippe distat inter bonum appetendum et necessarium, quod est sumendum, et ob hoc jungenda est, ut Deus pro se, et haec temporalia non pro se requirantur, sed pro illo singulari bono haec temporalia provideantur vel habeantur. Illi enim, qui in his unum faciunt finem, i. e. studium tantum

[1]) contendere (?).

placendi Deo, possunt laudabiliter unius rei dispositione alterius ornare, ita ut nec divina deseratur, nec res humana inhoneste tractetur. De eo, quod electi atque creati firmissima conditione firmandi sunt, quatenus nec propriae mentis motu nec diaboli leviter instinctu quilibet ipsorum possit moveri: de eo (quod) definiendum est communi decreto, quo supplicio dignus habeatur. qui aliquo quolibet modo ab hac se unitate atque ordinatione subtraxerit. Valde enim cavendum est, ut a regulae observatione nullus recedat, sicut superius B. Benedictus dicit: *Nullus ab ea temere declinetur a quoquam.* Talis sensus potest esse in hoc loco, cum dicit *temere*, qualis sensus est in illo loco, ubi psalmista dicit: *Irascimini et nolite peccare.* Cognovit enim P. Benedictus fragilitatem nostram et pro fragilitate nostra nos non posse sine declinatione regulae subsistere, hoc est, ut non transgrediamur regulam. ideo dixit: *non temere*, quasi diceret aliis verbis: Si tanta est vestra fragilitas, ut transgrediamini, ergo non superbe ab hac regula declinate, hoc est non temere. Tunc non temere declinat quis, cum aut non intelligit, esse negligentiam, quam agit, aut si, quamvis intelligat, tamen pro aliqua impossibilitate, quam se cognoscit habere, nullo modo posse[1]) agere, quamvis intelligat, regulam aliter dicere; nam si intelligit et possibilitas agendi existit, sed tantummodo pro aliqua delectatione non agit, quia potuisset facere, si suae suavitati non consentiret, jam temere declinat. cum taliter declinat.

Sequitur: *Sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.* In hoc enim loco B. Benedictus morem doctorum tenuit, eo quod locutus est prius aliquid et in finem causam dixit ipsius praelocutionis. Sic enim faciunt doctores: in primis aliquando praeloquuntur, et in finem reddunt causam, quare praedixit[2]) ea, quae praelocutus est. Sic etiam idem B. Benedictus in ipso prologo fecit. Vide modo, quia voluit scholam monachorum

[1]) potest (?).
[2]) praedixerunt (?), praelocuti sunt (?).

constituere, idcirco praedixit caetera et pervenit in fine ad constitutionem scholae; sic enim dicit: *Constituenda est a nobis dominici schola servitii.* Deinde similiter fecit, cum de generibus monachorum scripsit. Quia voluit ordinem coenobitarum monachorum describere, ideo isto modo clausit, ait enim: *His ergo omissis ad coenobitarum fortissimum genus adjuvante Domino veniamus.* Et iterum de abbate ita fecit; quia voluit illum sollicitum tam de suis ovibus, quam etiam de se facere, ideo, quamvis praedixit caetera, tamen ita conclusit, ait enim: *Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus*, et reliq. Et hoc sciendum est, quia in eo, quod dixit: *Omnia fac cum consilio*, nihil praetermisit, ut sine consilio aliquid agat; nam in duas species dividit S. Benedictus ea, quae agenda sunt in monasterii utilitatibus, i. e. in praecipua et minora, hoc est, si praecipua fuerint, agenda sunt cum consilio omnium fratrum, si vero minora, cum consilio tantum seniorum. Et hoc etiam sciendum est, quia ideo diximus superius, ut consiliatores caritatem habeant inter se et cum abbate, eo quod solet contingere, ut ille, qui potest melius dare consilium, aut pro abbate, quia eum odit, non dat bonum consilium; similiter etiam non dicit bonum consilium pro illo suo fratre. qui[1]) eum odit, ut ille nesciat bonum consilium. Item attendendum est, ut tempore suo debeat manifestari consilium, quia si ante tempus manifestatum fuerit, non erit postmodum utile, eo quod aut non perficietur unquam, aut si perficietur, tarde perficietur, aut frangetur ipsorum consilium.

Cap. IV.

QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM.

Apto enim et congruo loco B. Benedictus hoc capitulum dicit, cujus clavis est: *Quae sunt instrumenta bonorum operum*, eo quod superius quasi fundamentum posuit. cum

[1]) quia. Codd. Tegerns. et Fürstzell.

de generibus Monachorum scripsit. Deinde quasi fabricam collocavit, cum ordinem coenobitarum scribere constituit; in hac quippe fabrica quasi caput constituit, quia descripturus erat membra, cum abbatem ordinavit et instruxit, i. e. qualiter debeat esse in his, quae in se vel ad se attinent, et postmodum eum instruxit, qualiter debeat esse in his rebus, quae extra se sunt. Sciendum est enim, quia istud, quod dicit: *Quae sunt instrumenta bonorum operum*, potest interrogando proferri, i. e.: Quae sunt instrumenta bonorum operum? et quasi respondendo subjunxit: *Inprimis dominum Deum diligere.* Potest etiam indicando proferri hoc modo, i. e.: quae sunt instrumenta bonorum operum, subaudiendum est: dicamus vel dicendum est. Instrumenta sunt ea, quibus aliquod opus peragitur, verbi gratia fabri instrumenta sunt malleus, incus, forcipes, follis, rota, foscina,[1]) focus et reliqua. Et iterum medici instrumenta sunt fleuthomus, pigmentum, ferramenta, quibus incidit, herbarius liber et reliqua his similia, quibus medicamen medicus operatur. Scriptoris autem instrumenta sunt penna, calamus, scamnellum, rasorium, pumex, pergamena et cetera his similia, quibus liber efficitur. Ita instrumenta sunt servi Dei orationes, jejunia, nuditates, obedientia corporalis et cetera his similia. Et sicut faber his praedictis instrumentis perficit opus, i. e. spatham aut lanceam, et sicut medicus his suis praedictis instrumentis peragit sanitatem, et scriptor librum, ita servus Dei perficit ea opera, i. e. fidem, spem, caritatem et cetera his similia, in quibus servitus Dei comprobatur. Et sicut est stultum, ut faber ideo operetur opus, i. e. spatham, ut habeat instrumenta, i. e. malleum, incudem et caetera; ita etiam est stultum, si servus Dei ideo operetur fidem, spem, caritatem et caetera his similia, ut habeat instrumenta artis spiritalis, i. e. jejunium, nuditates et reliq. Non enim debet quis operari majora propter minora, sed ideo debet operari minora, ut habeat majora. Et hoc intendendum est, quare B. Benedictus solummodo

[1]) focina. Codd. Tegerns. et Emmeram.

clavem istius capituli dixit: *Quae sunt instrumenta bonorum operum,* cum in hoc capitulo non solum instrumenta inveniuntur, i. e. jejunium et reliqua, verum etiam ipsa plura opera, in quibus servitus est Dei, i. e. caritas, spes, fides inveniuntur et reliqua? Ideo dixit solummodo instrumenta, quia, quamvis fides, spes, caritas et reliqua perfecta sint opera, non sint instrumenta, tamen sine instrumentis non possunt esse. Nunc videndum est, quid sequitur, postquam instrumenta dixit. Ait enim: *Inprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.* Bene B. Benedictus primum praeceptum esse dixit dilectionem Dei, quia sic Dominus dixit inprimis ea praecepta, quae ad dilectionem Dei attinent, cum decalogum antiquo populo daret; ait enim: *Audi Israël! Dominus Deus tuus Deus unus est.* Et iterum: *Ne assumas nomen Dei tui in vanum.* Et iterum: *Memento, ut diem Sabbathi custodias.* Vide modo, quia in hoc loco Dominum imitatus est, et sicut Dominus post dilectionem Dei subjunxit in secunda tabula: *Honora patrem tuum, ut sis longaevus super terram.* quia in prima tabula illa tria praecepta scripsit, quae ad dilectionem Dei attinent.[1]) Forte dicit aliquis, quare B. Benedictus primum praeceptum esse dixit dilectionem Dei, cum Paulus apostolus dicat: *Honora patrem tuum, quod est primum mandatum in lege?* Cui respondendum est, quia verum est, quod B. Benedictus dicit, primum mandatum esse: *Diliges Dominum Deum tuum*, et verum est, quod Paulus apostolus dicit, primum mandatum esse: *Honora patrem tuum.* Ac per hoc quantum ad decem praecepta attinet, primum mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum*, sicut S. Benedictus dicit. Et iterum quantum ad septem praecepta attinet, quae scripta sunt in secunda tabula, primum mandatum est: *Honora patrem tuum.* Nam ipsa decem praecepta ita distincta sunt in duabus tabulis: quae attinent ad dilectionem Dei, scripta sunt in prima tabula, reliqua vero septem, quae attinent ad dilectionem proximi,

[1]) altera sententiae pars seu *ἀπόδοσις* omissa esse videtur.

scripta sunt in tabula secunda. Et apte B. Benedictus primum praeceptum dixit Dei dilectionem esse, postmodum subjunxit dilectionem proximi, quia sic dicit B. papa Gregorius: *Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una caritate generantur.* Nunc videndum est, quare dixit, tribus modis Dominum diligere, ex toto corde, tota anima, tota virtute? Quia Deus trinitas est in personis, ideo tribus modis praecipimur Dominum diligere, et propterea etiam secundum quosdam in prima tabula tria praecepta Dominus dedit pertinentia ad dilectionem Dei. Primum mandatum, cum dicit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est*. pertinet ad Patrem; secundum mandatum, quod dicit: *Ne assumas nomen Dei tui in vanum*, pertinet ad Filium; tertium vero mandatum, quod subjunxit: *Memento, ut diem sabbathi custodias*, attinet ad Spiritum sanctum. Et non est mirum, si anima et cor, cum unum sit, habeat diversas affectiones, id est memoria, spiritus, cum Deus, qui unus est secundum substantiam, trinitas est in personis. Nam sicut corpus habet diversa membra, id est oculos, quibus videt. aures, quibus audit. manus, quibus operatur et reliqua. ita anima etiam habet diversas affectiones, id est mentem, qua memorat, spiritum, quo spirat, et reliqua. Et hoc etiam animadvertendum est, quia, cum dixit: *Diligere Dominum ex toto corde, tota anima, tota virtute*, nil relinquit homini, ut aliud diligat praeter Dominum; in proximi autem dilectione mensuram posuit, cum dicit: *sicut se ipsum.* Debet enim homo Deum diligere supra se, se autem debet diligere secundum Deum, id est secundum praecepta Dei. et proximum suum debet diligere sicut se. In dilectione namque Dei necessario tenenda est fides et vita, in dilectione autem proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri; est enim in dilectione Dei necessaria fides et vita, quia videlicet scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo,* et rursum scriptum est: *Fides sine operibus mortua est.* Est autem in dilectione proximi nobis patientia et benignitas conservanda, quoniam de eadem dilectione scriptum est: *Caritas patiens*

est, benigna est; patiens est scilicet, ut illata a proximis mala aequanimiter portet, benigna autem, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat. Sciendum est enim, sicut Beda dicit, quia aliud est dilectio et aliud delectio. Dilectio et diligo per i. affectionis est, id est amoris; deligo et delectio per e. attinet ad delectationem. Diligo enim per i. facit praeteritum *dilexi et dilectus*; deligo facit praeteritum *delegi et delectum*: delectum enim militiae aut alicujus examinis electionem appellamus.

Sequitur: *Non occidere. Non occidere*, i. e. non homicidium facere; istud enim instrumentum prohibitionis est, et hoc animadvertendum est, quia, cum prohibet, homicidium facere, ostendit, etiam inibi virtutem generari. Numquid ille solummodo homicidium facit, qui hominem corporaliter occidit, i. e. ferro, veneno et reliq.? Verum etiam ille homicidium facit, qui alium odit, sicut dicit Joannes Evangelista. Nec non etiam ille homicidium facit, qui aliis malum exemplum praebet, quantum ad criminalia peccata attinet, vel etiam alios hortatur, illud agere. Pejus homicidium est istud, eo quod, qui hominem corpore occidit, solummodo unum occidit, qui vero alium malo exemplo occidit, pejus est, eo quod ille occisus alium occidit et ille alius occisus alium occidit, et sic fit, ut usque in finem saeculi percurrat. Unde quia istud homicidium pejus est, ideo majori poenitentia emendandum est, i. e. ut quot malo exemplo occidit, tot etiam bono exemplo vivificet.

Sequitur: *Non adulterare.* Adulterium est proprie, qui cum alterius conjuge agit illud peccatum; fornicatio vero ad alias mulieres attinet, sicut Dominus dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Item adulterium est illusio alieni conjugii, quod, qui alterius thorum commaculavit, adulteri nomen accepit.

Sequitur: *Non facere furtum.* Numquid ille solummodo facit furtum, qui alienam rem absconse tollit? Verum etiam ille furtum facit, qui rem sibi ab abbate delegatam, i. e. deputatam vel datam aliis sine licentia tribuit, nec non etiam ille furtum facit, qui se subtrahit de servitio

Dei, quantum ad minora peccata attinet; aut etiam ille furtum facit, qui aliis malum exemplum praebet aut hortatur agere, quantum similiter ad minora peccata attinet, v. gr. si hora tacendi loqueris, aut hora legendi aut aliquid agendi te subtrahis, furtum agis. Quod si aliis istud exemplum praebes, furtum facis, vel si hortaris illos, istud agere, pejus furtum facis. Furtum enim est, sicut lex romana dicit,[1]) contrectatio rei fraudulosa, vel ipsius rei vel etiam usus ejus possessionisve, illaque lege naturali prohibitum est admittere. Furtum autem vel a furvo, i. e. nigro dictum est, quod clam et obscure fit et plerumque nocte, vel a fraude, vel a ferendo, i. e. auferendo, vel a graeco sermone, qui *φῶρας* appellant fures; immo etiam Graeci *ἀπὸ τοῦ φέρειν*, i. e. a ferendo *φῶρας* dixerunt.

Sequitur: *Non concupiscere.* Concupiscentia enim et cupiditas proprie in malum attinet, in bonum vero, si reperitur, non proprie dicitur, sed abusive. De hac concupiscentia dicebat Paulus, cum dicit: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago.* Si vero aliquam rem necessariam desideras, alio nomine debes dicere: non *concupisco*, sed *volo;* verbi gratia si desideras rem non tibi necessariam, concupiscentia est, si autem desideras rem necessariam, non est concupiscentia, verum cum freno debes illam rem concupiscere; v. gr. si vides vestem non tibi necessariam et illam concupiscis, concupiscentia est; si autem necesse tibi est, illam vestem habere, debes dicere absque damno fratris: volo habere talem vestem causa necessitatis meae.

Sequitur: *Non falsum testimonium dicere.* Numquid ille solummodo falsum testimonium dicit, qui super alium mentitur? Vere ille falsum testimonium dicit, qui scit, falsum esse, quod audit, et tacet. Quid ergo isti faciendum est, qui falsum audit et tacet, ut sibi non reputetur? Debet iste talis discretus esse, i. e. debet per argumentationem, quam superius dixi, cognoscere,[2]) i. e. si certus non est,

[1]) digestor. lib. 47. tit. 2. de furtis.

[2]) cognoscere congruentias et contrarietates. Cod. Emmeram.

ut irasci debeat frater, debet manifestare veritatem, eo quod debet dimittere incertitudinem et tenere certitudinem, i. e. dicere veritatem, quia certus est, falsum esse, quod audit, et dimittere incertitudinem, quia incertus est, utrum irascatur frater annon. Quodsi certus fuerit, quia irasci debet frater, si veritatem dixerit, debet videre congruentias et contrarietates, i. e. quanta bona inde fient, vel quanta mala propter scandalum fratris generanda sunt; si plus fuerint congruitates, si dixerit, debet dicere; si autem plus fuerint contrarietates, debet tacere usque ad tempus; tunc enim falsum testimonium dicis, cum non solum illud loqueris, sed etiam cum dicis, minorem fuisse causam, quam erat, et ideo cum dicis, in Deo primum peccas et postmodum in proximum. Nam si Deum dilexisses toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tuum sicut te ipsum, profecto verum diceres et non falsum; verum etenim ille falsum testimonium dicit, qui ea, quae audit aut videt facientem, non eodem sensu interpretatur, quo dicuntur vel aguntur: verbi gratia vidit manducantem fratrem pro infirmitate aut necessitate; dicit alicui fratri: ille frater non facit bene, quia manducat ante horam. Falsum iste testimonium dicit, quia alio sensu dicit, quam quo ille manducat. Similiter de caeteris rebus intelligitur. Sic etiam falsi dicuntur testes, qui de Domino dixerunt: *Hic dixit, quia possum destruere templum hoc et in triduo illud reaedificare*, qui, licet pene eadem verba dixerunt, quae Dominus dixit, tamen, quia eodem sensu, quo Dominus, non dixerunt, falsi testes esse dicuntur, et quia mutaverunt verbum; Dominus enim dixit: *Solvite templum hoc*, illi autem dixerunt, Dominum dixisse: *Possum destruere templum hoc*. Dominus enim dixit de templo corporis sui: *solvite*, hoc est interficite: illi autem intellexerunt, eum dixisse de templo Salomonis. Testes enim antiquitus superstites dicebantur, eo quod super statum causae proferebantur: nunc parte ablata nominis testes vocantur. Testis autem consideratur conditione, natura et vita: conditione, si liber, non servus: nam saepe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis; natura,

si vir, non femina, nam varium et mutabile semper femina animal est; vita, si innocens et integer actu, nam si vita bona defuerit, fide carebit; non enim potest justitia cum scelerato habere societatem. Duo autem sunt genera testium, aut dicendo id, quod viderunt, aut proferendo id, quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, aut cum falsa promunt aut vera silentio obtegunt. Testes dicti, quod testamento adhiberi solent, sicut signatores, quod testamentum signent, reus a re, de qua noxius, et reatum a reo est nuncupatum. Quatuor modis justitia in judiciis subvertitur: timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicujus veritatem dicere vel judicare quislibet pavescit. Cupiditate, dum pretio muneris alicujus corrumpitur judex; odio, dum cujuslibet inimicitiae causa nocere alteri desiderat; amore, dum amicos vel propinquos contra justitiam defendit potentior. His quatuor modis saepe aequitas judicii subvertitur et innocentia laeditur. Si falsi testes separantur, mox mendaces inveniuntur, sicut Daniel legitur fecisse. Uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit. Falsus testis tribus personis est obnoxius: primum Deo, cujus praesentiam contemnit, deinde judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio laedit. De testimonio vero servi B. Gregorius in quadam sua epistola, quam in Hispaniam misit pro quodam episcopo contra legem condemnato, judicavit adhibens hanc legem romanam hoc modo: *Illud autem quod dicitur a servis suis accusatus, quia audiri minime debuerunt, haec constitutio patefacit (codicis libro nono, titulo primo, constitutione XX*[ma]*, imperatores Archadius et Honorius Augusti, Eutychiano papae*[1]*): Si quis ex familiaribus vel ex servis cujuslibet domus cujuscumque criminis delator atque accusator (exstiterit?) emerserit ejus existimationem, caput atque fortunas petiturus, cujus familiaritati vel dominio inhaeserit, ante exhibitionem testium, ante examinationem judicii in ipsa expositione criminum*

[1]) erronee positum pro *praefecto praetorio*.

atque accusationis exordio ultore gladio feriatur; vocem enim funestam intercidi oportet potius quam audiri.[1])

Sequitur: *Honorare omnes homines.* Quid est, quod dicit: *Honorare omnes homines?* Numquid honorare possum illos, quos non video? *Honorare*, hic subaudiendum est: quos vides. Et iterum: numquid honorare debeo illos, qui non debent honorari? Hic subaudiendum est: qui debent honorari; nam debet malus honorari et diligi, in quantum creatura Dei est, vitium autem, quod agit, debet odiri. Et cum hoc fecerimus, implebitur in nobis, quod psalmista dicit: *perfecto odio oderam illos.* Perfecto odio odire est, cum in homine non naturam, sed vitium odimus. Et iterum debeo honorare malos, eo quod eorum bona, nescio quae, forte in illis latent, et quia finem illorum nescio, utrum in bonum conversuri sint, et meum[2]) forte in malum.

Sequitur: *Et quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat.* Dilectio proximi in duobus modis dividitur, i. e. quod tibi fieri vis, alii fac, et quod tibi fieri non vis, alii ne facias. In hoc loco cum dicit: quod fieri tibi vis, alii fac, omne bonum praecipitur fieri, et in eo, quod dicit: quod tibi fieri non vis, alii ne facias, omne malum fieri vetatur. De hac videlicet fraterna dilectione qualiter habenda sit, B. Gregorius in libro X moralium, ubi dicitur, quod multiplex sit lex ejus, nobiliter docet hoc modo dicens: *Et quod multiplex sit lex ejus . . . . . . provectu hilarescit.*[3])

Sequitur: *Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum.* Bene dixit *abnegare*, non dixit *occidere.* Nunc videndum est, quomodo potest quis abnegare semetipsum. Tunc enim seipsum abnegat, cum derelinquit vitia, quae habuit; verbi gratia si superbus conversus ad Christum factus est humilis, semetipsum abnegavit; abnegavit enim id, quod fuit per vitium, non abnegavit, quod est per naturam.

[1]) cf. Migne, tom. 77. col. 1299. epist. lib. 13. epist. 45.

[2]) ego (?).

[3]) Moral. lib. 10. in cap. 11. Jobi (col. 940. num 7. usque col. 943. n. 10.)

quia aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Et bene dicit: *abnegare semetipsum.* quia nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est. Sic et olerum plantae transponuntur atque, ut ita dixerim, eradicantur, ut crescant. Ergo abnegemus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus, et maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Unde dicitur: [1]) *Verte impios, et non erunt;* conversi namque impii non erunt, non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa. Sic enim Paulus a semetipso dicit: *Vivo autem jam non ego, vivit in me Christus.* Exstinctus quippe fuerat saevus ille persecutor et vivere coeperat pius praedicator; ac si aperte dicat: Ego quidem a memetipso exstinctus sum, quia carnaliter non vivo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter vivo. Duae enim viae sunt, una est veteris Adae, altera est novi, i. e. Christi, una est, quae ducit ad infernum, altera est, quae ducit ad paradisum. Nisi dimiserit aut reliquerit viam, quae ducit ad perditionem, prius unusquisque quilibet Christianus, nullomodo abnegat seipsum. Deinde tanquam si ab eo protinus causam abrenuntiationis quaereret aliquis, quare debeat quis abrenuntiare seipsum, subjunxit: *ut sequatur Christum,* ac si diceret aliis verbis: nisi quis reliquerit viam veteris Adae, quae ducit ad interitum, nequaquam poterit venire ad Christum, et ideo debet semetipsum abnegare, ut sequatur Christum. *Christus*, quia graecum est, per χ scribendum est; ita et *chrisma*: multis namque modis Christus appellari in scripturis invenitur divinis; nam ipse Dei Patris unigenitus filius Dei, dum esset aequalis Patri, propter salutem nostram formam servi accepit: proinde quaedam nomina in illo ex divinitatis substantia, quaedam ex dispensatione susceptae humanitatis assumta sunt. Christus

[1]) Proverb. 12, 7.

namque a chrismate est appellatus, h. e. unctus; praeceptum enim fuerat Judaeis, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent hi, qui vocabantur ad sacerdotium vel ad regnum. Et sicut nunc regibus indumentum purpurae insigne est regiae dignitatis, sic illis unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat, et inde christi dicti a chrismate, quod est unctio; nam *chrisma* graece latine *unctio* interpretatur, quae etiam Domino nomen accommodavit facta spiritalis, quia spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in actibus dicitur apostolorum: *Collecti enim sunt in hac civitate adversus filium sanctum tuum, quem unxisti,* non utique oleo visibili, sed gratiae dono, quod visibili significatur unguento. Non autem est Salvatoris proprium nomen *christus*, sed communis nuncupatio potestatis; dum enim dicitur Christus, commune dignitatis nomen est, dum Jesus proprium est vocabulum Salvatoris. Christi autem nomen nusquam alibi omnino nec in aliqua gente fuit, nisi tantum in illo regno, ubi Christus prophetabatur et unde futurus erat. Nam quasi interrogasset aliquis S. Benedictum dicens: *Cui proficit, si se ipsum abnegaverit?* ille subjunxit dicens: *sibi*, i. e. sibi proficit.

Sequitur: *Corpus castigare.* Vide modo, non dixit: *corpus occidere*, sed *castigare;* in castigatione enim corporis magna discretio necessaria est, ne aut minus aut nimium castigetur, ne, cum hostem vult ferire, civem feriat. Si enim nimium castigaveris corpus, Dei servitium operari non potes, et iterum si non fuerit discrete castigatum, ducit te in praecipitium. Verbi gratia, ecce quis habet servum; si illum non constrinxerit, ille murmurans erigit se contra illum, si autem constrinxerit illum, ille iterum murmurat. Melius est, ut constrictus murmuret, quam dissolutus. Ita et corpus; si corpus castigaveris, murmurat, quia semper terrena cogitat, et iterum si non castigaveris, mittit te in praecipitium. Melius est, ut constrictum aliquid mali cogitet, quam dissolutum in praecipitium ducat. Ad hanc quippe discretionem potest istud attinere, quod in Evangelio legitur: Venerunt pharisaei et Herodiani ad Jesum dicentes: Licet

reddere Caesari censum an non? quia pharisaei dicebant: non licet, Herodiani dicebant: licet. Nec illi erant Christiani, nec Herodiani. Jesus autem dixit eis: *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae Dei, Deo,* ac si diceret in hoc sensu, cum dicit: Reddite, quae Caesaris sunt, Caesari, i. e. reddite, quae corporis sunt, corpori, et quae Dei, Deo, i. e. quae animae sunt, animae.

Sequitur: *Delicias non amplecti.* Vide modo, quia non dixit: *delicias non manducare,* sed *non amplecti*, i. e. non amare; si enim mihi deliciae appositae fuerint, possum manducare causa hospitalitatis vel necessitatis tantum, i. e. non causa delectationis, eo quod non debeo illas manducare. Verumtamen et cum manduco causa necessitatis, quantitatem inibi debeo servare, v. gr. si decem mihi pulmenta apposita fuerint, tantum debeo manducare de decem, quantum ex duobus. Et hoc sciendum est, quia non est peccatum in cibo, sed in desiderio; nam multi fuerunt, qui solummodo vilem cibum concupiscentes peccaverunt, veluti fuerunt filii Israel in deserto, qui concupierunt cepas, pepones, i. e. melones et reliq.; et iterum fuerunt alii, qui carnem manducando non peccaverunt, veluti fuit Elias propheta, cui corvi ministrabant carnes vespere et mane.

Sequitur: *Jejunium amare.* Bene dixit: *Jejunium amare,* et non *jejunare;* sunt enim multi, qui jejunant, et tamen, quia non amant, non jejunant; et multi sunt, qui non jejunant, tamen, quia amant, jejunant; verbi gratia si pro hospite non jejuno et amo jejunare, pro jejunio ponitur; et iterum, si invite jejunavero, tamen, quia non amo, non jejuno. Et hoc notandum est, quia hoc, quod dicitur *jejunium amare*, non est contrarium illi sententiae, quam superius dixit, ut, cum pro hospite quis dimittit jejunium in exteriore homine, ita etiam in corde; quia si dimittit propter charitatem, tamen debet amare propter hoc praeceptum. Dicit enim Isidorus:[1]) *Jejunum tenue intestinum, unde et jejunum dicitur. Intestina dicuntur, eo quod cor-*

[1]) Etymolog. lib. XI. num. 131. 129.

poris interiori parte cohibentur, quae idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, ut susceptas escas paulatim egerant et superadditis cibis non impediantur.

Sequitur: *Pauperes recreare.* Hoc praeceptum ad majores, qui potestatem dandi habent, attinet; tamen pauperes recreant etiam minores monachi, si voluntatem recreandi habent, aut etiam cohortantur priores, pauperes recreare, qui habent potestatem recreandi. Pauper enim, sicut Cassiodorus dicit,[1]) dictus est a paululo lare. Et iterum pauper ille dictus est, qui terrena cupiditate vacuatus coelesti desiderat largitate ditescere. *Recreare,* i. e. refocillare vel aliquod adjutorium illis tribuere vel impendere.

Sequitur: *Nudos vestire.* Similiter et hoc praeceptum maxime ad priores attinet, qui potestatem habent dandi. Possunt etiam minores nudos vestire, si voluntatem habent vestiendi, aut etiam hortantur majores, nudos vestire, qui habent potestatem dandi.

Sequitur: *Infirmos visitare.* Cum enim dicit *Infirmos visitare,* non illos dicit, qui extranei infirmi sunt, quia ipse S. Benedictus dicit inferius: *Officina vero, ubi haec omnia diligenter operemus, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.* Ipsos vero infirmos, qui in claustro monasterii jacent, non debent sine licentia visitare. Quomodo potest quis visitare sine licentia, cum non debet habere horam, in qua sine obedientia possit existere, ut otiosus sit? V. gr. mane legit usque ad horam secundam; deinde in capitulo ille abbas injungit unicuique obedientiam, quam exerceat. In ipso capitulo dicit cellerario: Frater vade in tuam obedientiam! similiter et unicuique dicit exire, sicut ei injunctum est. Deinde illis, qui non habent injunctam obedientiam, dicit: Ite, et vos facite hoc aut istud, aut tu adjuva talem fratrem, et tu alter vade in hortum et reliqua. Verumtamen si vult ire aliquis ad infirmum fratrem, cum licentia debet ire, aut certe cum nuntiatur frater valde infirmus esse, tunc dicat abbas in capitulo: qui vult infir-

[1]) expos. in psalm. 9. v. 9.

mum visitare, vadat hodie et visitet. Quod si propter obedientiam tibi injunctam non potuisti visitare, si voluntatem habuisti infirmum visitandi, infirmum visitasti.

Sequitur: *Mortuum sepelire.* Mortuum enim cum dicit sepelire, non dicit, ut extra claustra monasterii eas et mortuum sepelias, quia, sicut de infirmo diximus, ita etiam de *mortuum sepelire*[1]) intelligendum est, quia ipse dicit: *Officina vero, ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.* Quodsi infirmus tam pauper fuerit, ut non habeat, qui fossam fodiant et officium cantent, pro hac necessitate, i. e. ut fodias fossam et officium cantes, potes ire Quodsi adsunt alii, qui possunt, aut qui habent alios, qui fodiant fossam aut cantent officium, tu non debes ire, si vero ieris, non in mercedem reputabitur tibi a Deo sed in vanam gloriam, quia non causa necessitatis vadis sed causa alterius rei. Si autem ambulaveris viam et inveneris hominem mortuum aut a latronibus occisum, non debes ab illo recedere, nisi prius illum sepelias, quia multi istud exercendo placuerunt Deo, sicut Tobias. Quodsi non poteris illum ibidem sepelire, debes illum ponere in jumentum tuum et reportare ad locum tuum et sic eum sepelire. Quodsi nec hoc poteris facere, ut non habeas jumentum aut certe fossorium, quo fodias terram, debes ire ad vicum et invenire fossorium. Quodsi non poteris ibi tamdiu demorari, ut hoc facias, tunc nuntia illum mortuum aliis, ut ipsi eum sepeliant; verum etiam poteris mortuum coram Deo sepelire, si voluntatem habeas sepeliendi, quamvis aut licentiam aut facultatem non habeas sepeliendi.[2]) Si vero non propter necessitatem, quam supra diximus, ieris ad mortuum, ambitio est, et quia ambitio est, ideo non debes ire.

Sequitur: *In tribulatione subvenire.* Iste enim locus tribus modis intelligitur; uno enim modo subvenis in tribulatione, v. gr. si fratri excommunicato, qui post excom-

---

[1]) de mortuis sepeliendis. Cod. Fürstzell.

[2]) agendi. Codd. Tegerns. et Fürstzell.

municationem murmurat aut non patienter suscepit illam poenitentiam, tu confortationem et exhortationem dederis aut pro illo oraveris, in tribulatione subvenisti. Altero vero modo tribulanti fratri subvenis, cum frater murmurat propter necessitatem suam, quam non habet, i. e. aut vestimentum aut calcearios, et tu das illi consolationem, ut non murmuret, aut oras pro illo, tunc tribulanti subvenis, aut certe si fratrem debilem adjuvas infra tuam obedientiam, v. gr. si injunctum est tibi lavare pannos aliquos, et venerit debilis frater ad te rogans, ut etiam sua vestimenta laves aut adjuves lavare, tribulanti subvenis, ita tamen, ut tuam obedientiam pro hoc non dimittas, hoc est inprimis debes lavare illos pannos, qui tibi injuncti sunt, et postmodum lavare fratris, aut certe inter illos pannos lavas illius fratris.

Sequitur: *Dolentem consolari*; duobus modis intelligitur. Uno modo consolationem tribuis dolenti, cum fratri, qui forte pro uno peccato, in quo cecidit, dolet et desperat, tu consolas illum et exhortaris, ut non desperet se sed agat poenitentiam. Altero modo dolentem fratrem consolas, cum forte pro multitudine peccatorum se desperat, et tu consolas illum, i. e. exhortaris illum, agere poenitentiam, aut certe oras pro illo, dolentem consolas. Dolor enim, sicut Cassiodorus dicit,[1]) dictus est quasi domabilis horror.

Sequitur: *A saeculi actibus se facere alienum.* Saeculi actus sunt honores, manducare et bibere, vestire, dormire. Si haec omnia, i. e. honorem, manducare, bibere, vestire, dormire pro delectatione non feceris sed pro necessitate, a saeculi actibus te facis alienum; si autem pro delectatione feceris, non te facis alienum a saeculi actibus. Et hoc sciendum est, quia non est peccatum in cibo, sed in desiderio; [nam] in placitum vero ire pro causis agendis nullatenus monachus debet [ire]; si vero ierit, a saeculi actibus non se facit alienum.[2])

[1]) expos. in psalm. 7. v. 17.

[2]) Cod. Fürstzell. addit: *dicunt enim collationes patrum, qui sint saeculi actus, hoc modo: Secundum regulam (seniorum), quid-*

Sequitur: *Nihil amori Christi praeponere.* Potest etiam amori Christi praeponi isto modo sine saeculari actu, veluti est desidia, h. e. si obedientiam aut aliquod opus pigre agis, amori Christi praeponis, v. gr. si tempore, cum signum sonuerit et non statim cucurreris, pigritiam tuam amori Christi praeponis. Similiter de aliis causis intelligendum est, i. e. amori Christi praeponis, si, quidquid agis, pro amore Christi non agis.

Sequitur: *Iram non perficere.* Dicunt enim sapientes saeculi, duobus modis fieri iram, i. e. natura et odio. Vide modo, non dixit *irasci*, sed *iram non perficere.* Ira est secundum naturam commotio mentis, v. gr. si aliquem agentem vides contra voluntatem tuam et tunc irasceris, commotio mentis est; si autem post hanc commotionem cognoveris, non debere irasci, et duraveris in hac ira, tunc iram perficis. De eo, quod quatuor modis ira nasci solet, docet nobiliter B. Gregorius hoc modo dicens: *Sciendum vero est, quod . . . . . . in desideriis infirmatur.*[1])

Sequitur: *Iracundiae tempus non reservare.* Tunc iracundiae tempus reservas, cum exspectas tempus, in quo statuis reddere vicem. *Iracundus etenim dicitur*, sicut S. Hieronymus dicit,[2]) *qui semper irascitur et ad levem responsionis auram atque peccati quasi a vento folium commovetur; nequo vero qui aliquando irascitur, iracundus est, sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur.* Nam iracundia derivatur ab eo, quod est iracundus; sive etiam iracundus dicitur, ut Isidorus dicit,[3]) eo quod accenso

quid necessitatem victus cottidiani et inevitabilem usum carnis excedit, ad saecularem definierunt curam et sollicitudinem pertinere. Codex Tegerns. exhibet quidem hunc locum, sed omnino incongrue in expositione instrumenti posterioris: *iram non perficere.*

[1]) Moral. lib. 5. in cap. 4. S. Jobi. num. 80. usque num. 86. cf. Migne, tom. 75. col. 725—730.

[2]) commentar. in epist. ad Titum cap. 1. v. 7.

[3]) Etymolog. lib. 10. num. 130. et lib. 16. num. 9.

sanguine in furorem compellitur. *Ur* enim flamma dicitur, et ira inflammat.

Sequitur: *Dolum in corde non tenere.* Ille enim dolum tenet in corde, qui, quia vicem non potest reddere, tamen contra nocentem se dolum contra illum habet. *Dolus enim dicitur*, sicut dicit Isidorus,[1]) *calliditas mentis ab eo, quod deludat*; *aliud enim agit, et aliud simulat. Petronius aliter existimat dicens: Quidest, judices, dolus? Nimirum, ubi aliquod factum est, quod legi dolet; habetis dolum, accipite nunc malum.*

Sequitur: *Pacem non dare falsam.* Ille enim pacem falsam dat, quem[2]) non diligens osculatur.

Sequitur: *Caritatem non derelinquere.* Duobus modis derelinquit homo caritatem, uno modo derelinquit homo caritatem, i. e. per intervallum temporis. altero modo derelinquit funditus; i. e. tunc derelinquit caritatem per intervallum temporis, si hodie caritatem habet et cras non habet, et iterum habet et non habet. Caritatem in perpetuum derelinquit, qui nunquam habet caritatem, postquam desierit caritatem habere.

Sequitur: *Non jurare.* Jurare enim est, ut Cassiodorus dicit, aliquid sub attestatione promittere. Et reddit causam, quare non debeat jurare, cum subdit: *ne forte perjuret*, ac si diceret: Ideo non juret, ne forte perjuret. De juramento enim videamus, qualiter Dominus in Evangelio dicat, ait enim: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester: est, est; non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Pessima autem erat consuetudo Judaeorum, qui relicta licentia, quam dederat illis Dominus, jurare per semetipsum, jurabant per elementa mundi, unde saepissime redarguuntur

---

[1]) Etymolog. lib. 5. cap. 26. n. 7. [2]) qui. Cod. Emmeram.

a Domino, quia homo rem, per quam jurat, aut veneratur aut colit aut timet. Dominus enim concesserat illis jurare per semetipsum, ne jurarent per deos alienos. Ea intentione praeceperat illis jurare per semetipsum, qua etiam intentione praeceperat illis offerre sibi sacrificium carnale; praeoccupaverat enim illos in sacrificiis offerendis sibi, ne ipsa sacrificia obtulissent diis alienis. Constrinxerat enim illos ut servos, nutrierat ut parvulos. Haec autem licentia jurandi sive sacrificandi non illis in perpetuo data est, sed tamdiu illis concessa, donec veniret ille, qui meliorem legem daret filiis. Sic enim per prophetam dicit: *Dedi eis praecepta non bona, in quibus non vivent;* ad comparationem enim meliorum non sunt bona, nam sibimetipsis comparata bona sunt. Et item dicit: *Dabo eis testamentum non tale, quale dedi patribus eorum, cum educerem illos de terra Aegypti.* Illis enim praecepit ut servis, ut jurarent, nobis autem praecepit ut filiis, non jurare omnino; lex enim per Moysen data est a Judaeorum profectu, i. e. ad perfectionem sanctitatis sive profectum a gratia Evangelii accepit;[1]) omnia enim nova a veteribus sumunt testimonia. Hoc enim, quod Dominus praecipit, non jurare nos omnino, longe ante Salomon per Spiritum Sanctum praedixit dicens: *Jurationi os tuum non adsuescat.* Et iterum idem Salomon dicit: *Omnis jurans aut negotians*[2]) *peccato non purgabitur*, i. e. peccato non carebit. Quid enim necesse est illi jurare, cujus locutio debet esse fidelis, ut pro juramento accipiatur? Ideo praecepit Dominus, non jurare omnino, ne sperarent alii aut speraremus nos, nobis inesse licentiam mentiendi absque juramento. Dominus enim nullam differentiam vult esse inter mendacium et juramentum; sicut enim cavenda est perfidia in juramento, ita debet caveri mendacium in locutione, quia utrumque Dominus judicat. Dicit enim Psalmista: *Perdes eos, qui loquuntur mendacium.* Et Apostolus: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et si

[1]) sententia haec vix intelligibilis.
[2]) nominans. edit. Vulgat.

Deus perdet eos, qui loquuntur mendacium, et os, quod mentitur, occidit animam, cavendum est in omni locutione mendacium, sicut perfidia in juramento. Fidelis enim quidquid loquitur, veraciter debet loqui, ita ut pro juramento accipiatur, quia scriptum est: *Testis fidelis non mentitur;* quamquam hoc specialiter ad Christum referatur, tamen ad unumquodque membrum ejus potest referri; Dominus enim, qui praecipit non jurare, legitur jurasse. Quare? Propter perfidiam Judaeorum hoc faciebat, quia illi nulli locutioni credebant, nisi juramento firmaretur, et propterea jurabat Dominus, ut, qui nolebant credere vera loquenti, saltem crederent juranti. *Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis.* Minor justitia est scribarum et pharisaeorum, non perjurare, major justitia est illorum, qui intraturi sunt in regnum coelorum, non jurare omnino. Dominus enim, qui praecepit non jurare, non solvit legem, sed implevit, quia qui non jurat, non perjurat. Sicuti enim ille, qui non loquitur, non mentitur, ita non perjurat, qui non jurat, et quia homo rem, per quam jurat, aut invocat aut advocat, ideo necesse est, ut subtilius investigemus, ne Paulus, qui legitur jurasse, contra Dominica praecepta videatur jurasse. Dicit enim: *Ecce, quae scribo vobis, coram Deo, quod non mentior.* Et iterum: *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula, scit, quod non mentior.* Et iterum: *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis pro vobis ad Deum, fratres.* Sunt enim nonnulli, qui conantur defendere Paulum dicentes: quia ille jurat, qui per aliquid dicit: Paulus autem non juravit, quia per aliquid non dicit. Quod B. Augustinus ridiculum dicit esse. Nunc autem propter hos contentiosos, qui ita defendunt Paulum, necesse est, ut etiam istud testimonium adhibeatur, quo Paulus eo modo reperitur jurasse, quo illi dicunt esse jurandum. Dicit enim: *Quotidie enim morior per vestram gloriam, fratres.* Hic enim *per vestram gloriam* non ita intelligendum est, quasi diceret: pro vestra gloria morior, aut vestra gloria me facit

quotidie mori, aut, sicut dicitur: per illius magisterium doctus factus est, i. e. illius magisterio factum est, ut perfecte doceretur, quod sermo graecus excludit, quia sermo ille graecus, unde hoc translatum est, nullomodo aliter potest intelligi, nisi a jurante; unde quamvis in nostra locutione talis locutio diverse intelligi potest, tamen in hoc loco non aliter potest intelligi, sicut diximus, nisi juramentum. Nunc autem, quia non potest Paulus defendi, non jurasse, subtilius inspicienda est sententia Salvatoris, quam plene Paulus noverat, qua intentione prohibuit Dominus jurare, ne Paulus, sicut diximus, contra praecepta magistri videatur jurasse. Dominus enim, cum dicit, non jurare omnino, non dicit, ut omnino non juretur, sed dicit, ut jusjurandum pro bono omnino non esset appetendum; sunt enim nonnullae res, quae per se aut pro se non sunt bonae, sed propter alias res adjacentes aut accidentes sibi accipiuntur pro bonis, ut v. gr. si suades alicui necessaria aut utilia, et ille tuis dictis suam non accomodat fidem, tu autem pro salute illius, ut ille credat, juras illi, tunc uteris ibi *re non bona bene*. Unde Dominus, cum dicit, non jurare per coelum et terram, quia ita voluit intelligi *non jurare omnino*, sicut diximus, ideo pervenit usque in illum locum, ubi subjunxit dicens: *quod autem his abundantius est, a malo est*, i. e. a malo infirmitatis illius, qui non credit: ipsa enim infirmitas illius sive incredulitas malum est, a quo malo quotidie rogamus Dominum in oratione ut liberari mereamur, i. e. ut non minus creduli inveniamur, quam opportet; quamvis caeteri minus intelligentes hoc, quod dicitur *a malo*, ita velint intelligere, i. e. a diabolo, quia scriptum est: *Diabolus mendax est et pater ejus*, quod captioni patet magis quam rationi, quia si ita intelligatur, et Paulus et caeteri Sancti, qui inveniuntur jurasse, contra praeceptum Domini videntur jurasse. Hic etiam subtilius investigandum est, cur dixit *a malo*, et non dixit *malum*? Si enim *malum* dixisset, dubium fuisset, utrum illi esset malum, qui loquitur, an illi, cui suadetur. Sed quia hoc malum non attinere voluit Dominus loquenti, sed non credenti, ideo dixit *a*

malo, quia non est malum illi, qui suadet, si juraverit pro salute illius, sed ille. cui suadetur, quia a malo infirmitatis, i. e. incredulitatis illius, qui credere non vult, descendit.

Sequitur: *neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est*, et reliq. Pro duobus enim modis Dominus prohibuit jurare per elementa; uno enim modo, ne veneratio Creatoris transferatur in venerationem creaturarum, sicut superius diximus, quia homo rem, per quam jurat, aut veneratur aut colit aut timet. Quem errorem Paulus apostolus non solum in gentibus reprehendit, quae paene ab ipsa creatione mundi per culturam idolorum a Deo recesserunt, verum etiam in Judaeis, qui saepius a Deo recedentes leguntur, dicens: *Coluerunt et servierunt creaturae potius, quam creatori.* Altero vero modo, quia Judaei timentes jurare per Dominum, sicut illis concessum fuerat, ne juramento tenerentur, sicut dictum erat illis: *Reddes autem Domino juramenta tua*, callide jurabant per elementa, et ex hoc decipiebant illos, quibus jurabant, quia se aestimabant non teneri a juramento, si per elementa jurarent, et illos,[1]) quibus jurabant, talibus juramentis credere putabant, facientes contra illud, quod Psalmista dicit: *Nec juravit in dolo proximo suo*, qui hujuscemodi jurat,[2]) i. e. ut ille, qui jurat, non pro juramento teneat, ipse autem, cui juratur, pro juramento accipiat. Quam vero calliditatem etiam Dominus in alio loco denudat dicens: *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus, quae super illud sunt; et qui juraverit in templo, jurat in illo et in eo, qui habitat in ipso. Et qui jurat in coelo, jurat in throno Dei et in eo, qui sedet super eum.* Quomodo potest immunis esse a juramento, qui per coelum jurat, cum coelum thronus Dei est? Vel quomodo similiter potest non teneri a juramento, qui per terram aut per Hierosolymam aut per caput jurat, cum terra scabellum pedum Dei est, et Hierosolyma praefigurationem illius coe-

---

[1]) et (quia) illos.

[2]) (Ille jurat in dolo proximo suo), qui hujuscemodi jurat, ut ...

lestis Jerusalem, i. e. corporis Christi tenet, et caput figuram Christi tenet, sicut Apostolus dicit: *Caput viri Christus est.* Et hoc animadvertendum est, ut Hieronymus dicit, quia jusjurandum hos habet comites: veritatem, judicium atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. Item qui jurat per coelum, jurat in eo et in illo, qui coelum creavit, et qui jurat per terram, jurat in illa et in eo, qui creator ejus est, et qui jurat per Hierosolymam, jurat in illa et in eo, cujus civitas est. Dicit enim: *neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis.* Melius enim fuerat dicere *magni regis*, quam *mea*, quamquam et ipse magnus rex sit, quia suo tempore manifestanda erat suae potentia divinitatis. Neque per caput tuum juraveris, nihil enim nobis propius attinet quam caput, sed non est nostrum, quia in subsequentibus dicit: *neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum;* et si unum capillum non possumus facere album aut nigrum, restat, ut illius sit, qui hoc facere potest, i. e. capillum nigrum aut album. Et si jam caput non est nostrum, quare Dominus *tuum* dicit, i. e. neque per caput *tuum* juraveris? More enim nostro Dominus locutus est, cum dicit *per caput tuum*, i. e. per caput, quod tu tuum putas. Idcirco Dominus a magno elemento coepit dicens: *neque per coelum* et reliqua, et pervenit usque ad minimum, i. e. capillum album aut nigrum, quia ostendere voluit, nil creaturarum nobis attinere et nil creaturarum sua gubernatione non subsistere; et si nil creaturarum nobis attinet, et nil creaturarum sine sua gubernatione potest subsistere, superest, ut omnis creatura sua sit, et nos per nullam creaturam velit jurare. Nunc autem propter minus intelligentes necesse est, ut investigemus, quid sit, quod Dominus dicit: *neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est*, ne Deum membra, sicut homines, habere credant. Quid est, quod hic Dominus dicit: *neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est?* et per prophetam clamat: *Coelum*

mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum? Numquid Deus membra veluti homo habet? Homo enim in alio loco sedet, in alio loco pedes ponit. Numquid et Deus, sicuti homo, alibi, i. e. in coelo sedet, et in terra pedes ponit? Nequaquam, sed more nostro loquitur; nos enim, cum sedemus, in eminentiore ac praecellentiore loco sedemus. In corpore enim mundi quatuor sunt principalia elementa, et his elementis eminentius et excellentius est coelum, minus est terra. Et tunc, cum dicit: *Coelum mihi sedes est,* quasi vis divina praesentior sit eminentiori et praestantiori elemento, i. e. coelo, terram vero minus elementum in infimis atque in extremis ordinet et regat atque gubernet. Spiritaliter autem coeli nomine sanctae animae intelliguntur, et terrae peccatrices; et quia per coelum animae justorum intelliguntur, manifestat Salomon, qui dicit: *Anima justi sedes est sapientiae.* Et Paulus dicit: *Christus Dei virtus et Dei sapientia est.* Et si anima justi Dei sedes est et sapientia Dei est, bene animae justorum Dei sedes dicuntur; et ecce, probasti, animas sanctorum Dei sedem esse. Nunc autem videndum est, qua ratione ipsae animae sedes dicuntur, et non habitatio. Per sessionem enim coeli judiciaria potestas intelligitur, (et Apostolus dicit: *Spiritalis omnia dijudicat*), quae sanctis, meritis suis exigentibus, data est. Per terram vero peccatrices animae intelliguntur, quia homo, postquam peccavit, audivit: *Terra es et in terram ibis.* Et si animae peccatrices intelliguntur per terram, et per scabellum quare?[1]) Ideo enim nomine scabelli animae peccatrices intelliguntur, quia homo nolens stare in lege, factus est sub lege, quasi scabellum sub pedibus constitutus est, et in inferiore loco ponimus pedes. Quid laboriosius et operosius cogitari potest, quam membra abscidere, i. e. oculum vel manum, per quam intelliguntur carissimi amici, quam malas consuetudines expellere, quam diversas incommoditates uxoris, quae excogitari aut dici et quidquid accidere possunt excepto[2]) causa fornicationis.

[1]) quare et per scabellum (?). [2]) excepta, cod. Fürstzell.

tolerare, vel si non habeat, non ducat[1]) eam, quae soluta est a viro, pulchram, sanam, divitem foecundamque. Si hoc facere non licet, multo minus licere sibi arbitretur, ad ullum alium illicitum concubitum accedere; et qui labor hoc sit, nullus agnoscit, nisi qui illum expertus est; v. gr. ut si habeat quis carissimum amicum consilium sibi praebentem in divinis rebus, qui intelligitur per oculum, et postea sibi scandalum praebuerit in via Dei, aut certe alterum amicum, qui sibi in divinis rebus adjutorium praebeat, qui intelligitur per manum, et postea eum scandalizaverit et audierit Dominum dicentem: *Si scandalizaverit te oculus vel manus tua, projice illam abs te; bonum est tibi, debilem intrare ad vitam, quam tota membra habentem mitti in gehennam ignis*, et voluerit abjicere a se, nullus cognoscit, qui labor sit, nisi ille, qui hoc jam operatus est. Et iterum, si habet quis malas consuetudines jurandi et audierit Dominum dicentem: *non jurare omnino neque per coelum, neque per terram* etc., voluerit[2]) has consuetudines a se abjicere, qui labor sit, nullus cognoscit, nisi ille, qui jam eas a se expulit. Et iterum si habet aliquis uxorem morbis confectam, i. e. caecam, sterilem, deformem, debilem, leprosam, surdam, claudam et quidquid excepto causa fornicationis accidere illi potest, audiens Dominum dicentem: *Si quis dimiserit uxorem suam excepto causa fornicationis, facit eam moechari, i. e. adulterari, et qui dimissam duxerit, moechatur*, non audet[3]) illam dimittere, qui labor sit hoc tolerare, nullus cognoscit, nisi ille, qui jam tale sustinuit. Haec omnia,[4]) i. e. ad membra praecidenda et consuetudines malas expellendas et incommoditates uxoris tolerandas, magna fortitudo illi necessaria est, et nullus potest ad hanc Christi militiam accedere, nisi ille, qui esurierit et sitierit justitiam, quia sicut ille, qui esurit, nil cogitat nisi cibum, vel ille, qui sitit, nil amat nisi potum, ita et ille, qui esurit et sitit justitiam,

[1]) non ducere (?). [2]) et (?) voluerit. [3]) et (?) non audet.
[4]) Ad haec omnia (?).

nil illi utilius est, quam sola justitia, ut ea, quae amatores saeculi impossibilia dicunt, illi possibilia Domino adjuvante fiant. Et implebitur in illo hoc, quod Dominus dicit: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur.* Ecce jam ingressus es in hanc arduam viam et invenisti, circumstare tibi undique tribulationes et adeo fortissimas, ut desperes, te hoc, quod coepisti, non posse perficere; quid tibi est faciendum, nisi ad consilium fugere, ad illud videlicet, de quo propheta dicit: *Spiritus consilii*, i. e. patienter toleres mala proximorum et eis, quantum potes, opituleris, qui tuae divinitus desideras tibimet subvenire.[1])

Sequitur: *Veritatem ex corde et ore proferre.* Sunt enim multi, qui veritatem loquuntur in ore et non in corde. Et sunt multi, qui loquuntur in corde veritatem et non in ore. Illi autem, qui in re loquuntur et non in corde, sunt hypocritae; illi autem, qui loquuntur veritatem in corde et non in ore, meliores sunt, quam illi, qui in ore et non in corde loquuntur veritatem. S. vero Benedictus utrumque vult, i. e. et in ore et in corde.

Sequitur: *Malum pro malo non reddere.* In hoc enim loco B. Benedictus secundum sensum Origenis dicit; ait enim Origenes: *Pejor est ille, qui vicem reddit, quam ille, qui malum in primis facit.* De hoc, quod dicit: *Malum pro malo non reddere*, Dominus in Evangelio dicit: *Audistis, quia dictum est antiquis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Minor est justitia scribarum et pharisaeorum, modum vindictae non excedere. et major justitia illorum, qui intraturi sunt in regnum coelorum, nil reddere. His verbis ostenditur aequitas legis et compressio furoris volentium se vindicare, sive sine ratione, sive cum ratione. Aequitas legis ostenditur, quantum ad nos attinet, i. e. quantum ad humanam aestimationem pertinet. Humana aestimatio est, ut laesus nil plus laedat, quam laesus est. Compressio furoris ostenditur. quia vix invenitur, qui tantum cupiat reddere, quantum

[1]) quia et tu divinitus desideras tibimet subveniri (?).

laesus est; v. gr. ut pro uno pugno reddat unum et pro una alapa unam et pro uno verbo convitii reddat unum et ejusdem quantitatis. Et nisi comprimeretur ab hoc freno legali ille, qui sine ratione vult se vindicare tractus impetu furoris sui, tantum repercuteret, quantum valeret. Similiter et ille, qui cum ratione vult se vindicare post laesionem sibi allatam, nisi constringeretur ab hac lege, accepta occasione ulciscendi colligendo rationem diceret, quia dignus est ille, qui prius laesit, ut amplius laedatur. Inter istum, qui legem observando modum non excedit et illum, qui evangelium observando nil reddit, magna distantia est; in isto enim inchoatio pacis est, qui modum vindictae non excedit, in illo est consummatio pacis, qui evangelium observando nil reddit. Judaeis non poterat dari talis lex, in qua esset consummatio pacis, sed inchoatio, quia carnales erant; et idcirco illis data est lex carnalis, ut qui amore coelestis patriae vel timore gehennae non poterant corrigi, saltem corrigerentur lege carnali. Iste autem, qui modum vindictae non excedit, a magno malo et a magna iniquitate recessit, i. e. recessit ab illo, qui prius laedit, et ab illo, qui plus, quam laesus est, reddit. Animadvertere debemus, quia Dominus de duabus personis loquitur, de legali scilicet et de evangelica, in quibus duo sunt gradus, juxta quos quatuor consistunt, duo scilicet, qui longe recedunt a lege, duo vero, qui appropinquant evangelicae gratiae. Unus est enim in illo, qui recedit a lege, ut est, qui modum vindictae excedit, alter vero est in illo, qui prius laedit. Item primus est, qui appropinquat evangelicae gratiae in illo, qui, cum audit legem dicentem sibi, oculum pro oculo reddere, et hoc ipsum interdictum sibi audit in evangelio, et tunc laesus non vult laedere: verumtamen non potest coërcere animum suum, ut non laedat, minus tamen laedit, quam accepit. Iste jam ad comparationem illius, qui modum non excedit, bonus est. Alter vero gradus est in illo, qui laesus non laedit, et tamen ita consistit, ut, si iterum laedatur, laedat. Iste jam melior est, qui laesus non laedit illo, qui minus laedit. Ille vero in tertio gradu constitutus

est, qui laesus non solum non laedit, sed etiam paratus est, ut amplius laedatur. Et sicut iste optimus est, qui laesus non solum non laedit, sed etiam paratus est, ut amplius laedatur, ita e contrario pessimus est ille, qui, priusquam laedatur, laedit, quia ille, qui dixit: *Oculum pro oculo*, ille etiam praecepit: injuriam proximo tuo ne facias. Nunc autem videndum est, qua ratione Dominus dixerit: *non resistere malo*, et non dixerit: reddere[1]) malum pro malo, quamquam et hoc bonum sit? non resistere enim malo est, non solum laesus nil reddere, sed etiam se praeparare ad amplius se laedendum. Unde Dominus volens, hoc ad praeparationem mentis attinere, quam soli sancti habent, et non ad ostentationem operis, ideo subjunxit quasi exponens, quid sit, non resistere malo: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe ei et alteram.* Hanc vero vim evangelii in illo utcunque cognoscimus, qui percussus a dilectissimo filio suo parvulo, non solum nil reddit, sed etiam paratus est, ut amplius percutiatur. Similiter et in illo utcunque hanc vim evangelii cognoscimus, qui habens carissimum amicum infirmitate detentum forte phreneticum, qui percussus ab illo, si viderit, illi expedire, praeparat se ad amplius percutiendum. Hi autem idcirco haec sustinent, quia unus illorum exspectat finem aetatis, alter vero similiter finem infirmitatis, quo desistant haec agere: et quod ab illis exigit amor carnalis, hoc a te debet exigere amor spiritalis, et ab illis carnalibus convinceris, te mentiri, si dixeris, hoc praeceptum Domini impossibile esse, quia sicut illi pro carnali amore sustinent improbitatem proximorum,[2]) — a te autem non solum ita, sed etiam plus debet exigere amor divinus. Quid ergo aliud Dominus coelestis medicus debuit docere eos, qui ut se debent proximos diligere, nisi ut eorum, quos diligunt, improbitates deberent sustinere?· Et sicut ex infirmitate corporis descendit illa improbitas, qua proximi percutiuntur, ita ex infirmitate animi descendit

---

[1]) *non* reddere (?).

[2]) Anacoluthon

improbitas, qua proximi laeduntur, quia sicut corpus habet suas infirmitates, ita et anima, quarum infirmitatum animae una est infirmitas cupiditas ulciscendi, quam Dominus non solum constringendo[1]) vult, ut non laedat, sed etiam ut parata sit ad amplius laedendum; [2]) ideo dixit, non resistere malo. Et implebitur in illo, qui hoc praeceptum servaverit, quod Paulus dicit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit potum, da illi; hoc autem faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Et illud Isaiae[3]) Prophetae dicentis: *Habes carbones, sede super eos, ipsi erunt tibi in adjutorium.* Loquitur sermo propheticus ad Jerusalem, i. e. Ecclesiam, sive ad unamquamque animam fidelem: habes carbones, i. e. praecepta caritatis; et quia per carbones praecepta caritatis intelliguntur, sede super eos, i. e. observa illa praecepta, ipsi erunt tibi in adjutorium, hoc est dicere, quia si praecepta caritatis observaveris, ipsa caritas erit tibi in adjutorium ad convertendum inimicum tuum ad amorem ejusdem caritatis.

Sequitur: *Injuriam non facere, sed et factam patienter sustinere.* Quod autem dicit: *Injuriam non facere*, attinet ad hoc, quod dicit: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* De hoc autem, quod dicit: *sed et factam patienter sustinere*, debet respicere ille ad passiones Christi, ut melius possit injurias sustinere.

Sequitur: *Inimicos diligere.* Non enim debes inimicum diligere, quia inimicus est, sed quia homo est; nam rem, quam diligis, semper optas esse; tunc enim, si inimicum diligis, quia inimicus est, tunc optas, semper inimicum esse: sed ideo debes inimicum diligere, in quantum homo est; in quantum vero malus est, debes odire.

Sequitur: *Maledicentes se non remaledicere.* Sciendum est, quia non est contrarium hoc, quod S. Benedictus dicit, non remaledicere, illis sententiis, quibus reperiuntur sancti

---

[1]) constringere, codd. Tegerns. et Fürstz.

[2]) ut amplius laedatur.

[3]) Isaiae (??)

Dei maledicere, sicuti est: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, quia si sancti Dei leguntur maledicere, non malitiae voto,[1]) sed quia cognoverunt sancti, maledictionem habere; ideo dixi, non voto maledicentis, sed prophetantis animo; unde ille debet maledicere hominem, qui spiritu Dei repletus cognoscit futura hominis, ut sit indicatio, quod dicit, non optatio.

Sequitur: *Persecutionem pro justitia sustinere.* Bene dixit *pro justitia*, non dixit *pro peccatis suis*, sed *pro justitia;* sic enim legitur in Evangelio: *Beati*, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

Sequitur: *Non esse superbum.* Superbus dicitur, qui superiora petit, hoc est, qui in corde se aestimat superiorem aliis, aut majorem, quam est, vult dici, aut certe ea appetit, i. e. honorem, quo dignus non est.

Sequitur: *Non vinolentum.* Non dixit, non bibere vinum, sed dicit *non vinolentum.* Vinolentus est vini aviditate deceptus, hoc est, non cum aviditate debet bibere.

Sequitur: *Non multum edacem.* Non dixit, non edere, sed dixit *non multum edacem.*

Sequitur: *Non somnolentum.* Non dixit, non debere dormire, sed dixit, non multum debere dormire.

Sequitur: *Non pigrum.* Quod dicit *non pigrum*, ad mentem et corpus refertur: dicit enim Augustinus in Enchiridio: *Pigrum frigus dicimus, quod pigros faciat.*

Sequitur: *Non murmurosum.* Similiter etiam ad mentem et corpus potest attinere. Murmurans autem dicitur, quod mussat, i. e. susurrat. Unde Servius in commento duodecimi libri Aeneidis dicit: *Mussant*, i. e. modo verentur; alias *dubitant*, ut: *mussat rex ipse Latinus*, *quos generos vocet* et interdum: *susurrant*, ut de apibus dicit, et proprie mussare est obmurmurare et muto esse vicinum.[2])

Sequitur: *Non detractorem.* Detractor dicitur quasi retrotractor, i. e. qui post dorsum aliquid mali dicit de

---

[1]) maledixerunt, sed . . .

[2]) Hic locus in capite XXXVIII. regulae repetitur.

fratre. Sunt enim multi, qui mala fratris dicunt aliis, et iterum sunt alii, qui dicunt mala fratris alii fratri, sed tamen non una eademque intentione dicunt. Illi ob hoc dicunt mala fratris, ut in pejore loco illum habeant, alii dicunt, ut emendet illa aut se caveat ab illis. Vide modo, quamvis una causa sit, tamen quia non una intentione dicunt, ideo dispar est meritum.

Sequitur: *Spem suam Deo committere.* Inter *spero* et *credo* hoc differt: *spero* attinet ad bonam rem et futuram et non alienam; *credo* autem attinet ad malam sive bonam, ad praeteritam sive futuram, ad meam sive alienam. Et est sensus, cum dicit: *Spem suam Deo committere*, i. e. adjutorium suum et auxilium Deo committere, quia non a se adjuvatur, sed a Deo.

Sequitur: *Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi; malum vero a se semper factum sciat et sibi reputet*, ac si diceret aliis verbis: Bona si agit, non a se illa posse, sed a Deo habere cognoscat, malum semper a se habere et non a Deo. Et protinus addidit: *Et sibi reputet.* Cum dicit *reputet*, voluit ostendere, ut monachus, si aliquod bonum egisset, non sibi reputare debuisset, sed Deo, qui corda omnium bonorum sua sapientia divinitus illustrat. Quatuor etenim sunt species superbiae. Sunt enim multi, qui dicunt, bonum a se habere propter liberum arbitrium. Jam si liberum arbitrium habeo, a me possum incipere, bona habere, sed tamen a Deo perficere aestimant. Et sunt alii, qui dicunt. a se non posse habere, sed a Deo, tamen a se posse perficere illud bonum aestimant. Iterum sunt alii, qui a se bonum non posse habere, nec a se posse perficere aestimant, sed a Deo, sed tamen ipsa bona plus sibi quam aliis dedisse[1]) aestimant. Quarta species superbiae est elatio. Elatio est vana gloria: hoc, quod agit, vult dici et videri ab hominibus; ita et jactantia.

Sequitur: *Diem judicii timere, gehennam expavescere. Diem judicii* attinet ad discussionem, gehenna ad poenam,

[1]) Deum dedisse.

sive ut Isidorus dicit:[1]) *Gehenna est locus ignis et sulphuris, quem appellari putant a valle idolis consecrata, quae est juxta murum Jerusalem, repleta olim cadaveribus mortuorum; ibi enim Hebraei filios suos immolabant daemonibus, et appellabatur locus ipse Gehennom. Futuri ergo supplicii locus, ubi peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo designatur. Duplicem autem esse gehennam, i. e. ignis et frigoris (in Job legimus).*

Sequitur: *Vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare.* Nunc videndum est, quare, cum dixit *vitam.* subjunxit *aeternam?* Ideo dixit *aeternam* ad separationem temporalis vitae. Et iterum videndum est, quare, cum dixit *concupiscentia*, subjunxit *spiritali?* Ideo subjunxit *spiritali*, quia concupiscentia proprie carnalis est. Iterum videndum est, quare, cum dixit *vitam aeternam*, subjunxit *concupiscentia spiritali*, aut quare praemisit *omni*, et non dixit tantum: *vitam aeternam desiderare?* Ideo subjunxit *omni concupiscentia spiritali,* quia voluit, ut tu omni studio et omni desiderio et tota intentione vitam aeternam desiderares. Haec namque vita temporalis multis modis potest considerari, quam fragilis et quam caduca est; verbi gratia considera principes praeteritos, ubi sunt modo? Vide vestem: vestis enim quamvis, cum nova sit, appareat bona, tamen si quis ea utendo uno anno transierit, aut deficit aut nil valet. Similiter equum; equus enim, dum est crassus, videtur bonus, cum autem non dederis illi manducare tribus mensibus pleniter, postea videtur deformis et squalidus. deinde deficit. Vide meretricem, considera in illa fimum. sputum et putredinem; quamvis videatur foris, i. e. pellis ejus formosa. tamen quae in illa latent, turpia et putrida sunt, et caetera his similia. Vita autem aeterna quam bona et quam concupiscibilis sit, quamvis multis modis possit considerari, tamen tres sunt maxime gradus, quibus considerari potest. Primus gradus est consideratio animae; debes enim animam tuam considerare. Verbi gratia

[1]) Etymolog. lib. 11. cap. 9. num. 9.

considera in ea virtutem suam; illa enim videt oculis corporeis, pedibus ambulat, manibus operatur, auribus audit, naribus odorem accipit. Considera iterum, unde venit, aut quo vadit; nam quia in consideratione sui non potest diutius commorari, vult exire foras, eo quod non habet, quid teneat; ideo necesse est, ut ejus acies ad considerationem angelorum et beatorum spirituum dirigatur. Consideret, quantam beatitudinem, quantum splendorem, quantam fragrantiam odoris habet, quia unaquaeque anima sicuti sol lucet; ait enim Dominus: *Fulgebunt justi, sicut sol in regno patris mei;* et iterum major fragrantia est unius animae, quae superat odorem omnium aromatum. Ait enim Salomon: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentorum?* Post considerationem animae sive angelicae creaturae debet transire in considerationem creatoris; verumtamen prius debet anima castigari, ne aliquam figuram aut imaginem fingat in Deo, sed credat, illum esse omnipotentem, invisibilem, incircumscriptum. Ac per hoc si creatura sua tantum splendorem vel tantam bonitatem habet, quantam habet creator, qui eis ista omnia tribuit? v. gr. si iste unus sol, quem videmus, totum mundum illuminat, quantum lumen et quantus splendor ibi existit, ubi tot millia animarum sanctarum consistunt, cum unaquaeque anima, sicut Dominus dicit, sicut sol in regno patris fulget! Et si ipsae animae, quae per acceptionem tantum splendorem incomparabiliter habent, quantus potest esse splendor ipsius Domini, qui ipsis animabus hanc virtutem et potentiam splendoris tribuit, qui aestimari non potest? Similiter intelligendum est de odoramentis sanctarum animarum, v. gr. si uniuscujusque animae, sicut superius diximus dixisse Salomonem, odoramentorum fragrantia similis est sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentorum, quanta suavitas odoramentorum ibi existit, ubi tot millia animarum sanctarum requiescunt? Et si animae, quae accipiendo incomparabiliter tantam fragrantiam et suavitatem odoramentorum habent, quae aesti-

mari non possunt, quanta suavitas et fragrantia odoris potest esse ipsius Domini nostri Jesu Christi, Dei omnipotentis, qui gratuita misericordia ipsis animabus eadem odoramenta largiri dignatur? Similiter et in ceteris rebus considerandum est.

Sequitur: *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.* Hoc est, quod Dominus dicit in Evangelio: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam, quando Dominus vester venturus est.* De hac consideratione mortis B. Gregorius ita dicit:[1]) *Qui enim considerat, qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque unde in oculis suis quasi jam non vivit, inde veraciter in oculis sui conditoris vivit; nil, quod transeat, appetit, cunctis praesentis vitae desideriis contradicit et paene mortuum se considerat, quia se moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. Unde scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.*

Sequitur: *Actus vitae suae omni hora custodire. Actus vitae* est visus, gustus, odoratus et tactus operatio, quantum ad exteriorem hominem attinet; quantum autem ad animam attinet, est cogitatio. De hora vero mortis nostrae qualiter agendum sit, B. Gregorius nobiliter docet dicens: *Horam vero ultimam . . . . . semper timeatur.*[2])

Sequitur: *In omni loco Deum se respicere pro certo scire*, ac si diceret: debet firmiter scire, quia illum Deus in omni loco respicit.

Sequitur: *Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere et seniori spiritali patefacere.* Vide modo, non dixit, ut perseverent, sed advenientes mox ad Christum allidere. Quomodo potest allidere cogitationes

[1]) Moral. lib. 13. in cap. 17. B. Job. v. 1.

[2]) cf. Migne, tom. 76. col. 1126. 1127. homil. 13. in Lucam. c. 12. v. 35—40. num. 6. Haec expositio S Gregorii certo non pertinet ad hoc instrumentum (*actus vitae suae* etc.), sed ad superius (*mortem quotidie* etc.), quamvis etiam codd. Tegerns. et Fürstzell. eam hoc loco exhibeant.

suas ad Christum? Tunc allidit cogitationes suas malas ad Christum, si amore Christi illas exstinguit, i. e. cum malas cogitationes poenitet respiciendo ad Christum. Veluti populus Israeliticus, cum mordebantur a serpentibus, respiciebant ad serpentem aeneum, quem Moyses exaltavit in deserto, et sanabantur: ita et nunc omnis Christianus, cum mala sua respiciendo ad Christum poenitet, quasi serpentes exstinguit; serpentes enim significant malas cogitationes aut operationes. Et ideo dicuntur igniti serpentes, quia morsus illorum ignitus erat. Serpens aeneus, quem Moyses exaltavit, significat Christum, ille vero stips, i. e. lignum, in quo positus erat, figurat crucem; et ideo dicit Dominus: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*, ac si diceret: Sicut propter salutem populi posuit Moyses serpentem in stipite, ut omnes, qui illum aspicerent, salvarentur, ita et propter salutem populi debet Christus crucifigi, ut omnes, qui illum aspexerint, a peccatis suis salvarentur. Et ideo in altitudine positus est Christus, ut a toto mundo valeat videri. Et bene dixit *seniori spiritali patefacere*, postquam dixit *cogitationes malas ad Christum allidere;* nam quando in corde poenitet, se mala cogitasse, tunc in cogitatione sua deliberat, illas seniori spiritali patefacere. Apte dixit *seniori spiritali*, quia spiritalis omnia dijudicat, et ipse a nemine dijudicatur: in isto enim seniore, cui cogitationes debent manifestari, inquirenda est fides, qua tegat sibi confessa, nec non et spes praemii aeternae felicitatis, caritas fraternitatis et discretio boni et mali et boni et melioris et optimi. Et ideo dixit, cogitationes seniori spiritali patefacere, quia cogitationes non possunt ab omnibus dinosci, ne bonae pro malis aut malae pro bonis recipiantur.

Sequitur: *Os suum a malo vel pravo eloquio custodire.* Malum eloquium est, quod non est bonum, pravum eloquium est, quod plus nocuum est, quam malum.

Sequitur: *Multum loqui non amare.* Cum enim dixit: *os suum a malo vel pravo eloquio custodire*, quasi murum posuit, ut quis talia eloquia non debeat loqui; cum vero

dixit: *multum loqui non amare,* froenum posuit, quasi diceret: mala vel prava eloquia nunquam quis audeat loqui, bona autem cum froeno moderationis, quia, si multum bona locutus fuerit, in peccatum labitur.

Sequitur: *Verba vana aut risui apta non loqui.* Sic enim dicit Paulus apostolus: *Stultiloquium aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Vana verba et stultiloquium unum significant et attinent ad insipientes, scurrilitas et risui apta unum significant et possunt attinere etiam ad sapientes. Quae verba[1]) possunt esse proficua et sapienter dicta, et tamen, quia risum movent, ideo dicuntur risum moventia.

Sequitur: *Risum multum aut excussum non amare.* Non dixit, non ridere, sed dixit, non amare. *Multum* attinet ad frequentiam, *excussum* autem ad illum risum, qui in alto fit, qui etiam cachinnus vocatur.

Sequitur: *Lectiones sanctas libenter audire.* Si enim, cum audis lectiones, libenter non audieris, hujus praecepti praevaricator existis. Ob hoc multi fuerunt, qui[2]) istud praeceptum minus intelligentes dixerunt, monachum grammaticam discere non debere; sed fuerunt alii, qui melius intellexerunt dicentes, debere audire grammaticam, si vult causa Dei discere. Ita etiam intelligendus est locus iste, sicut intelligitur ille, ubi Dominus dicit: *Primum quaerite regnum coelorum.* De quo sensu superius in secundo capitulo, cujus titulus est: *Qualis debeat esse Abbas,* Deo juvante diximus. Ut enim clerici debeant grammaticam legere causa intelligendi scripturas divinas, Eugenius Papa in suis decretis constituit[3]) hoc modo dicens (can. XXXIV): *In episcopiis et in plebibus vel aliis locis opportunis magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum liberaliumque artium habeant. quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata.*[4])

Sequitur: *Orationi frequenter incumbere. Orationi* ponitur pro *adorationi;* debet enim monachus, cum in obe-

[1]) scil. risui apta. [2]) Cod. Emmeram. [3]) synod. roman. a. 826.
[4]) cf. Pertz. monum. germ. tom. II. legum parte II. p. 11. 17.

dientia est, veluti in coquina et reliqu. ubi laborat, frequenter in ipsa oboedientia jactare se in terram et adorare Dominum; non enim debet obedientiam dimittere pro oratione, sed tantum in ipsa obedientia, sicut diximus, jactare se in terram debet, sicut Graeci faciunt, et adeo velociter hoc faciat, ut vix possit dominicam orationem dicere, ne videatur obedientiam dimittere propter hanc causam. Quod enim breviter et frequenter orandum sit, docemur in primo libro [1]) institutae monachorum, qui dicit, patres docuisse, breviter et frequenter esse orandum, ait enim: *Quamobrem utilius censuerunt, breves quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem, ut frequentius Deum deprecantes jugiter eidem cohaerere possimus, hoc vero, ut insidiantis diaboli jacula, quae infligere nobis tunc praecipue, cum oramus, insistit succincta brevitate vitemus.*

Sequitur: *Mala sua praeterita cum lacrimis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de caetero emendare.* Bene dixit *praeterita,* quia non vult esse praesentia; praeterita enim dixit saecularia, quae ante conversionem commisit, nam non vult, ut post conversionem committat. Forte dicit aliquis: Cur debeo confiteri ea, quae feci in saeculo, cum, quando conversus sum, mihi indulta sunt? Cui respondendum est: Verum est, quod dicis, quia in die conversionis tuae indulta sunt tibi peccata tua, si tamen talis existis, qualem te esse ista regula docet. Ideo dixit *lacrimis vel gemitu* ad expellendam difficultatem, utsi dicit: *Non possum: — tamen potes gemere.* Quatuor causis nascitur gemitus: aut enim nascitur ex recordatione praesentis vitae incolatus, aut ex recordatione peccatorum, aut timore gehennae, aut certe amore coelestis patriae. Nunc videndum est, quomodo debeat monachus quotidie mala sua praeterita confiteri. Si fieri potest, debet habere locum destinatum et tempus, in quo sit situs, i. e. jacere, stare vel sedere. Deinde cum vacationis tempus sive in die, sive in nocte habet, debet ire ad illum locum, et cum

[1]) rectius: libro secundo cap. 10

ad illum locum vadit, ita cum timore vadat quasi ante judicem; deinde cum aut sedet vel stat, ita debet dicere: Domine Deus, qui es pius et misericors, te credo omnipotentem, invisibilem, incircumscriptum, omnia regentem, omnia continentem, omnium creatorem, trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate,, credo, te misisse filium tuum, Dominum meum Jesum Christum in terram pro salute generis humani. Haec est fides, qua te credo. Si qua bene dixi, tuum est, si autem minus, quam oportet, dixi, obsecro, ut non aspicias ad verba, quae dixi, sed ad id, quod volui dicere. Deinde quasi ad Filium respiciens, debes dicere: Domine Jesu Christe! credo. te per angelum Mariae Virgini annuntiatum, credo, te secundum carnem natum, pastoribus demonstratum, credo. te octavo die circumcisum, credo, te a Magis adoratum, baptizatum, in templo praesentatum, credo, te a Juda traditore traditum, a Judaeis consputum, flagellatum, spinis coronatum, crucifixum, tertia die resurrexisse et XXXX diebus cum discipulis fuisse, manducasse et bibisse, deinde quadragesimo die in coelos astantibus discipulis ascendisse, inde credo te venturum, judicare vivos et mortuos. Et cum hoc dicis, statim prosterne te in terram, sicut in capitulo consuetudo est, cum timore et tremore sicuti coram rege; deinde debes dicere: Fisus sum, Domine, te dixisse: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat;* et iterum: *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis. qui non indigent poenitentia.* Deinde debes confiteri peccata tua omnia. Post confessionem vero peccatorum debes implorare Sanctam Mariam, deinde duodecim apostolos, duodecim martyres et duodecim confessores et duodecim virgines. Et iterum in fine S. Mariam implora. Si venerint tibi lacrimae in Trinitatis confessione, bonum est; quod si non venerint tibi in Trinitatis confessione, venient tibi in confessione incarnationis Filii; si autem non venerint in confessione incarnationis Filii, venient tibi, quando ad judicium venturum Dominum confiteris; si ita non venerint, tunc venient in confessione peccatorum: si

tunc non venerint, tunc venient, quando Sanctos imploras; et si ita non venerint, adeo debes laborare, donec veniant cogitando poenam perpetuam et ignem aeternum et illam vocem, qua dicturus est Dominus impiis: *Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus*, cum quibus pro peccatis tuis ad ipsum ignem iturus eris dignus, nisi Dominus sua gratuita misericordia peccata tua ante pepercerit atque indulserit, et caetera alia, quae ad excutiendas et movendas lacrimas adjuvent. Et cum hoc feceris, eris similis Jacob, qui legitur cum angelo pugnasse et eum ante non dimisisse, quam ipse angelus eum benedixerit. *De ipsis malis de caetero emendari.* De caetero, i. e. in reliquo tempore, in futuro. Et bene dixit *de caetero emendare*, quia tunc est perfecta confessio peccatorum, si eorundem peccatorum et similium emendatio subsecuta fuerit, sicut B. Gregorius dicit; ait enim: *Poenitentiam quippe agere est, et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriae defleat, et tamen adhuc avaritiae aestibus anhelat? Aut quid prodest, si irae culpas jam lugeat, et tamen adhuc invidiae facibus tabescat? Sed minus est valde, quod dicimus, ut, qui peccata deplorat, ploranda minime committat, et qui plangit vitium, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum summopere est, ut, qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori satisfaciat, ut, qui commisit prohibita, sibimetipsi abscidere debeat etiam concessa, et se reprehendat in minimis, qui se meminit deliquisse in maximis.*

Sequitur: *Voluntatem propriam odire.* Voluntas propria est, sicut jam diximus.

Sequitur: *Praeceptis abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse aliter, quod absit, agat, memores illius Dominici praecepti: Quae dicunt, facite, quae autem faciunt, facere nolite.* Si enim talis fuerit abbas, qualem docet ista regula, i. e. sicut haec regula dicit, in omnibus absque discussione ejus

praeceptis debes obedire; si autem non fuerit talis, sicut haec regula dicit, sed fuerit vagus, tunc debet discipulus ejus imperium per congruentias et contrarietates praeponderare, sicut jam in tertio capitulo de abbate diximus, i. e. debes providere, quale est peccatum in ejus imperio; deinde debes cognoscere, quid generetur per tuam inobedientiam. Si fuerit majus peccatum in ejus imperio quam in obedientia, non debet obedire, si autem majus fuerit peccatum in obedientia quam in imperio abbatis, obediendum est praeceptis abbatis, et de ipso malo, quod adimplesti, poenitentiam debes agere. Si aequale etiam fuerit, obediendum est, et iterum poenitentiam debes agere; v. gr. dicit tibi abbas: Tolle istam benedictionem et defer illam principi, ut adjuvet nostrum vasallum vel servum, qui habet causam cum tali homine, et tu cognoscis, quia ille abbas contra justitiam rogat judicem, hoc est, ut contra justitiam adjuvetur suus homo. Et iterum cognoscere debes, quale aut quantum peccatum erit, si non obedieris, v. gr. si tali injusto imperio obedieris, minus peccatum mihi esse videtur, quam si non obedieris; uno modo in eo, quod malum exemplum praebes caeteris fratribus, non obedire; altero modo, quia forte generabitur tibi scandalum ex eo, quod non obedis, et forte adeo ex hoc erit tibi magnum scandalum, ut pro hoc etiam de monasterio expellaris, et cum expulsus fueris, si ante servisti Deo, forte post expulsionem non ita servies, aut forte non invenies similem locum tibi aptum, ut ita servias Deo; et ideo melius est, ut in isto praecepto obedias abbati, et ire ad judicem et rogare illum; et, sicut dixit tibi abbas, tali tenore dic illi, si vales: Rogavit te dominus abbas, ut secundum suam justitiam aut recte adjuves suum hominem; aut, si non vales etiam dicere: *secundum suam justitiam aut recte*, dic, sicut abbas jussit, et postmodum age ex hoc poenitentiam, quia minus est istud peccatum, quam inobedientia, eo quod non est tale nec tantum peccatum, quia unum est peccatum, in inobedientia vero tria mala instabunt, sicut jam diximus. Et iterum si forte debet per judicium acquirere in mona-

sterium mancipium contra justitiam, et dicit tibi: Tolle istud pallium et defer illud tali principi et roga illum pro nostra causa, tu autem cognoscis, contra justitiam tuum abbatem rogare judicem, debes etiam in isto praecepto abbati obedire, quia minus peccatum videtur esse istud, quam inobedientia, et quia malum exemplum aliis praebes aut scandalum tibi generatur aut de monasterio expelleris, et cogites, ut non possis talem, i. e. similem locum invenire, ut ita ibi servias Deo, sicut in monasterio serviebas. Tamen aequale mihi videtur peccatum esse in pondere, et ideo melius est, ut obedias, et ex illo peccato agas poenitentiam, quam non obedias. Et tamen si potes, cum judicem rogas, istud dic: Rogavit te domnus abbas, ut illum juste et rationabiliter adjuves. Quodsi non poteris *juste et rationabiliter* dicere adjuvare, dic judici, sicut abbas dixit. Si autem dixerit tibi abbas: Vade, roga illum judicem et defer illi istud munus, ut adjuvet nos pro nostris mancipiis, sicut jam diximus superius, et subjunxerit tibi abbas: Sta in illo placito cum judice, ut, cum forte te viderit esse in placito, verebitur te et propter te, quia videt te ibi esse, adjuvabit nos pro nostra causa; tu autem si cognoveris, contra justitiam imperium istud esse, non est obediendum, sed debes humiliter dicere abbati rogando: Domine mi, promisi tibi obedientiam; hoc quod mihi nunc injungis, videtur mihi grave esse, et ideo rogo clementiam tuam, ut alium in hoc loco dirigas. Si autem ille abbas dixerit: Volo, ut vadas, iterum illi debes dicere, sicut superius diximus. Quodsi perseveraverit ille abbas dicens: Volo, ut vadas, tu dic illi, sicut superius diximus, et subjunge: Videtur mihi in isto imperio obediendo tibi Deum gravius offendere, et ideo illuc ire, ut in illo placito sedeam, non valeo, quia melius est, tibi in isto imperio non obedire abbati, quam Deum offendere, quia majus est peccatum in imperio, quam in inobedientia, eo quod si illic, i. e. in illo placito sederis aut fueris, te stante et audiente ibi judicium injuste datum, non potes esse immunis a peccato, quia non solum ille falsum dicit, qui ore suo profert, verum etiam ille falsum

testimonium dicit apud Deum, qui audit falsum et tacet. De tali vero constrictione, ubi homo hinc inde constringitur a peccato, ut, si fecerit, peccatum erit, aut si non fecerit, similiter peccatum non deerit, quid agendum est ipsi homini, B. Gregorius mirifice docet in libris moralium, ubi Dominus dicit ad B. Job: *Nervi testiculorum . . . . minora transitur.*[1])

Sequitur: *Non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur.* Cum dicit *sanctum*, subaudiendum est: opus, ac si diceret: Non debet desiderare, opus suum sanctum ab aliis dici, i. e. non debet ob hoc opus bonum facere, ut dicatur sanctum. Et in hoc loco, cum dicit: *sed prius esse, quod verius dicatur*, non debet intelligere, ut, postquam factum fuerit, cupiat, opus suum bonum et sanctum dici, sed debet ille opus sanctum facere et bonum, et cum factum fuerit, non debet velle, dici sanctum, sed si forte dictum fuerit sine voluntate sua, verius dicatur. Sic enim B. Gregorius sua in epistola, quam Leandro episcopo Hispaniorum direxit,[2]) dicere videtur; ait enim: *Vitam autem meam cunctis esse imitabilem, illa vestra epistola loquitur; sed quod non est ita, ut dicitur, sit ita, quia dicitur, ne qui non solet mentiatur.* Omnes enim electi Redemtoris nostri vestigia debent sequi, i. e. bonum debent facere voluntarie et debent manifestari inviti, ut proximis proficiant. Sic enim Dominus legitur fecisse ad exemplum sese quaerentium. Sic idem Gregorius dicit:[3]) *Redemtor noster per mortale corpus omne, quod egit, hoc nobis in exemplum actionis praebuit, ut pro nostrarum virium modulo ejus vestigia sequentes inoffenso pede operis praesentis vitae carpamus viam. Miraculum namque faciens, cum duos caecos illuminavit et taceri jussit et tamen taceri non potuit, ut videlicet et electi ejus exempla doctrinae ejus sequentes in magnis, quae faciunt, latere quidem in voluntate*

[1]) cf. Migne, tom. 76. col. 657. num. 36—39. Moral. lib. 32 in cap. 40. B. Job.

[2]) epist. 121. (Migne, tom 77. col. 1051).

[3]) cf. Moral. lib. 19. in cap. 28. B. Job. v. 15. 16.

habeant, sed ut prosint aliis prodantur inviti, quatenus et magnae humilitatis sit, quod sua opera taceri appetunt. et magnae utilitatis sit, quod eorum opera taceri non possunt[1]) — *non ergo Dominus voluit, quidquam fieri, et minime potuit, sed quid velle ejus membra debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinae magisterio exemplum dedit.*

Sequitur: *Praecepta Dei factis quotidie adimplere*, ac si diceret: Quidquid agit quotidie, praecepta Dei debent esse. Aliter, sive intelligas scripturas, sive non intelligas, tamen si Deum et proximum diligis, praecepta Dei quotidie adimples, sicut dicit Paulus apostolus: *Qui autem diligit proximum, legem implevit.*

Sequitur: *Castitatem amare.* Et bene dixit *castitatem amare*, quia multi, quamvis casti videantur, tamen non amant, et non sunt casti, eo quod tales inveniuntur castrati ab homine. Et iterum sunt alii, qui volunt agere peccatum et non possunt aut propter locum aut propter prioris coërtionem. Castus est post corruptionem, hoc est, qui cognovit peccatum et tamen post perpetrationem se continet. Virgo autem est sine corruptione, hoc est, qui illud peccatum non peregit.

Sequitur: *Nullum odire.* Odium enim, sicut Cassiodorus dicit, significat divisionem, sicut amor collegium. *Odibilis* dicitur odio habitus, odio dignus; e contrario *odiosus* dicitur vitiosus, modestus.[2]) gravis atque ineptus.

Sequitur: *Zelum non habere. invidiam non exercere. Zelum* in bono et in malo dicitur. *Zelum* intelligitur aemulatio, i. e. imitatio; sed in hoc loco pro malo ponitur, ac si diceret: Malos non debet imitari. Invidia autem attinet ad malam voluntatem, exercere autem attinet ad exercitationem, i. e. operationem. Nunc videndum est, si invidia attinet ad malam voluntatem, i. e. ut mala voluntas sit, quare dixit *exercere*, i. e. operari? Aut enim dixit *non exercere* pro *non habere*, aut certe, quia voluntas operatio

[1]) Anacoluthon (?).
[2]) molestus (?).

est apud Deum. Qualiter ergo intelligendum sit invidus, B. Ambrosius in secundo libro officiorum docet hoc modo dicens, ait enim: *Filii, fugite improbos, cavete invidos.* Inter improbum et invidum hoc interest: Improbus suo delectatur bono, invidus torquetur alieno, ille diligit mala. hic bona odit, ut proprie tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quam qui male omnibus. De *invideo* autem etiam Priscianus dicit hoc modo: Si quis attente aspiciat, inter adquisitiva vel aequiparantia haec quoque verba sunt ponenda: Noceo tibi est: nocens tibi fio; invideo, quasi non videns tibi fio, hoc est, non ferens, te bene agentem videre; maledico tibi: contra te malum dico. De invidia Cicero dicit hoc modo: Injustius invidia nihil est, quae protinus ipsum auctorem rodit atque animum cruciat.

Sequitur: *Contentionem non amare.* Cognovit B. Benedictus, quia sunt multi, qui amant contentionem, sed tamen aliquando volunt illam dimittere, et quia illam amant, non possunt dimittere; ideo labuntur in contentionem, quia amant illam. Et propterea bene dixit: *Contentionem non amare*, ut facilius possit dimittere contentionem, si illam non amaverit. Contentio est: si dicit tibi aliquis: Quare fecisti hoc? et tu dixeris: Non feci! non est adhuc contentio; si autem ille dixerit, quia tu fecisti, et tu si postea dixeris: Non feci, aut aliquid aliud, modo videtur esse contentio, et tunc transgrederis hoc praeceptum. Si autem dixerit tibi, qui etiam presbyter es, quia adulterium fecisti, tu debes imprimis dicere: Non feci. Si autem subjunxerit, quia fecisti, tu debes dicere praeceptum apostolicum: *Servum Dei non oportet litigare;* et iterum regula dicit: *Contentionem non amare*, et ideo, quia monachus sum, iterum respondere, ne videar contentioni deservire, non audeo. Melius est, ut eligas potius deponi, quam contendas, ut si videaris coram hominibus depositus, tamen coram Deo non es depositus.

Sequitur: *Elationem fugere.* Non dixit corpore, sed mente. Elatio est, sicut jam diximus, qui vult, ut opus suum dicatur.

Sequitur: *Seniores venerari.* Hoc attinet ad minores.

Sequitur: *Juniores diligere*, et hoc etiam attinet ad majores.

Sequitur: *In Christi amore pro inimicis orare.* Orare debes pro inimicis, ut convertantur. Et hoc sciendum est, quia *in Christi amore* ad inimici orationem attinet. Orant sancti pro inimicis eo tempore, quo possunt ad fructuosam poenitentiam eorum corda convertere [1]) atque ipsa conversione salvari. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus, ut det illis Deus poenitentiam et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem?

Sequitur: *Cum discordantibus ante solis occasum in pace redire.* Hoc, quod dicit, de Paulo apostolo sumsit; ait enim Paulus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Sunt enim multi, qui istum locum secundum literam intelligunt, ut sit sensus: non debet sol ad occasum ante ire, quam pacem cum tuo inimico facias; sed non est bonus intellectus, quia potest non solum ante solis occasum, sed etiam ante tres horas grande peccatum committi. Sed melius est, ut secundum spiritalem intellectum intelligatur de Christo, ut sit sensus: non talia debes agere per tuam iram in fratre tuo, ut Christus in te extinguatur; de illo enim sole dicit, de quo dictum est: *Vobis, qui timetis Deum, orietur sol justitiae.* De hoc sole instituta patrum bene docet dicens: *Timentibus autem . . . . . tempore mitigantes.* [2])

Sequitur: *Et de Dei misericordia nunquam desperare.* Apto enim loco dixit: *De Dei misericordia nunquam desperare*, postquam dixit: *Pro inimicis orare et cum discordantibus ante solis occasum in pace redire*, quia inconsequens est, ut illi de Dei misericordia se desperent, qui aliis misericordiam praestiterunt: nam quo misericordes aliis existunt, eo misericordem Deum habere merentur.

Sequitur: *Ecce haec sunt instrumenta artis spiritalis, quae cum fuerint a nobis die noctuque adimpleta et in die*

---

[1]) converti (?).

[2]) cf. Migne, tom. 49, col. 339—340. coenob. institut. lib. 8. cap. 9 et 10.

judicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum. Nos enim, cum digito monstramus aliquid, *ecce* dicimus. Nunc vero enumeratis instrumentis artis spiritalis B. Benedictus *ecce* dixit. *Ecce* adverbium demonstrantis est. Istud, quod dicit: *die noctuque*, potest duobus modis intelligi, sive quia quaedam instrumenta dixit, quae attinent fieri in nocte magis, et quaedam magis in die, et quaedam sunt, quae in nocte et in die possunt fieri; sive altero modo, quod melius est et magis ipsum debemus intelligere, *die noctuque* posuit pro *semper*, hoc est *jugiter*, secundum illum sensum: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Sicut autem qui ad patriam tendit, donec perveniat, semper habet, quo ambulet, sic etiam nos, quamdiu sumus in hoc mortali corpore constituti, peregrinamur a Domino; praesens vita nobis est via, in qua semper habemus, ubi possumus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus aeternam patriam pervenire. *Recompensabitur*, i. e. retribuetur; recompendens enim dicitur compensans sive retribuens, i. e. recompensare vel retribuere.

Sequitur: *Officina vero, ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione. Officina* vero neutrius generis est et numeri pluralis et construitur ita: Sunt vero officina, ubi, i. e. in quibus haec omnia. -- subaudiendum est: instrumenta — operemur, i. e. faciamus diligenter et studiose, quasi interrogasses: quae sunt illa officina? S. vero Benedictus quasi respondisse videtur, cum dicit: claustra monasterii, in quibus[1]) haec instrumenta, quae diximus, agenda sunt. Sunt enim officina domus, in quibus diversae artes operantur, i. e. ubi alii consuunt vestimenta, alii calciamenta, alii fabricant spatham

[1]) in qua (?).

Cum Hildemarus vocabulum *claustra* generis feminini et numeri singularis esse velit, fortasse notario est imputandum, quod hoc loco *claustra* modo nomen num. sing. primae declinationis, modo num. plur. secundae declinationis accipitur.

et gladios, alii claves et caetera alia diversa. Et bene dixit, claustra [1]) monasterii esse officina, quia sicut in officinis diversae artes a diversis magistris, ut diximus, aguntur, ita et in monasterio diversae operationes in singulis locis fiunt, i. e. cum alii legunt, alii cantant, alii operantur aliquid manibus, alii laborant in coquina, et caetera his similia. *Claustra* enim est feminini generis et numeri singularis; officinum vero est, ubi aliquod opus Dei agitur vel artificia aliqua operantur. Et bene dixit *stabilitas in congregatione*, quia haec omnia artificia non possunt agere, nisi fuerint in congregatione. Forte dicit aliquis: Volo haec agere aliqua foris. Respondendum est illi: Non. Quare? Quia S. Benedictus dicit: ubi haec omnia diligenter operemur, *claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione;* et ideo talia debent fieri claustra monasterii, [2]) ubi ista, quae diximus, sine occasione peccati fieri possunt. Nam sunt multi minus intelligentes occasionem peccati, aut arctam claustram faciunt minus, quam debent, aut certe majorem, quam oportet: sed talem debet abbas constituere claustram et sic grandem, ubi ea, quae monachus debet agere, in claustra monasterii operetur, ubi debet consuere vel lavare pannos aut lectioni vacare, aut domus esse infirmorum, et caetera his similia; quia si major fuerit, quam oportet, cum vadit frater, invenit laicum aut extraneum, cum quo loquitur, aut aliquid dat aut accipit sine licentia abbatis, et invenitur occasio peccandi. Similiter si arcta fuerit, i. e. parva pro necessitate aliquid agendi, tunc facit transgressionem exiendo; nam ortus [3]) non est in claustra, in quam nullus debet intrare, nisi ille, cui commissum est. Nam ille abbas debet constituere claustram ita aptam, in qua possit esse stabilitas in congregatione et vagationis nulla esse occasio. Dicunt enim multi, quia claustra monasterii centum pedes debet habere in omni parte, minus non, quia parva est; si autem velis plus, potest fieri. Claustra enim

[1]) claustram (?).
[2]) Talis debet fieri claustra (?). [3]) hortus.

dixit de illa curtina, ubi monachi sunt, i. e. quae est inter porticum et porticum. Et hoc notandum est, quia multa sunt, quae dixi, quae quantum ad exteriorem hominem attinent, in claustra non possunt fieri, veluti est, mortuum sepelire aut infirmum visitare. Sed tamen omnia in claustra possunt fieri, quantum ad interiorem hominem attinent, i. e. si voluntas fuerit alicui in corde id agendi. Et ideo si infirmum infra claustram non possunt visitare, quia domus infirmorum non est infra claustram, tamen infra claustram possum visitare, si voluntas mihi fuerit visitandi. Similiter et in caeteris officiis ita intelligendum est.

Cap. V. —

DE OBEDIENTIA DISCIPULORUM, QUALIS SIT.

Rectum ordinem tenuit B. Benedictus in hoc loco, cum dicit, primum gradum humilitatis esse obedientiam, cum superius dixit: *De Dei misericordia nunquam desperare*, eo quod per obedientiam nos ad Dei misericordiam revocat, a cujus bonitate per inobedientiam recessimus. Et ideo primum instrumentum obedientiam posuit, quia, sicut fuit prima malitia inobedientia, per quam recessimus a Deo, ita primum gradum dixit esse revertendi ad Deum, cum primum instrumentum posuit, obedientiam. Cum dicit *de obedientia*, subaudiendum est: tractemus aut disputemus. *Humilis* autem dicitur quasi humo acclinis. Nam sunt multi, qui, quamvis in coelum respiciant, tamen caput ante Deum inclinant, eo quod cinerem et pulverem se esse existimant, quia unusquisque homo in terram revertitur et in cinerem redigitur.

Sequitur: *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora.* In hoc enim loco, cum dicit *primus*, oritur quaestio, quare dixit *primus*, cum non sequitur secundus. Sunt enim alii, qui dicunt, primum in hoc loco positum esse pro magnitudine vel pro solo, veluti est illud: *Primum quaeritur regnum Dei.* |Primum ponitur pro magnitudine vel solo.| Alii iterum dicunt: non potest esse pro magnitudine vel pro solo, quia inferius subsequitur S. Bene-

dictus: *timorem gehennae et arctam viam;* nam qui timore poenae vel temporalis seu aeternae servit vel obedit Domino, non est perfectus; et ille, cui est arcta via obedientia, non est perfectus. Sed primus in ordine positus est; [quia] quamvis [1]) inferius dicit S. Benedictus iterum: *Primus humilitatis gradus est*, non officit, quia mos est sanctorum praedicatorum, semel, bis aut ter dicere unum eundemque sermonem, verbi gratia dicunt: Ante omnia caritatem mutuam habete, post hinc praedicant alia et iterum subjungunt: ante omnia humilitatem habete, et reliqua. Ita et S. Benedictus in hoc loco facere videtur, cum hic dicit: *Primus humilitatis gradus est*, et iterum inferius subjungit: *Primus humilitatis gradus est.* Nunc videndum est, quare nunc dicit *humilitatis*, cum clavis istius capituli de obedientia dicit? opus enim fuit, ut diceret, primum obedientiae gradum esse. Ideo dixit *humilitatis*, quia istae tres virtutes, i. e. caritas, humilitas et obedientia adeo sunt sibi conjunctae, ut una sine altera esse nequeat; nam ubi obedientia est, ibi humilitas et caritas et reliqua, sicut superius diximus. *Gradus* intelligitur ascensio vel scansio. *Obedientia sine mora. Obedientia* dicta est quasi *obaudientia*, quia quod audit sermone, opere complet. Et bene dixit, primum humilitatis gradum esse obedientiam, quia primum per superbiam et inobedientiam a regno Dei et a beatitudine expulsi sumus aeterna, et ideo per humilitatem et obedientiam eadem coelestis regni gaudia repetere debemus. Sunt enim multi, qui videntur coram hominibus sine mora, i. e. sine tarditate agere obedientiam, tamen coram Deo cum mora agunt, i. e. aut pro vana gloria, aut pro timore, aut certe pro alia aliqua ratione obediunt. Iterum sunt alii, qui cum mora coram hominibus videntur obedire, tamen coram Deo sine mora obediunt, quia pro impossibilitate hoc faciunt. Isti tales probandi sunt. Probandus est ille, qui sine mora obedit coram hominibus isto modo: ut securus sit abbas de illo. coram Deo debet illum admonere,

[1]) quamvis enim (?).

ne hoc, quod facit, non pro vana gloria aut pro timore faciat. Et ut securior sit, debet illum probare in aliis operibus. Si illum cognoverit studiosum esse in lectione, in mortificatione, in jejunio et reliq., tunc potest causa Dei etiam sine mora obediens esse. Quodsi illum non cognoverit esse studiosum in aliis rebus, poterit etiam suspicari, non ejus intentionem sanam esse in hoc loco. Illum vero, qui videtur cum mora agere obedientiam, potest isto modo abbas probare, i. e. debet cognoscere, qualis sit illa obedientia, quae illi injungitur a decano aut praeposito vel ab aliquo priore. Si cognoverit, illam obedientiam esse rectam et bonam, tunc debet illum interrogare, quare cum mora obedit. Ille vero si dixerit: causa impossibilitatis hoc ago, iterum debet illum probare in aliis rebus, i. e. si invenerit illum studiosum et mortificatum in aliis operibus, tunc poterit illum cognoscere causa impossibilitatis hoc agere; si autem cognoverit, illum non studiosum esse, tunc poterit in illo suspicari, hoc desidiae causa agere, et postea, prout cognoverit abbas illum delinquere, potest illum regulari disciplina constringere. Vide modo: Sunt duo fratres, qui audiunt signum pulsare; unus est ex illis servitor infirmorum et tempore, quo audit signum, tenet infirmum in manibus et non potest illum dimittere et currere, et tamen voluntatem habet eundi, si non impediretur. Iste talis si coram hominibus videatur cum mora agere, tamen coram Deo non agit moram. Similiter qui hospiti servit et reliqua. Et est alter, qui non habet aliquam obedientiam, in qua impeditus existat, ut hora signi pulsati pro hoc non valeat currere: cum audit signum, currit statim pro timore, ne excommunicetur. Iste talis, si videatur coram hominibus sine mora currere, tamen coram Deo cum mora agit.

Sequitur: Nunc quasi interrogasses S. Benedictum dicens: Pater Benedicte! cui convenit obedientia sine mora, i. e. sine tarditate? ille autem quasi respondens dicit: *Haec convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant.* Cum dicit *haec*, subaudis: obedientia ista sine mora, ac si diceret aliis verbis: ista obedientia sine mora, quam

dixi, illis hominibus convenit, qui nullam rem amant plus, quam Christum.

Sequitur: *Propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae mox, ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo.* Sunt enim multi, qui ita conjungunt: *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora*; hic versum faciunt vel distinctionem; deinde subjungunt: *haec convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant propter servitium sanctum, quod professi sunt seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae.* Sed non videtur conveniens esse haec conjunctio, i. e. distinctio, eo quod (cum dicit: *qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant* et subjungit *metum gehennae)*, qui amore Christi obedit, non potest timore gehennae obedire. Sed melius videtur, ut timor separetur gehennae ab amore Christi et ita separatis legatur ita: *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora; haec convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant.* Deinde divise debet legere: *Propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae mox, ut aliquid a majore imperatum fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo*, ut sit constructio talis: *nesciant moram pati in faciendo;* reddit causam, quare non debeant moram pati: *propter servitium sanctum, quod professi sunt seu metum gehennae vel gloriam vitae aeternae.* Et hoc notandum est, quia istud, quod dicit: *Haec convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant*, praelocutio est.

Haec convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant, i. e. qui in duodecimo gradu sunt. Istud autem, quod subsequitur: *Propter servitium sanctum, quod professi sunt seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae*, ordinat et exponit, qualiter ad illam perfectionem veniant, i. e. ad duodecimum gradum. Sed quid faciant? ac si diceret: sed mox, i. e. statim obediant, ut imperatum fuerit, ac si divinitus imperetur. Sunt enim multi, qui ob hoc obediunt: propter timorem gehennae, et non propter

servitium sanctum aut gloriam. Gehenna intelligitur poena, tam temporalis quam aeterna. Et iterum sunt alii, qui solummodo ob hoc obediunt: propter servitium sanctum, quod professi sunt, i. e. propter observationem regulae, quam servare promiserunt, cum de stabilitate et obedientia et conversatione morum suorum promiserit, quia ista tria professi sunt; et hoc est servitium sanctum, quod professi sunt, ne inveniantur fallaces coram Deo et non propter timorem gehennae vel gloriam vitae aeternae. Et iterum sunt alii, qui solummodo serviunt Deo propter gloriam vitae aeternae, et non propter metum gehennae vel propter servitium sanctum; qui enim propter timorem poenae serviunt Deo, non sunt boni ad comparationem istorum, qui propter servitium sanctum serviunt Deo, eo quod servi sunt, quia pro timore poenae serviunt; et iterum ad comparationem istorum, qui propter metum serviunt, meliores sunt illi, qui propter servitium sanctum serviunt; et iterum meliores sunt illi, qui propter amorem haereditatis, i. e. propter gloriam vitae aeternae serviunt Deo ad comparationem istorum, qui propter sanctum servitium serviunt; deinde jam meliores sunt illi, qui pro amore Dei serviunt Deo ad comparationem illorum, qui propter amorem coelestis patriae serviunt Deo. V. gr. est quidam, qui habet servum, habet vasallum, habet etiam filium. Servus servit propter timorem, ne flagelletur; vasallus autem servit propter fidem suam, quam professus est illi servire, ne inveniatur fallax. Filius quidem dividitur duobus modis: est talis filius, qui ideo servit patri, ne exhaeredetur: iste quidem filius mercenarius est. Est alter filius, qui non pro haereditate,[1] sed solummodo pro amore patris, i. e. ne offendat patrem, quia non est illi curae, ut haereditatem habeat, sed magis vult perdere haereditatem, tantum ut patris gratiam habeat et illius laetitia et gaudio fruatur; iste talis filius est. Ita et monachus, si pro timore poenae, i. e. ne excommunicetur aut flagelletur, Deo servit, servus est; si autem propter

[1]) scil. servit.

professionem suam, quia pollicitus est, Deo servire, i. e. obedire, quasi vasallus est; si autem servit Deo pro haereditate coelestis patriae capienda, mercenarius est; si vero servit solummodo, ut Domini gratiam habeat et ejus iram non sentiat, filius perfectus est. Unde debet abbas omnes generaliter admonere, ne pro timore poenae aut pro servitio, quod professi sunt, sed solummodo pro Christi amore Deo serviant, ut sint perfecti. Deinde singillatim unumquemque debet admonere et debet inquirere isto modo: frater volo, ut tali die mecum loquaris. Deinde cum venerit dies, debet illi dicere: ego autem opto et desidero salutem tuam; ideo quaero a te confessionem, et ne verearis mihi confiteri peccata, quia pro salute tua quaero a te confessionem. Nam abbas talem se debet exhibere, ut omnes magis illi cupiant confiteri, quam alio, et hoc, quod audit, secrete debet tenere, et illi compatienter debet dicere: Qua intentione es obediens, es jejunans? utrum pro timore, an pro vana gloria, an pro servitio isto, quod professus es, an pro alio aliquo? Si ille dixerit: Pro vana gloria, debet illum admonere, ut pro solius Dei omnipotentis amore sit devotus et debet illi dicere: Orabo pro te, ut Dominus auferat vanitatem de corde tuo. Et ita ille postea abbas faciat sibi illum familiarem et dilectum in locutione et in aliqua re, ut ille monachus magis delectetur, illi confiteri; et non illum conturbet aut pro hoc iratum et non sincerum illi postea se ostendat, sed faciat ut bonus medicus. Deinde oratione facta pro illo debet iterum illum interrogare post aliquot dies, utrum exivit de corde suo haec maligna cogitatio. Si autem ille dixerit, quia adhuc perseverat, debet illi dicere: Frater crede mihi, quia pro te oravi, sed quia non fui dignus, ideo me Dominus non exaudivit. Sed noli timere et non verearis confiteri. Sicut autem antea fuit illi familiaris ille monachus, ita et postea debet esse, ut gaudeat ei confiteri. Deinde debet in capitulo dicere, non nominando personam,[1]) sed solummodo loqui hoc modo:

[1]) Cod. Emmeram.

Est frater quidam inter nos, qui devotus est valde Domino adjuvante, sed habet in corde cogitationes malas; opto caritatem vestram, ut pro illo dignemini orare, ut Dominus auferat malas cogitationes de corde ejus.

Sequitur: *De quibus Dominus dicit: obauditu auris obaudivit mihi*, quasi diceret: illi nesciant moram pati, de quibus Dominus dicit: *Obauditu auris obaudivit mihi.* Hoc, quod dicit Dominus, de gentibus dicit, quasi diceret: Gentiles non me viderunt miracula facientem, non signa, sed solummodo auditu auris obedierunt mihi. Ita et monachi absque discussione debent obedire, quia qui a discussione coeperit, non erit perfectus in fidei obedientia. Gentium agilitas a Domino in hoc loco laudatur, ita et monachi obedientia.

Sequitur: *et iterum dicit doctoribus: Qui vos audit, me audit.* Hoc enim Dominus, cum misit discipulos suos praedicare, dixit. Consolationem et coërcionem dedit auditoribus, cum dicit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*, ac si diceret: Sciant auditores et intelligant, quia cum praedicatores meos audiunt, non illos audiunt, sed me. Et cum dicit: *Qui vos spernit*, constringit et coërcet et timorem illis incutit: quia, si praedicatores meos spreverint, non illos despiciunt, sed me in illis despiciunt. Unde Dominus dicit ad Samuel, quando populus nolebat eum principem habere, sed quaerebat regem: *Audi vocem populi in omnibus, quae loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et iterum magnam consolationem dedit praedicatoribus atque coërcionem. Coërcionem vero, ut, si se cognoverint audiri, non se elevent, quia non se sui auditores, sed me in illis audiunt; et iterum illis consolationem dedit, ut si spreti fuerint ab auditoribus, non irascantur, non indignentur, quia se non spernunt, sed me in illis.

Sequitur: *Ergo hi tales relinquentes statim, quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes mox exoccupatis manibus et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequuntur.* Cum dicit

ergo, superius respicit, quamvis non in verbis ostendat, sed in sensu, ubi dicit: *propter servitium sanctum, quod professi sunt* et reliqua, ac si diceret: si ita est, i. e. si propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae, ergo hi tales factis sequuntur jubentis vocem relinquentes statim, quae sua sunt et reliqua, sicut regula dicit. Nunc videndum est, quare dicit *sua*, cum monachus nil proprii habet, et non solum pecuniam, verum etiam ipsam voluntatem in propria potestate non habet, sicut ipse inferius dicit in capitulo XXXIII: *nullam omnino rem, quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria potestate?* Istud *sua* ideo dicit, non ut aliquid habeat monachus proprium, sed tantum quod ad suam necessitatem agit vel habet; v. gr. si consuit pannos suae utilitatis, cum imperatur et obedit, statim sua derelinquit. Similiter si lavat pannos aut si aliquid suae utilitatis agit, sua derelinquit, cum imperatur et obedit. Si legit tempore lectionis et, cum imperatur, statim dimittit lectionem, sua derelinquit. Similiter intelligendum est, si orat aut psallit et caetera his similia. Ita et in spiritalibus rebus. Voluntas vero propria attinet ad delectationem; v. gr. si cum jacet et imperatur surgere, non delectatur jacere, sed statim surgit, voluntatem deserit propriam. Similiter si manducat vel bibit aut sedet aut aliquid aliud agit, quod ad corporis delectationem attinet, cum imperatur, illud, quod agit, deserit, voluntatem propriam derelinquit. Ita intelligendum est etiam et in spiritalibus rebus, i. e. si cum orat aut legit aut psallit aut aliud aliquid spiritale agit, cum imperatur et statim deserit, voluntatem propriam derelinquit. Talis sensus est in hoc loco, cum dicit *sua*, qualis est in loco illo, ubi in Moralibus legimus: *et reddet homini justitiam suam.* Quem sensum papa Gregorius ita exponit hoc modo dicens: ait enim: [1]) *Justitia »nostra« dicitur, non quae ex nostro nostra est, sed quae divina largitate fit nostra, sicut in Dominica*

---

[1]) Moral. lib. 23. in cap. 33. B. Job. cap. 7. n. 13.

oratione dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; ecce et nostrum dicimus, et tamen, ut detur, oramus. Noster quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, et noster quippe fit veraciter per acceptionem. Ita ergo hoc loco homini suam justitiam Dominus reddit, non quam ex semetipso habuit, sed quam conditus ut habeat, accepit, et in qua lapsus perseverare noluit. Illam ergo justitiam Deus reddet homini, ad quam conditus fuit, ut inhaerere Deo libeat, ut minacem ejus sententiam pertimescat, ut serpentis callidi jam promissionibus non credat. Hinc etiam Cassiodorus dicit: Veluti nautae dicunt ventum suum, quo utuntur ad bene navigandum, sic et res monachi sua potest esse et non sua. Sua, quia eam ab abbate tantum ad suam utilitatem accepit, non sua, quia nec vendere, nec donare eam potest sine licentia abbatis, cujus potestas est donandi vel vendendi. *Statim*, i. e. mox; *deserentes*, i. e. relinquentes; *mox*, i. e. statim; *exoccupatis*, i. e. evacuatis; si enim v. gr. consuis et, cum audis imperium, consuendo vadis, quamvis statim vadas, tamen non *exoccupatis manibus* vadis, i. e. non agis, quod inferius dicit: *et quod agebant, imperfectum relinquentes; imperfectum*, i. e. non perfectum vel non completum; v. gr. si, cum consuis, habes jam missam setam in foramen pellis vel acum in pannum et imperatus fueris, non debes pertrahere setam aut perducere acum, sed ipsis non expletis statim debes currere ad vocem imperantis, sicuti quidam Marcus monachus legitur fecisse, qui audita voce patris scribens non perfecit circulum o litterae propter obedientiam.

Sequitur: *vicino obedientiae pede. Obedientiae* genitivus casus est. *Obedientiae* (pede) cum dicit, cordis pedem dicit; et iste pes cordis obedientiae movet corporis pedem.

Sequitur: *veluti uno momento praedicta magistri jussio et perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambae res communiter citius explicantur.* Bene dixit *momento*, quia mos est scripturae divinae, cum praedicat, festinatione nimia esse aliquid agendum, dicit *momentum* aut *punctum*

aut *atomum*, ut absque mora fiat; veluti Augustinus dicit in quadam sua epistola, quam direxit Vincentio (?), hoc modo: [1]) In atomo, inquit, in puncto temporis, quod dividi non potest, in ictu oculi, hoc est in summa celeritate, hoc est in novissima tuba, i. e. in novissimo signo quodam utitur, ut ista compleantur. Ita et B. Benedictus. Quia dixit, sine mora obedientiam esse, ideo dixit *momento*, ut non sit mora ulla; nam non potuit plus breviter comprehendere, ideo dixit *momento*. Momentum dictum est a temporis brevitate, ut quam cito, quam statim, i. e. valde statim salvo negotio reformetur nec in ullam produci moram debeat, quod repetitur sic: nec ullum spatium est momenti, cujus tam brevis est temporis punctus, ut in aliquam moram nullomodo producatur. Momentum enim secundum computi rationem dicitur a motu solis, quousque deserat locum, ubi stare videtur, a momento in minutum, de minuto in punctum, de puncto in horam, de hora in quadrantem, de quadrante in diem, de die in septimanam.

In velocitate timoris Dei ambae res communiter citius explicantur. Cum dicit *ambae res*, subaudiendum est: magistri jussio et opera discipulorum. Cum dicit *timoris Dei,* attinet ad jussionem et ad opera discipulorum; velocitas enim, i. e. citius,[2]) ad opera discipulorum solummodo pertinet.

Sequitur: *Quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit, ideo angustam viam arripiunt, unde Dominus dicit: Angusta via est, quae ducit ad vitam, et (ut?) non suo arbitrio viventes vel desideriis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio in coenobiis degentes abbatem sibi praeesse desiderant.*

Quibus enim, quod dicit, non ad superiorem sensum attinet, sed melius ad inferiorem sensum referri debet, ut sit constructio: ideo angustam viam arripiunt, unde Dominus dicit: *Angusta via est, quae ducit ad vitam.* Qui? Illi fratres, quibus incumbit amor gradiendi ad vitam aeternam.

---

[1]) cf. Migne, tom. 38. serm. 362. cap. 16. num. 19—21.

[2]) et citius. Cod. Emmeram.

Reddit causam quare, i. e. *ut non suo arbitrio viventes vel desideriis et voluptatibus obedientes;* ut enim melior sit sensus, ita debet dici: i. e. ut non suo judicio vivant vel desideriis et voluptatibus obediant, sed quid faciunt? sed desiderant abbatem sibi praeesse in coenobiis degentes, ambulantes alieno judicio et imperio, ac si diceret: propterea angustam viam arripiunt, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit. *Angusta via* est, quantum ad initium attinet conversionis, sicut superius diximus. *Arbitrio*, i. e. discretione. In hoc loco *desideriis* et *voluptatibus* (voluntatibus) unum significant. *Judicio*, i. e. discretione; *degentes*, i. e. viventes, habitantes.

Sequitur: *Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Quid est, quod dicit Dominus: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, cum voluntas Filii non est divisa a voluntate Patris? Non est ita intelligendum secundum divinitatem, sed, cum dicit *voluntatem meam*, intellige carnis. In Domino Jesu duas naturas credimus, unam carnis et alteram divinitatis. Secundum divinitatem voluntas Filii et Patris una est; cum vero dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me* — ac si diceret: Non veni facere voluntatem carnis, hoc est voluntatem hominis suscepti, quia Christus ad hoc descendit, ut injuriaretur, pateretur, crucifigeretur. Sed caro timebat flagellari, injuriam pati, spinis coronari, et propterea dixit Dominus: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, i. e. quamvis caro timeat, quamvis non cupiat coronari spinis, tamen ego non veni, voluntatem ejus facere, sed Patris, quae voluntas Patris a mea non est divisa. Et est sensus: non veni facere voluntatem meam, sed meam, i. e. non veni facere voluntatem carnis, quam suscepi, sed veni, facere voluntatem divinitatis meae, qua decrevi, per humanitatem meam mundum redimere. Altero modo potest intelligi hoc ad omnes Catholicos; homo enim ex duabus substantiis constat, i. e. animae et carnis. Anima vult jejunare, psallere et operari et cetera spiritalia; caro

autem vult jocari, luxuriari et vacare, et cetera carnalia. Et tunc debet dicere omnis Christianus: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, ac si dicat: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, cujus instinctu huc veni. Deinde potest hoc etiam attinere ad monachum, cum est jussus, aliquam exercere obedientiam, et est in ipsa obedientia duritia, frigus aut aliqua necessitas sive contrarietas. Tunc debet dicere: Non debeo voluntatem carnis facere, i. e. dimittere hanc obedientiam. sicuti carni meae placet, sed ejus, i. e. abbatis debeo facere voluntatem, qui me in hanc obedientiam misit.

Sequitur: *Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si, quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide aut cum murmure vel cum responso nolentis efficitur*. Quare? *Quia obedientia, quae majoribus praebetur, Deo exhibetur*. Cum dicit *hominibus*, subaudiendum est: bonis. *Trepide*, i. e. dubitanter, hoc est, non debet monachus dubitationem habere, quando obedit, utrum non possit, an possit facere. Et propterea dicit *non tarde*, quia sunt multi, qui in principio obedientiae se tardant, i. e. non cito peragunt; et sunt alii, qui in media obedientia tardantur; et alii, qui in fine tardant se. *Non tepide*, i. e. negligenter, non studiose. Sunt multi, qui obediunt patri solummodo trepide et non tarde, non tepide, non cum murmure, non cum responso nolentis. Et iterum sunt alii, qui tarde aut in medio aut in principio vel in fine, et non trepide, non tepide aut cum murmure vel cum responso nolentis efficiunt. Iterum sunt alii, qui cum murmure, et non cum responso nolentis, non tepide, non tarde, non trepide, et sunt alii, qui cum responso nolentis, quod pejus est his omnibus, et non trepide, non tarde, non tepide, non cum murmure obediunt. *Murmure* attinet ad illum, qui post dorsum abbatis murmurat; *responsum nolentis* attinet ad illum, qui in conspectu prioris respondet, se nolle.

Sequitur: *quia obedientia, quae majoribus praebetur, Deo exhibetur*. Debet enim abbas monachum admonere et hortari illum, si eum viderit pigrum, secreto dicens: Vide.

frater, quia si discipulus obedientiam majoribus praebet, Deo illam exhibet; et ideo non debet se credere homini obedire sed Deo, ut non tepide aut tarde aut trepide vel cum murmure sive cum responso nolentis ei obediat, sed cum obedit homini, Deo se credat obedire, et propterea non debet esse piger ad obediendum, quia major merces est. Et adeo debet illum leniter admonere. Postquam vero cognoverit, ejus animum esse devotum, tunc debet illi imperare, ut lucrifaciat eum.

Sequitur: *Ipse enim dixit: Qui vos audit, me audit.* Iste versus superius tractatus est.

Sequitur: *Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet.* Reddit causam, quare? cum dicit: quia *hilarem enim datorem diligit Deus.* Cum dicit *praeberi*, subaudiendum est: obedientia. Istud enim, quod dicit: *hilarem enim datorem diligit Deus*, Paulus apostolus dixit de illo, qui eleemosynam tribuit tam carnalem sive etiam spiritalem. Sed B. Benedictus quasi violenter hoc ad suum sensum trahit, cum de discipulo dicit *hilarem datorem*, i. e. laetum obedientem. Secundum vero sensum Pauli apostoli attinet ad abbatem, i. e. ut hilariter debeat docere suos auditores et eis sua necessaria laetanter tribuere. Secundum vero Benedicti sensum attinet ad monachos, sicut diximus, ut monachus laeto animo debeat obedientiam abbati suo exhibere. Sunt enim multi, qui, cum obediunt, tristi animo obediunt, et sunt alii, qui, cum obediunt, laeto animo obediunt. Sed quamvis illi cum laeto, et illi cum tristo animo obediant, tamen parum mercedis exinde acquirunt; v. gr. cum sunt tales, qui gaudendo ad obedientiam coquinae vadunt, et ideo gaudent, quia antea erant districti, ut non loquerentur, quae voluissent, et non ambulassent, quo voluissent, et postea occasione hebdomadae loquuntur per claustram et vadunt in hortum. Et sunt alii, qui cum accipiunt obedientiam coquinae vel certe servire infirmis, quia considerant laborem hujus obedientiae, ideo tribulantur, et ob hoc non est perfecta obedientia illorum. Vide modo, quia nec illis est mercedis perfectio, qui gaudent, nec istis, qui tribu-

lantur. Et idcirco debet abbas hos tales singillatim admonere; illos, qui tribulantur, debet admonere, ut non tribulentur sed cogitent peccata sua, quam multa et quam gravia sunt, quatenus non tribulentur nec timeant laborem, quia magna et multa sunt peccata, quae hoc labore mundantur; illos autem, qui gaudent, debet admonere, ut non gaudeant terreno gaudio sed divino, quatenus per hanc obedientiam valeant regnum adipisci coeleste.

Sequitur: *nam cum malo animo si obediat discipulus et non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiam si impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit*, ac si diceret: non solum nullam gratiam ex hoc consequitur, verum etiam poenas murmurantium incurrit. *Immo*, i. e. potius, magis. Videamus, qui fuerint illi murmuratores, quorum poenas iste inobediens incurrit, et quae est poena illorum. Murmuratores fuerunt filii Israel; poena illorum fuit ignis coelestis, hiatus terrae, morsus serpentium. Alii mortui sunt hiatu terrae, sicut Dathan et Abiron; alii morsu ignitorum serpentium; alii igni coelesti. Sed quare dicatur *poena*, docet Isidorus ita dicens:[1]) *Poena dicta est, quod puniat; est autem epithetum necessarium, et sine adjectione non habet plenum sensum; adjicis »poena carceris«, »poena exilii«, »poena mortis«, et imples sensum.* Debet etiam hoc, quod superius dicit: *si non cum satisfactione emendaverit*, ita intelligi, ista enim debet esse discretio hujus satisfactionis: si [vero] in corde ita murmuraverit, quatenus abbas intellexerit, eum murmurasse, et pro hoc ipse abbas turbatus et commotus est, tunc ipse monachus debet abbati veniam petere: si autem ita tacite in corde murmuraverit, ut abbas non cognoverit, eum murmurasse, tunc incertum videtur, cui satisfaciat, utrum Deo an homini, i. e. confessionem faciat. Ideo dixi: confessionem faciat, quia in hoc loco satisfactio pro con-

---

[1]) Etymolog. lib. 5. c. 27.

fessione ponitur. Deinde, quia dixi: incertum est, utrum Deo, an homini satisfacere, i. e. confessionem facere debeat, quamvis incertum sit, tamen videtur mihi, ut satisfaciat, i. e. confessionem faciat homini, i. e. fratri spiritali, qui sciat, sicut regula dicit inferius, i. e. in capitulo XLVI, curare sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

Cap. VI.

DE TACITURNITATE.

Superius enim informaverat abbatem, qualiter deberet esse in his rebus, quae ad se vel in se attinent; deinde instruxit eum, qualiter deberet disponere, i. e. ordinare exteriora sua, i. e. res monasterii. Post vero, quia docturus erat caetera membra, docuit, quae sunt instrumenta bonorum operum in unum omnia comprehendens. Post indicationem instrumentorum boni operis, quia cognovit B. Benedictus, diabolum de coelo per superbiam cecidisse et Adam a Deo per inobedientiam recessisse, idcirco imprimis de obedientia et humilitate dixit; ait enim: *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora.* Sunt enim multi, qui dicunt, in hoc loco istum primum humilitatis gradum non pro ordine positum, sed pro magnitudine, quia non subsequitur eum secundus. Et iterum sunt alii, qui dicunt, non esse verum, ut pro magnitudine sit positus, sed pro ordine, quia inferius mentio fit timoris gehennae et arctae viae. Si enim mentio non fuisset inferius timoris gehennae aut arctae viae, poterat esse pro magnitudine; sed quia inferius fit mentio gehennae timoris et arctae viae, ideo in loco ordinis esse positus iste primus cognoscitur, ac per hoc videntur illi cecidisse, i. e. non recte dixisse, qui pro magnitudine dicunt esse positum. Sed econtrario respondent: Quomodo potest iste primus in loco ordinis esse, cum inferius dicit S. Benedictus: erigenda est scala? Jam quando dicit inferius: scala erigenda est, et iterum dicit: primus humilitatis gradus est, tunc iste primus non in ordine est, sed pro magnitudine. Insuper ista clavis, quae dicitur: *De taciturnitate*, non convenit illi primo, cum ille primus de obedientia et humilitate dicat, et hoc

capitulum de silentio dicit. Ad haec illi respondentes dicunt: De scala, quam dicitis inferius dixisse S. Benedictum erigere, non est contrarium huic nostro sensui, quia mos est sanctorum praedicatorum dicere prius: *ante omnia,* sicut dicit ille, qui coepit viam, in principio: perficiamus iter; et iterum dicit in medio: perficiamus iter; et adeo potest dicere: perficiamus iter, donec ad perfectionem itineris perveniat. Ista enim clavis, quae dicitur: *De taciturnitate*, contrarium non est, sed conveniens, quia ex humilitate et timore nascitur silentium, sicut dixit Isaias: *Custos virtutum silentium est.* Nam humilitas et gravitas facit, esse hominem perfectum. Humilitas est, quantum ad corpus attinet, gravitas vero, quantum ad silentium pertinet, quia sunt multi, qui humiles sunt corpore et vani locutione; et iterum sunt alii graves locutione et vagi corpore.

Ait enim: *Faciamus, quod ait propheta.* Et bene dixit *faciamus*, se miscens cum auditoribus suis, ut facilius audiatur. Quasi interrogares S. Benedictum dicens: Quid dicit illa scriptura divina? ille respondens dicit: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Dixi* ponitur quasi pro *statui; vias,* i. e. actiones, ac si diceret: ita statui custodire vias meas, i. e. actiones meas, *ut non delinquam,* i. e. ut non peccem etiam in lingua mea, quod est membrum valde lubricum et valde mobile, et quod vix retineri potest.

Sequitur: *Posui ori meo custodiam.* Et bene dixit *custodiam;* sive dicas custodiam sive januam sive ostium, nil obstat, h. e. nihil nocet. Quia cognovit ille propheta, tale esse peccatum in reticendo dicenda tempore suo, quale in loquendo non dicenda, i. e. non bona aut certe dicenda et non tempore suo, quae bona sunt: ideo dixit *custodiam,* quod est ostium; ostium enim aliquando clauditur, aliquando aperitur: et propterea dixit *custodiam*, ut tempore suo taceat, et tempore suo dicat. *Ostium* quippe, sicut Cassiodorus dicit,[1]) *ab obstando dictum est, quod dum clauditur.*

[1]) expos. in psalm. 140. v. 3.

obstat intrantibus. *Os* dicitur secundum Isidorum,[1]) *quia per ipsum quasi per ostium et cibos intus mittimus et sputum foras projicimus, vel quia ingrediuntur inde cibi et inde egrediuntur sermones.* De moderato ac discreto silentio bene autem B. Gregorius docet dicens hoc modo: *Plerumque autem nimis taciti .... taciturnitas claudit.*[2])

Sequitur: *Obmutui et humiliatus sum.* Vide modo, quia, cum dixit *obmutui*, subjunxit: *humiliatus sum*, ac si diceret: Non superbe tacui, sed humiliter obmutescendo silui. Sunt enim multi, qui tacent aut per superbiam aut per iram, et ideo, quia ita tacent, illorum silentium apud Deum nihil est; ut enim perfectum sit silentium, cum humilitate debet taceri et cum discretione. *Mutus* enim secundum Isidorum dicitur,[3]) quia vox ejus non est sermo, nisi mugitus; vocalem enim spiritum per nares quasi mugiens emittit. *Humilis* dicitur quasi *humo acclinis,* i. e. ad terram declinatus, ac per hoc ille est vere humilis, qui se pulverem et cinerem esse existimat.

Sequitur: *Hic ostendit propheta: si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari.* Bene dixit *interdum; interdum* enim significat: tempore suo. In omni ergo, quod dicitur, necesse est, ut causa, tempus et persona pensetur, si verba sententiae veritas roboret, si hanc tempus congruum postulat, et si veritatem sententiae et congruentiam temporis qualitas personae non impugnat, ac si diceret: si a bonis eloquiis debet cessari, quanto magis a malis verbis propter peccatum? In hoc loco, ubi dicit: *obmutui et humiliatus sum et silui a bonis*, aliter sensit B. Benedictus, aliter propheta; propheta enim dicit de doctoribus. Sunt enim alii doctores, qui, cum vident, praedicationibus suis non posse cohibere mala auditorum suorum,

[1]) Etymolog. lib. 11. cap. 1. n. 49.

[2]) Moral. lib. 7. in cap. 6. B. Job. n. 60. 61. (Migne, tom. 75. col. 801. 802).

[3]) Etymolog. lib. 10. num. 170.

tacent, quia non possunt loquendo mala subditorum coërcere; sed cum tacent, vident, mala subditorum crescere propter taciturnitatem suam. Exardescentes zelo Dei et accensi fervore Dei loquuntur, et propterea subsequitur propheta dicens: *Convaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis; locutus sum in lingua mea*, ac si diceret aliis verbis: locutus sum et non profeci, i. e. quia non potui praedicando cohibere malo (mala) subditorum, ideo tacui; sed quia me tacente creverunt mala subditorum, succensus fervore Dei et zelatus zelo Dei non potui cohibere spiritum meum, ideo locutus sum. B. vero Benedictus, sicut dixi, aliter intelligens dicit: *Hic ostendit propheta: si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet cessari* etc. — vide modo quasi per vim aliter intelligens sensum prophetae; propheta enim intellexerat aut dixerat de praedicatoribus, Benedictus autem vertit in mortificationem monachorum. Non enim dicimus, ut non intellexisset Benedictus sensum prophetae: forte intellexit, sed quia voluit firmare suam sententiam, quam de taciturnitate dixit, ideo aliter intellexit. Non nocet, si Scriptura divina intelligitur aliter, quam prolata est, tantum ut in pejorem sensum non vertatur, quia pejor sensus nocet; nam si similiter aut melius intelligitur, nil obstat. Deinde quia ad mortificationem monachorum voluit attinere, ideo subjunxit dicens: *Ergo quamvis de bonis et sanctis et aedificationum eloquiis perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara concedatur loquendi licentia.* Istud enim *ergo* superius respicit, ubi dicit: *Hic ostendit propheta: si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari*, ac si diceret: si ita est, i. e. ut etiam a bonis eloquiis debeat taceri, ergo quamvis a bonis et sanctis et aedificationum eloquiis perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, ac si diceret aliis verbis: si propheta Domini tacebat propter taciturnitatem, ergo discipulis, quamvis perfecti sint et quamvis de bonis et sanctis aedificationum eloquiis, tamen rara concedatur loquendi licentia.

In hoc loco, cum dicit, raram licentiam dari perfectis discipulis loquendi de bonis et sanctis et aedificationum eloquiis, subintelligitur, ut imperfectis discipulis vel stultis nunquam loquendi licentia concedatur praeter in necessariis suis tam spiritalibus quam etiam corporalibus. Nunc videndum est, qui sunt perfecti discipuli, quibus rara licentia loquendi concedatur. Sunt enim multi, qui bene possunt intelligere et sanctam conversationem habent; et sunt alii, qui non possunt intelligere, sed tamen sanctam conversationem habent; et sunt iterum nonnulli, qui bene intelligunt, sed tamen non habent conversationem bonam. Si enim possunt inveniri, illis dari debet licentia loquendi, qui et actione sunt boni et bene possunt intelligere et admonere. Quod si tales non possunt reperiri, tunc illis debet licentia loquendi dari, qui, quamvis non possint bene intelligere, tamen bonae conversationis sunt. Nunc videndum est, quare non debeant imperfecti monachi loqui? Alibi dicit idem B. Benedictus: *Usque ad interrogationem non loquatur monachus.* Ista interrogatio necessitas intelligitur. Ita debet ista ratio disponi, ut istud silentium teneatur; debet enim locus esse constitutus, ut, cum abbas vel decanus aut circator aut aliquis senior horis incompetentibus vult fratrem negligentem arguere, in ipso arguat loco, quatenus, qui legit aut psallit, pro hoc non impediatur. Ideo dixi locum, ut, si ille, qui corripit, vult dicere negligenti fratri rationem, valeat dicere. Deinde cum conveniunt in capitulum, non debet ullus sine obedientia exire de capitulo. Nam debet abbas unicuique fratri injungere aliquid, ut non vacet, et in ipsa obedientia non debet aliquis, nisi quantum ad ipsam obedientiam cogit illum necessitas, loqui, sicut inferius dicit idem S. Benedictus: *Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur.* Et in ipsa obedientia causa necessitatis illius obedientiae coactus cum loquitur, ipsa verba pauca sint et rationabilia et non clamosa, quia, sicut dicit idem B. Benedictus: *Undecimus humilitatis gradus est, si, cum loquitur monachus,*

leniter et sine risu, humiliter, cum gravitate vel pauca verba et rationabilia loquatur et non sit clamosus in voce. V. gr. ille frater coquus cum loquitur in coquina, ita debet loqui leniter, ut etiam in claustra non sonet ejus vox. Ita de omnibus obedientiis debet fieri; ita etiam silentium debet esse post nonam, quomodo ante tertiam. Si enim non habet abbas talia opera, quae injungat, unicuique debet injungere lectionem aut psalmodiam. Si vero hiemis tempus fuerit et propter frigus convenerint omnes in unum ad calefaciendum se, silentium debet ibi esse, et nullus debet ibi loqui, nisi ille, qui obedientiam habuerit ibidem, aut aliqua necessitas coëgerit. Nam debet esse ibidem decanus et circator, ut illi praevideant et teneant custodiam super illos, ut non ibi loquantur, nisi quae ad necessitatem pertinent illius obedientiae. Nam debent magistri infantum etiam ibi esse cum suis flagellis, qui teneant custodiam super illos infantes, ut ne motus vel jocos aut aliqua ibi scurrilia agant. Illi autem, quibus injunctum est legere aut psallere, cum se ibi calefecerint, revertantur ad obedientiam suam, i. e. ad lectionem vel ad psalmodiam aut aliquod opus, quod eis injunctum est. Et hoc sciendum est, quia ille abbas debet locum deputatum habere, ubi se fratres calefaciant, et illi debent facere focum, qui hebdomadam coquinae dimiserunt. Pannos autem lavare non debent, nisi isto modo: Illi fratres, qui dimiserunt hebdomadam in coquina, debent calefacere aquam et in quinto decimo die debent aquam illam calefacere; v. gr. si fratres raduntur sabbatho, aquae praeparatio debet esse sequenti tertia feria aut secunda feria aut quarta feria, et tunc debet abbas dicere in ipso die, in quo praeparatio aquae est, fratribus: unusquisque hodie lavet pannos suos. Si est talis frater, qui aut propter fleuthomiam (fleubothomiam) aut propter debilitatem aut infirmitatem non potest lavare, debet dicere decano aut priori: non possum lavare meos pannos. Tunc ille senior debet injungere alii fratri, ut adjuvet vel certe lavet ex toto. Et hoc sciendum est, quia omnia debent esse praeparata, i. e. focus, concha, aqua et

sapon et reliqua necessaria. Caeteri autem omnes, qui possunt sibi lavare, per semetipsos debent lavare. Si autem propter nocturnas illusiones necessitas fuerit lavandi, omni tempore, quo necessitas fuerit, lavare debet, ita tamen, ut licentiam petat a priore suo et cum licentia sua lavet. Nam etiam de hac causa debet similiter locus esse praeparatus cum aqua, ut, cum necessitas fuerit propter illusiones nocturnas, lavet. Et hoc sciendum est, quia hanc aquam illi debent praeparare, qui hebdomadam coquinae dimiserunt, et tunc in alia hebdomade sequente praeparant aquam ad pannos fratribus et omnem munditiam, i. e. ipsi faciunt coquinarii et aquam etiam in die sabbathi in hebdomada suae munditiae praeparent aliis fratribus, qui pedes debent lavare omnibus fratribus; tamen conchas ad pedes lavare et pannos ad pedes tergere, h. e. ista duo cellerarius debet praeparata habere. Nunc reddit causam, quare non debet multum loqui, cum subjungit: *quia in multiloquio non effugies peccatum.* Verum est, quod, si multa fuerint verba, quamvis etiam bona, tamen in peccatum labuntur aut in detractionem, aut in otiosa sive etiam in jocularia.

Sequitur: *Et alibi* (i. e. in alio loco) *dicit Scriptura: Mors et vita in manibus linguae.* Nunc videndum est, quomodo habet lingua manum vel pedem? Quamvis vero lingua manum non habeat, tamen manum movet ad occidendum et ad vivificandum; v. gr. si exasperum verbum loquitur quis, unde alius irascatur. *Mors et vita* potest intelligi et temporalis et aeterna, et tua et aliena. Mors enim aeterna potest esse in manibus linguae, h. e. in potestate linguae. cum quis tale verbum loquitur, h. e. blasphemiam aut aliquod mortale peccatum, unde in aeternum pereat. Item potest esse in manibus linguae, h. e. in potestate linguae mors temporalis. cum quis tale verbum loquitur, ut aliquis occidatur. Et iterum potest vita aeterna esse in manibus linguae. cum quis bonum consilium dando aut bene admonendo (efficit), ut aliquis peccator, (qui) in aeternum debuerat mori, agendo poenitentiam vivificetur. Similiter etiam potest vita temporalis in manibus, h. e. in potestate linguae

esse, cum quis tale verbum loquitur, ut ille, qui debuerat occidi, non occidatur. Dicit enim S. Hieronymus in tractatu Oseae prophetae:[1]) *Manum mortis appellat opera, quibus interficitur, juxta illud quod scriptum est: In manibus linguae mors et vita.*

Sequitur: *Nam loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo (discipulum?) convenit.* Quia condecet et convenit unum significant, potest etiam reciproce dicere, docere et loqui magistro convenit, tacere et audire discipulum condecet. Et hoc sciendum est, quia hoc, quod dicit: *loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit*, generalis regula est, eo quod omnis scriptura divina ita praecipit.

Sequitur: *et ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requirantur;* ac si diceret: Cum omni humilitate et cum omni subjectione reverentiae requirantur. Et bene dixit *omni*, i. e. tam corporis, quam animae, quia possunt multi subditi esse corpore et non mente, sicuti sunt superbi. Et iterum possunt esse alii subditi mente et non corpore; isti non sunt perfecti. Et iterum alii humiles et tamen non sunt subditi, sicuti sunt principes, aut certe alii boni et humiles, et tamen non sunt subditi aliis; isti sunt meliores. Et iterum sunt alii, qui sunt subditi mente et corpore; isti sunt perfecti, et de talibus dicit in hoc loco S. Benedictus: *cum omni humilitate et subjectione.* Et quia voluit B. Benedictus, te perfectum esse, ideo dicit: *cum omni humilitate et subjectione.* Hoc, quod dicit: *ne videatur plus loqui, quam expedit*, non est in regula, sed subauditio est.

Sequitur: *Scurrilitates vel verba otiosa aut risum moventia aeterna clausura in omnibus locis damnamus. Scurrilitates* derivantur ab eo, quod est scurra, i. e. joculator. Scurrilitates sunt verba jocularia; otiosa sunt verba illa, quae non habent rationem in se tam animae quam corporis, sed damnum corporis habent et magis nocent animae, quia,

---

[1]) commentar. in Osee lib. 3. c. 13 v. 14.

sicut dicit Dominus, de omni verbo otioso reddituri sunt homines rationem in die judicii. Otiosum quippe verbum est, quod aut utilitate rectitudinis aut ratione justae necessitatis caret. Risum moventia sunt illa verba, quae risum movent; verba risum moventia et scurrilitates videntur unum significare, sed hoc inter se differunt: scurrilitates attinent ad lasciviam, quae lascivia vicina est libidini. Illa est lascivia, quae aut loquitur aut agit aliquomodo, quae ad libidinem attinent, nam lascivia de scurrilitate nascitur; verba autem risum moventia etiam ad sapientem attinent et ad bona et proficua, quia possunt sapientes ita bona et proficua loqui, ut risum moveant, sicut superius dicit: *Os suum a malo vel pravo eloquio custodire.* Malum eloquium est, quod nocet; pravum autem, quod plus nocet. *Multum loqui non amare.* Tunc loquitur multum: si quatuor verba necessaria sunt solummodo et tu loqueris quinque, jam multum locutus es. Sic etiam si sex aut plus locutus fueris, multum loqueris. Nam si decem diebus locutus fueris de una causa, et necessitas fuerit, non est multum, quia necessaria sunt verba. Verba vana sunt otiosa; verba risui apta possunt attinere ad scurrilitates et ad risum moventia. *Aeterna clausura* septimus casus est. i. e. ablativus sine praepositione, ac si diceret aliis verbis: scurrilitatibus et verbis otiosis aut risum moventibus aeternam clausuram ponimus, i. e. aeternum et perpetuum murum. Quam bene et discrete docet B. Benedictus! superius enim dixit: *custodiam*, h. e. ostium ponam ori, ut tempore suo dicantur et tempore suo non dicantur. Hic autem non ostium ponit, sed murum et obicem in perpetuum ponit malis, i. e. ut nunquam et in nullis locis dicantur. *Damnamus*, i. e. interdicimus aut claudimus. Nam quid sit: *Scurrilitates vel verba otiosa aut risum moventia aeterna clausura damnamus*, inferius manifestat, cum subjungit: *Et ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus. Permittimus*, i. e. concedimus. Forte dicit aliquis: Discipuli os non permittit aperire, non magistri. Cui respondendum est: Si os discipuli claudit, multo magis os magistri con-

stringit; sic enim superius dicit de abbate: *Omnia, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.* Nam si ille alios docet, non loqui vana aut scurrilitates aut risum moventia, et ipse illa loquitur, tunc non indicat contraria discipulis in suis factis non agenda. Et hoc notandum est, quia tres intentiones esse dixit in hoc capitulo: primam, ut etiam illi fratres spiritales, qui praedicant, debent aliquando silentium habere propter locutionem; secundam, ut necessaria, cum requirunt, loquantur, sed quantum expedit; tertiam, ut verba vana loqui nullus debeat aut scurrilitates.

Cap. VII.

DE HUMILITATE.

Clamat nobis scriptura divina, fratres, dicens: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. Tunc enim clamat scriptura, quando mentem admonet. Dicit autem Basilius: *Clamare enim dicitur propter eos, quorum interior surdus et obduratus est auditus, sicut in evangelio legitur: Jesus autem clamabat.* Quid est, quod scriptura dicit: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*, cum multi humiles tam in seculo, quam in sancta ecclesia non efficiuntur exaltati, eo quod ante egrediuntur de praesenti seculo, quam fiant sublimati? V. gr. sunt multi in sancta ecclesia humiles, qui non efficiuntur episcopi aut presbyteri et reliqu., ut teneant regimen vel locum superiorem sanctae ecclesiae. Et similiter in seculo sunt multi pauperes, qui non efficiuntur divites, sed ante egrediuntur de praesenti vita. Et iterum sunt multi humiles propter Dominum in sancta ecclesia et fiunt inde episcopi, diaconi et tenentes regimen sanctae ecclesiae; et iterum videntur multi pauperes in saeculo, qui aut per parentes, aut per artem aliquam aut per ingenium efficiuntur divites et exaltati. Quamvis istorum pars in praesenti saeculo sit exaltata, tamen haec sententia ad futurum judicium tendit, in quo omnes humiles propter Dominum exaltabuntur et omnes superbi humiliabuntur.

Sequitur: *Cum haec ergo dicit, ostendit nobis, omnem exaltationem genus esse superbiae.* Ubi dicitur *dicit*, subaudiendum est: illa scriptura; et ubi dicitur *haec*, intelligendum est ista,[1]) quae subsequitur, i. e. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur;* ac si diceret: qualicumque modo se exaltaverit quis, ipsa exaltatio genus superbiae est in illo.

Sequitur: *Quod se propheta cavere indicat dicens. Quod*, subaudiendum est: genus superbiae. Ait enim: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me.* Iste enim tantus propheta David bene intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat: *neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me.* Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quaereret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui et in his, ad quae non sufficit, videri conatur; item ille non ambulat in magnis super se, qui ea magna, quae super se sunt, i. e. ultra mensuram suam non cupit facere, et ille non ambulat in mirabilibus super se, qui miracula, quae supra se sunt, non desiderat agere.

Sequitur: *Sed quid?* Cum vero dicit: *sed quid?* subaudiendum est: fecisti. In hoc enim loco videtur Dominus interrogasse prophetam secundum sensum S. Benedicti, quasi diceret: O propheta! dixisti, te non exaltasse cor tuum nec habuisse oculos in altum elatos neque ambulasse in magnis supra mensuram tuam neque in mirabilibus similiter supra mensuram tuam; cum ista ergo omnia non fecisti, quid ergo fecisti? Videtur nunc David Domino respondisse sub imprecatione, cum subjungit: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatum*[2]) *super matrem suam, ita retribues in animam meam.* Vide modo, bene dixit *super matrem suam;* si enim non subjunxisset *super matrem suam*, non fecisset sibi imprecationem, quia puer,

---

[1]) sententia (?).

[2]) sicut ablactatus est. Cod. Fürstzell.

si tempore suo ablactatus fuerit, adjuvabit illum ista ablactatio magis, quam nocebit. Et propterea subjunxit *super matrem suam,* quasi diceret: sicut periculosa est ablactatio parvulo, qui cum nondum potest vivere solido cibo, potatur a matre sua, si ablactatus fuerit, ita mihi sit periculosa separatio tua, si ista, quae superius dixi, feci. Notum est omnibus, quia si tunc ablactatur puer, cum solidum cibum comedere non potest, moritur; ita et ego, si haec feci, quae dixi, pro dulcedine tuae beatitudinis mortis periculum incurram. Sunt enim multi libri, qui habent *super matre sua* per ablativum; sed hoc bene potest esse, eo quod ita intelligitur: quando enim puer legitime, i. e. quando comedere potest, ablactari debet, solet mater suas mamillas aliqua amaritudine ungere, quatenus, cum venerit puer pro dulcedine lactis, sumat amaritudinem et per hoc lac sugere desuescat; quasi diceret propheta Domino: Si haec, quae dixi, feci, sicut puer de matre sua sumit amaritudinem pro dulcedine lactis, ita et ego pro dulcedine tuae beatitudinis sumam amaritudinem. Sed videamus, qualiter S. Augustinus de hoc loco sentit; ait enim: *Iste enim, qui dixit* . . . . . *invenies gratiam.*[1])

Sequitur: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut qui ablactatus est a lacte super matre sua, sit retributio in animam meam.* Videtis, eum velut maledicto se constrinxisse. Sic in alio psalmo dicit: *Domine, Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam et conculcet in terram vitam meam et gloriam meam in pulverem deducat.* Sic videtur et hic dixisse: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam,* quasi diceret: illud mihi contingat, quod ibi; quid? si reddidi retribuentibus mihi mala, i. e. decidam merito ab inimicis meis inanis. Sic et hic: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam,*

[1]) Enarrat. in psalm. 130. (Migne, tom. 37. col. 1706–1709. n 4–7.) Plures sententias interjectas Hildemarus praetermisit.

quemadmodum, qui ablactatus est a lacte super matre sua, sic retributio in animam meam. Et hoc notandum est, quia non dixit illic: *Si reddidi facientibus mihi mala*, sed: *reddidi retribuentibus mihi mala.* Qui enim retribuit, jam aliquid acceperat; majoris autem patientiae est, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam qui nullo ante accepto beneficio nocere voluisset. *Si ergo reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala*, i. e. si non te imitatus sum in patientia tua, qua pro me operatus es, hoc est, cum tu illis noluisti retribuere mala, qui acceptis beneficiis tuis tibi retribuerint mala pro bonis tuis, quae illis fecisti, et cetera.

Sequitur: *Unde, fratres, si summae humilitatis volumus culmen attingere et ad illam exaltationem coelestem, ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quae in somno Jacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta nostra est vita in saeculo, quae humiliato corde a Domino erigitur ad coelum, latera vero ejusdem scalae dicimus nostrum esse corpus et animam, in quae latera diversos gradus humilitatis vel disciplinae evocatio* [1]) *divina ascendendos inseruit.* Istud enim *unde* superius respicit, i. e. ubi dicit: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. Culmen*, i. e. celsitudinem. *Jacob* intelligitur *supplantator*: supplantator proprie dicitur ille, qui cum alio luctatur et aliquod ingenium faciendo illi dejicit illum in terram, sive *supplantare* dicitur ab eo, quod sub plantas subjicitur; supplantare, i. e. sub plantis premere et se superponere, i. e. supplantare vitia atque superare. Item supplantator dicitur omnis, qui per aliquod ingenium vel fraudem decipit

---

[1]) Martenius (cap. VII. pag. 203) dubitat, utrum Hildemarus scripserit *evocatio*, an *vocatio*: at in omnibus Germaniae codicibus legitur *evocatio*.

alium. Jacob enim propterea dicitur supplantator, quia duabus vicibus supplantavit fratrem suum. Prima vice illum supplantavit, cum illi lenticulam dedit et tulit primogenita sua; ideo fuit supplantatio, quia parvam rem et vilem dedit et tulit pretiosa, hoc est primogenita. Deinde supplantavit illum altera vice, cum subripuit illi benedictionem. Supplantavit etiam Angelum, quando contendendo superavit illum, et Angelus iterum supplantavit Jacob, quando tetigit femoris ejus nervum et fecit eum esse claudum. Iste Jacob, qui supplantavit fratrem suum auferendo illi benedictionem et ivit in terram alienam dimittens patrem et matrem suam, quique deinde, cum ivit in via, vidit in Bethel, jacens in nuda humo tenensque caput super lapidem, scalam stantem in terra et cacumen ejus pertingens usque ad coelum, tenet figuram monachorum, quia, sicut ille supplantavit fratrem suum, ita et monachus debet supplantare diabolum et saeculum. Et sicut Jacob exiit de terra nativitatis suae et ivit in terram alienam, ita et monachus debet derelinquere terram suam, i. e. omnia sua, et fieri pauper et peregrinus. Vide modo, quia Jacob scalam vidit non in valle, sed in monte, h. e. in Bethel; Bethel namque interpretatur domus Dei. Nullus enim videtur sic intellexisse per istam scalam, sicut S. Benedictus, sed varie intelligitur. Nam alio modo per scalam intelligitur scriptura divina, et per angelos ascensores et descensores intelliguntur praedicatores sancti. Tunc enim sancti ascendunt, quando de divinitate praedicant, sicut Joannes fecit dicendo: *In principio erat verbum;* et descendunt, cum de humanitate praedicant, cum idem Joannes dicit: *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Sic enim dicit Dominus: *Et videbitis coelos apertos et angelos Dei descendentes et ascendentes super filium hominis.* Item per angelos ascendentes et descendentes intelliguntur sancti praedicatores, qui in sacra scriptura ascendunt, cum in contemplatione Dei consistunt, et iterum descendunt, cum ad compassionem proximi flectuntur. S. vero Benedictus, sicut dixi, per scalam vitam praesentem intelligit. Sunt enim multi, qui hanc scalam

non habent erectam, qui aut pro necessitate sunt in monasterio, eo quod non habent, unde foris vivant, i. e. in saeculo, aut certe sunt multi, quibus gravis est disciplina et non habent ullum amorem Dei, et quia non possunt jejunare semper, ideo se fleuthomant (fleubothomant?) frequenter, ut meliorem cibum manducent et concedatur illis dormire et jacere. Et sunt alii, qui videntur quasi unum latus erectum habere, eo quod nimio desiderio cupiunt bona peragere, sed tamen corporis corruptione devicti non possunt ea agere, quae desiderant, sed gravati a carnis corruptione in delectatione carnis permanent. Verumtamen non sunt desperandi illi, qui tantum unum latus ipsius scalae erectum habent, eo quod potens est Dominus, illos erigere ad coelum, ut duo latera erecta habeant, h. e. aut per flagellum aut per aliquem suae pietatis instinctum. Et item sunt alii, qui non solum animi affectione verum etiam corporis delectatione desiderant coelestia appetere; isti autem jam duo latera ipsius scalae erecta habent. Ideo dixi superius animae vel corporis latera pro affectionibus, cum homo quibusdam spiritalibus affectionibus erectis, tamen quibusdam adhuc carnalibus consentit, quasi unum latus erectum scalae, unum vero jacens habet. Ita dico *consentit*, quia tunc est malum, si consentit; si vero resistit, quasi in erigendo latus laborat; et tamen, quamquam nolit, quamdiu vivit, semper habet, cui malae suggestioni renitatur. Ecce Jacob in somno vidit scalam: et bene in somno vidit scalam, quia, nisi dormisset, scalam in somnis non vidisset. Quid enim in hoc loco per somnum, sicut B. Gregorius dicit, nisi calcatis carnis desideriis quies vitae (h. e. quietudo vitae) figuratur? *Aliquando enim somno . . . . cui se probavit.* [1])

Sequitur: *diversos gradus humilitatis vel disciplinae.* Disciplina enim attinet ad opera pietatis, veluti sunt timor, obedientia et reliq., quae per diversos gradus exercentur:

---

[1]) Moral. lib. 5. in cap. 4. B. Job. num. 54. 55. (Migne. tom. 75. col. 708—710.)

humilitas autem est in omnibus gradibus, quia nullum bonum potest placere Deo sine humilitate. Scientia etenim virtus est, humilitas vero custos virtutis. Quaelibet adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur; miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat; qui enim sine humilitate virtutes congregat, in vento pulverem portat, unde aliquid ferre [1]) cernitur, inde deterius caecatur.

DE PRIMO HUMILITATIS GRADU.

Primus humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens. Jam enim superius diximus, quid sit: *Primus humilitatis gradus est*, in quinto capitulo. Nunc autem videndum est, quare dixit *Dei?* Ideo dixit *Dei*, quia est et timor aliorum. Timor quippe Dei in duas species dividitur, i. e. in timorem servilem et in timorem castum. Timor vero aliorum in multas species dividitur. Est enim timor ignis, timor aquae, timor febris, timor hominis, timor bestiarum et reliq. Videndum est nunc, quare dicit *semper*. Ideo dixit *semper*, quia cum imprimis habes causa fragilitatis humanae servilem timorem et deinde proficis in timorem castum, semper timorem Dei habes. Hoc et sciendum est, ut, cum timorem castum habueris, non desistas illum habere. Ideo dixi: *causa fragilitatis humanae*, quia homo semper timore casto debet Deum timere, non servili; sed fragilitate faciente humana non potest homo ad timorem castum pervenire, nisi per timorem servilem. Veluti ille, qui consuit calciamenta, prius mittit setam et postmodum linum; et setam excutit foras, linum inibi esse sinit; ita et homo, cum servire Deo incipit, prius a timore servili incipit et per timorem servilem pervenit ad castum.

Sequitur: Cum dicit *oculos*, subaudiendum est *cordis*, quia timor non est corporalis res, ut ante oculos corporeos ponatur, sed affectus vel affectio est mentis, ideo ante

[1]) facere. Cod. Fürstzell.

oculos — *cordis* subaudiendum est — ponat. Cum dicit *sibi*, intelligitur: *sibi ipsi*.

Sequitur: *oblivionem praeceptorum Dei omnino fugiens*, h. e. illud peccatum fugiat, quod oblivio est, cujus medicina est jugis meditatio, quia peccatum non est creatum aut factum, sed inventum; quasi diceret aliis verbis: non sit obliviosus. In hoc enim loco, cum dicit *oblivionem*, subaudiendum est: illarum rerum, quae ad memoriam revocari debent, i. e. timoris perpetuae poenae, gaudii coelestis patriae et laboris praesentis vitae. Forte dicit aliquis: Si perfectus est, quare debet ad memoriam revocare timorem perpetuae poenae? Cui respondendum est: non ideo debet ad memoriam revocare perpetuam poenam, ut pro ejus timore Deo serviat, sed magis ac magis in laudibus Dei proficiat, cujus adjutorio meruit a supplicio aeterno liberari. Sicut sancti vident malos in tormentis, non ut exinde timeant, ne ibi cadant, sed ut magis gratias et laudes suo redemtori referant, sicut dicit papa Gregorius,[1]) ita et sancti homines, quando ad timorem castum veniunt, possunt recordari et recordantur, sed tamen cum recordantur, non pro illo timore serviunt Deo, sed, qualis poena sit malis praeparata, recordantur, sicut faciebat Paulus. Ille enim, postquam fuit raptus ad coelum, dicebat, se blasphemum et persecutorem quondam fuisse, et reliq.; sed hoc cum dicebat, non causa timoris servilis dicebat, quia in eo perfecta caritas erat, quae foras mittit timorem, sed ideo dicebat, ut se manifestaret, qualis quondam impius et blasphemus fuerat, pro quibus meruerat ad inferna dimergi, nisi misericordia Dei adjutus esset. Et ubi dicit *semper*, subaudi: quamdiu ad castum timorem perveneris.

Sequitur: *et semper sit memor omnium, quae praecepit Deus*. Cum enim dicit *semper*, voluit, ut tu sis semper memor; nam sunt multi, qui memores sunt mandatorum Dei per intervallum temporis et non semper. Et iterum

[1]) Moral. lib. 34 in cap. 41. B. Job. num. 37. et homil. in Evangel. lib. 2. homil. 40 num. 8.

sunt alii, qui sunt memores, sed tamen non omnium praeceptorum Dei. B. vero Benedictus, quia voluit, ut tu perfectus esses, ideo dixit tibi *semper*. Nunc videndum est, quid praecipit Deus, ut ea semper in memoria habere possimus. Duo enim praecipit Dominus; aut enim praecipit, non negligere bonum, aut certe non facere malum. Et iterum haec praecepta Domini aut continent carmen aut vae aut certe lamentationes, sicut dicit Ezechiel: *Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber. Expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris, et scriptae in eo erant lamentationes, carmina et vae.* Carmen enim attinet ad gaudium vitae aeternae, vae autem ad perpetuam poenam, lamentationes vero ad labores hujus praesentis vitae. B. vero Benedictus, quia cognovit, praecepta divina his tribus modis constare, i. e. carminibus, lamentationibus atque vae, ideo his tribus modis praecepta divina distinxit. In eo quod dixit: *qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidant*, manifestavit vae; et in hoc, quod dixit: *et vitam aeternam, quae timentibus Deum praeparata est, animo suo semper evolvat,* indicavit carmen; et iterum in hoc, quod dixit: *custodiens se omni hora a peccatis et vitiis,* declaravit lamentationes. *Incidant*, i. e. cadant; *animo suo semper evolvat*, i. e. in animo suo semper cogitet. Deinde quasi interrogasses S. Benedictum dicens: a quorum peccatis et vitiis? ille respondens dicit: *i. e. cogitationum, linguae, oculorum, manuum, pedum vel voluntatis propriae, sed et desideria carnis amputare festinet.* Quamvis *peccatum* et *vitium* videantur unum significare, tamen hoc modo possunt inter se differri: *peccatum* potest attinere ad *non agere bonum*, *vitium* autem potest attinere ad *facere malum*. In eo, quod dicit *cogitationum*, interiorem hominem admonet, ut sollicitus sit erga cogitationes perversas, et in eo, quod dixit *linguae, oculorum, manuum vel pedum*, exteriorem hominem docet. Et cum subjunxit *voluntatis propriae*, iterum interiorem hominem admonet; et cum subsecutus est: *sed et desideria carnis amputare festinet*, iterum exteriorem hominem instruit, eo quod mos

est sanctorum praedicatorum, modo interiorem, modo exteriorem hominem docere. *Infernus* autem, ut Cassiodorus dicit,[1]) *dictus est ab eo, quod illic animae jugiter inferantur, sive, ut quidam volunt, a parte inferiori.*

Sequitur: *Aestimet se homo de coelis a Deo semper respici omni hora, et facta sua in omni loco ab aspectu divinitatis videri et ab angelis omni hora renuntiari.* Quia admonuerat nunc exteriorem hominem, nunc interiorem hominem, ideo subjunxit: *Aestimet se homo de coelis a Deo semper respici* et reliqua, ut et hoc timore perterritus majori custodia (se) contineret. *Aestimet*, i. e. intelligat, cognoscat. Nunc videndum est, quomodo angeli opera nostra omni hora Deo nuntiant. Numquid omni hora angeli ascendunt et descendunt de coelis? Non ita intelligendum est, sed est sensus: Unusquisque homo habet angelum bonum et malum sibi deputatum, malum quippe a die nativitatis, bonum autem angelum secundum quorundam opinionem a die nativitatis, dicunt autem alii, a die baptismatis, nonnulli vero dicunt, a die discretionis boni et mali unumquemque hominem bonum angelum habere. Deus enim super omnia est et subtus omnia et circa omnia et infra omnia; angeli autem intra Deum currunt. Deinde cum unusquisque angelus bonus gaudet de nostris bonis vel tristatur de nostris malis,[2]) ipsum gaudium quia notum est Deo, vel ipsa tristitia quia cognita est Deo, ipsius gaudii vel tristitiae notitia dicitur: *Deo ab angelis nostra facta nuntiari.*

Sequitur: *Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper praesentem ostendit dicens.* Cum dicit *demonstrat hoc*, subaudiendum est, quod superius

---

[1]) expos. in psalm. 9. v. 17.

[2]) Codex Tegernseensis et Fürstenzellensis hoc loco haec exhibent: *Deinde cum unusquisque angelus sive bonus sive malus gaudet de nostris bonis vel tristatur de nostris malis* etc. quae primitus etiam in codice Mellicensi fuerunt, sed per rasuram emendata sunt. Cum eadem Martenius in suo commentario (cap. VII. de primo humilitatis gradu) ex pervetusto codice St. Benigni Divionensi afferat, haec lectio ipsis notariis et Hildemari discipulis imputanda erit.

dixit: eo quod semper homo a Deo respicitur. Cum dicit *ita*, quasi diceret: sic Deum praesentem ostendit, sicut superius dixit, ac si diceret: Si Deus semper praesens est in cogitationibus, ergo opera nostra in omni loco et in omni hora semper aspicit.

Sequitur: *scrutans corda et renes Deus*. *Scrutans*, i. e. intelligens vel inquirens; per *corda* enim intelliguntur cogitationes, per *renes* autem intelliguntur ipsae rimae cogitationum, h. e. ipsum initium vel intentio, unde cogitationes oriuntur.

Sequitur: *Et iterum: Dominus novit cogitationes hominum.* Ideo enim B. Benedictus voluit subjungere, sicut propheta subjungit, quia voluit bonas et malas cogitationes intelligi; nam propheta subjungit: *quoniam vanae sunt*, eo quod de vanis cogitationibus dicit. In hoc loco videtur quaestio esse: quid est, quod propheta dicit: *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt?* Numquid solummodo homo cogitationes habet malas et non bonas? Quid est, cum bona meditatur, cum Deo placere cogitat? numquid non est bona cogitatio? Vere hoc est bona cogitatio. Sed propheta dixit: *hominum, quoniam vanae sunt*, quasi diceret: quantum ad homines attinet, vanae sunt, quia et hominum sunt; nam quantum ad Deum attinent, bonae sunt, quia ex Deo sunt, quoniam homo nil boni habet a se, sed si aliquid boni habet, a Deo habet. Et iterum quaeri potest: si homo a se habet malas cogitationes, numquid diabolus non suggeret homini malas cogitationes? Dicit enim papa Gregorius:[1]) *Tribus enim modis peccatum perpetratur: suggestione, delectatione atque consensu. Suggestio fit a diabolo, caro delectatur, spiritus consentit.* Verum est, quia homo malas cogitationes a se habet, et verum est, quia suggestio, sicut Gregorius dicit, a diabolo fit; nam aliquando cogitat homo malum a se, sicut dicit Jacob apostolus; ait enim: *Unusquisque vero tentatur a concupis-*

[1]) cf. Moral. lib. 32. in cap. 40. B. Job. num. 33. et lib. 4. in cap. 3. B. Job. num 49. et aliis locis.

centia sua abstractus et illectus; abstractus a recto itinere et illectus in malum. Deinde cum diabolus ipsam malam cogitationem intelligit, subministrat ei illam cogitationem et subministrando adauget atque amplificat, ac per hoc efficitur ipsa cogitatio et hominis et diaboli, hominis per principium, diaboli per subministrationem. Et hoc sciendum est: quia dixi, cognoscere diabolum cogitationem hominis, non aliter cognoscit, nisi per signa, sicut in collationibus patrum legitur. Item aliquando, antequam homo incipiat malum cogitare, suggerit ei diabolus, et cum homo illius diaboli cogitationem suscipit, efficitur ipsa cogitatio diaboli et hominis, diaboli per suggestionem, hominis vero per susceptionem. Et cum ita fit, contingit, ipsam malam cogitationem esse hominis et diaboli, et iterum esse diaboli et hominis.

Sequitur: *Intellexisti cogitationes meas a longe. A longe*. antequam veniant aut unde veniant, Dominus intelligit. Bene dicit *a longe*, quia Dominus non solum cognoscit cogitationes hominum, cum adsunt, sed et antequam in homine nascantur, et unde veniant, cognoscit.

Sequitur: *Et: quia cogitatio hominis confitebitur tibi*. Quid est, quod dicit: *cogitatio hominis confitebitur tibi?* Numquid cogitatio loquendo confitetur Deo? Non, sed quia cogitatio nota est Deo, ipsa notitia dicitur, confiteri Deo.

Sequitur: *Nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper utilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate mea*. Cum dicit: *ut sollicitus sit circa cogitationes*, subaudiendum est: ut non exeat[1]) in deliberationem. Nunc videndum est, quid sit, quod dicit *immaculatus?* homo enim in hac praesenti vita, sicut dixit B. Augustinus, non potest esse immaculatus, nisi forte in fine. Ideo dixit *in fine*, quia aut tribulatione aut infirmitate solet purgari. Et est sensus. cum dicit: *si observavero me ab iniquitate mea*, i. e. ab hac mala cogitatione mea, si poenitendo illam extinxero et

[1]) exeant. Cod. Divion. ex Marten

non dimisero illam exire in deliberationem, h. e. in consensum, tunc ero immaculatus coram eo, i. e. in fine vitae meae, ut, quia in praesenti vita pro fragilitate mea immaculatus esse nequeo, ero flendo et poenitendo in fine vitae meae, quando immaculatus inveniri debeo.

Sequitur: *Voluntatem propriam facere ita prohibemur, cum dicit scriptura nobis: Et a voluntatibus tuis avertere.* Voluntas enim in hoc loco de mala et de bona potest intelligi. Et pulchre dicit, voluntatibus nostris non obedire, quia sunt viae, quae videntur rectae, quarum finis usque ad inferna demergit. Has vias cavebat ille intrare, qui dicebat *Cogitavi vias meas;* nam cogitare debet homo prius vias suas et postmodum peragere. Nam qualiter haec sententia intelligi debeat, B. Ambrosius exponit in tractatu suo, quem de *Beati immaculati* scripsit.

Sequitur: *Et item rogamus Deum in oratione, ut fiat voluntas illius in nobis.* Cum dicit *fiat voluntas illius in nobis*, subaudiendum est: non nostra. Sicut enim dicit B. Augustinus, nil fixum orandum est praeter vitam aeternam.

Sequitur: *Docemur ergo merito, nostram non facere voluntatem, cum cavemus illud, quod dicit sacra scriptura: Sunt viae, quae putantur ab hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit. Merito*, i. e. recte, rite, rationabiliter. Item: *sunt viae, quae putantur ab hominibus rectae.* Haec vero sententia duobus modis potest intelligi. Uno modo cum vitium sub specie latet virtutis, veluti exponit B. Gregorius in ultima parte moralium.[1]) ubi de fistula aeris diligentissime cognoscitur tractare, et caetera innumerabilia his similia. Altero enim modo etiam intelligitur, cum mediocre bonum pro bono, et bonum pro meliore, et melior pro optimo eligitur. In isto enim secundo sensu solent homines simplices errare: sed sciendum est, quia majus habet periculum ille primus sensus, quam iste secundus. Iterum videndum est, quid sit hoc, quod dixit: *sunt viae, quae videntur rectae.* De bonis voluntatibus

[1]) Moral. lib. 32. in cap. 40. B. Job cap. 21. v. 15.

potest intelligi, scilicet ut nil debeat monachus secundum suam facere definitionem; verbi gratia, si jejunare vult monachus, ut non bibat de vino, nisi per intervallum temporis, aut vult jejunare biduanam aut tale jejunium peragere, quod notabile est, h. e. manifestum; de isto jejunio jam superius in prologo, ubi de propriis voluntatibus diximus, satis docuimus. Deinde si infirmus fuerit et dixerint ei spiritales fratres, propter suam infirmitatem manducare illum cibum, unde ille non habet consuetudinem manducandi, non debet in sua voluntate, sicut dixi, persistere, sed acquiescere spiritalium fratrum consiliis, quia illi ei non dabunt malum consilium. excepto forte, si falluntur, quia homines sunt.

Sequitur: *et cum pavemus*[1]) *illud, quod de negligentibus dictum est: Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.* Hoc vero, quod dicit *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt*, de malis voluptatibus dicit, i. e. quae ad vitia attinent. Cum enim dicit *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt*, quasi diceret: abominabiles facti sunt de corruptione sive in deliberatione, sive in operibus. Postquam corruptus fuerit de bono in malum, abominabilis fit Deo.

Sequitur: *In desideriis vero carnis ita nobis Deum credamus semper esse praesentem, cum dicit propheta Domino: Ante te omne desiderium meum.* Quamvis B. Augustinus de bono intelligat desiderio prophetam dixisse, tamen S. Benedictus de bono et malo dicit desiderio.

Sequitur: *Cavendum est ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est, unde scriptura praecipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas. Cavendum*, i. e. vitandum, fugiendum: *secus*, i. e. juxta; *post concupiscentias tuas non eas*, i. e. concupiscentias tuas in deliberationem ne sinas exire. Sciendum est, quia non dixit: secus delectationem posita est mors, sed secus introitum delectationis, eo quod mors, i. e. mortale peccatum

[1]) cavemus (?).

non adhuc in delectatione est, sicut dicit Augustinus, quia delectatio valde cito deletur, nisi ad consensum pervenerit. Unde etiam animadvertendum est, quia non dicit, secus delectationem positam esse mortem, sed secus introitum delectationis, i. e. juxta introitum delectationis malae, h. e. juxta ingressam delectationem, quia juxta delectationem est consensus. Et pulchre dicit *juxta introitum delectationis*, quia, si usque ad consensum pervenerit, qui juxta introitum delectationis positus est, illa concupiscentia, tunc est mors, i. e. tunc perfecte moritur homo morte animae, sicut dicit papa Gregorius: *Tribus modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum.* Quia enim in prima culpa serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mentem, si nulla peccati delectatio sequatur, omnino peccatum non est perpetratum; cum vero caro delectari coeperit, tunc peccatum nasci incipit; si autem etiam ad consensionem ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Quid est enim dicere: *Mors secus introitum delectationis posita est?* nisi quasi diceret: noli consentire concupiscentiae tuae, quia si usque ad consensum pervenerit, morieris, eo quod jam tunc erit perfectum peccatum, quod animam occidit.

Sequitur: *Ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos, et Dominus de coelo semper respicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, et si angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori nostro opera nostra nuntiantur.* Istud *ergo* superius respicit, i. e. ubi dicit: *Aestimet se homo a Deo semper omni hora respici et facta sua in omni loco* et reliq., ac si diceret: si ita est, ut Dominus respiciat super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, et si ab angelis nobis deputatis quotidie facta nostra nuntiantur Deo factori nostro: ergo cavendum est malum desiderium.

Sequitur: *Cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo propheta, ne nos declinantes in malum et inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est et exspectat, nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro: haec fecisti, et tacui.* Istud *ergo*, quod dixit: *cavendum est ergo omni hora*, ad illud *ergo* respicit, ubi dicit: *ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos*, quia mos est sapientum, illud adverbium replicare in fine sententiae, quod in capite dicit, ne sententia, quae prolongatur, oblivioni tradatur. Mos quippe est sapientum, sicut jam diximus, aut in capite dicere sententiam quasi materiam, et postmodum dividere per species, aut in primis dividere per species, et postmodum subjungere materiam sententiae, sicut in hoc loco S. Benedictus facere videtur, cum prius dividit sententiam per speciem, cum dicit: *Aestimet se homo de coelis a Deo semper respici* et reliq., et nunc subjunxit materiam sententiae, cum dicit: *Ergo si oculi Domini speculantur bonos* et reliq. Istud vero, quod dicit: *si est intelligens aut requirens Deum*, ita intelligitur, h. e. intelligens et requirens Deum, quia intelligit Deum, qui eum requirit; nam hic *aut* pro *et* positum est. Cum dicit *haec fecisti et tacui*, quasi diceret: haec fecisti mala et ego tacui, i. e. non punivi, non condemnavi, quasi diceret: propter poenitentiae causam, cum tu haec mala fecisti, ego tacui, i. e. non condemnavi, sed exspectavi, ut convertereris; nam unum *et* superfluum videtur esse.

DE SECUNDO GRADU HUMILITATIS.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Item dicit scriptura: Voluptas habet poenam, et necessitas parit coronam. Congruum ordinem tenuit in hoc loco B. Benedictus in eo, quod dixit prius, primum gradum humilitatis esse timorem Dei et omni se custodire hora, et postmodum secundum gradum humilitatis esse subjunxit, propriam quis non

amare facere voluntatem, quod, cum homo causa timoris gehennae veniens[1]) ad monasterium, quasi in primo gradu stare cognoscitur et jam longe a terra consistere, deinde cum intrat in monasterium, suscipit eum abrenuntiatio propriarum voluntatum. Cum dicit *propriam voluntatem*, de bonis rebus dicit, quia nil monachus etiam in bonis rebus per suum arbitrium debet agere, sicut diximus. Desideria autem pertinent de malis rebus, quae ad carnem attinent. Notandum est, quia hoc exemplum, quod B. Benedictus profert dicens: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, Dominus dixit in Evangelio. Sed interrogandum est, quid Dominus dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, cum Patris et Filii una sit voluntas? In Domino enim Jesu Christo duas naturas credimus, i. e. humanitatis et divinitatis, unde ipse Dominus aliquando secundum divinitatem loquitur, aliquando secundum humanitatem. Secundum divinitatem, ut est illud: *Ego et pater unum sumus;* secundum humanitatem, ut est illud: *Pater major me est.* Istud, quod hic dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, secundum humanitatem locutus est. Propositum quippe divinitatis erat, redimere mundum per passionem suae humanitatis; nam humanitatis erat timere passionem et crucifigi atque pati. Et ideo secundum voluntatem carnis dicebat: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*, ac si diceret: Non veni facere voluntatem meam, sed meam i. e. non veni facere voluntatem hominis suscepti, sed divinitatis meae, quia decrevi, per passionis mysterium redimere mundum. Hoc quippe bene congruit monacho. Duae quippe affectiones sunt in uno homine, carnis videlicet et animae. Debet enim monachus, cum aliquid durum aut contrarium sibi imperatum fuerit, dicere: non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, i. e. non veni implere voluntatem carnis, sed Dei, cujus instinctu huc missus sum; sive etiam: non veni facere voluntatem meam, i. e. carnis, h. e.

[1]) venit (?).

quod mihi leve vel suave est, sed abbatis mei, qui me misit in hanc obedientiam.

Sequitur: *Voluptas habet poenam, et necessitas parit coronam.* Sunt enim multi, qui distinquunt, *voluntatem* (per *n*) attinere ad Deum, et *volumtatem* (per *m*) attinere ad hominem, *voluptatem* (per *p*) ad diabolum; sed hanc distinctionem non semper sacra scriptura conservat, quia voluptas et in bono et in malo ponitur dicente Beda, sicut *paradisus voluptatis* dicitur, et iterum in psalmo canitur: *Et torrente voluptatis tuae potabis eos;* in malo autem Salomon ait: *Adolescentia enim et voluptas vana sunt.* Pro delectatione etiam ponitur carnis, sicut Sara dicebat: *Postquam senui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* In hoc enim loco sive per *n* habeatur voluptas, sive per *m*, nil sensui obstat, quia utroque modo potest dici; *voluntas* enim per *n* si in bono ponitur, est sensus: Qui enim Deo volunt servire, habent pugnam contra delectationem carnis. Et iste labor sive pugna illi, quam adversum carnem habet, qui Deo placet, poena est necessaria, sed ipsa poena sive necessitas generabit illi coronam perpetuam. Et ideo secundum hunc sensum, cum dicit *poenam*, subaudi: temporalem. Item alio modo potest intelligi ita, si enim per *p voluptas* habetur, quod attinet ad delectationem carnis, *voluptas habet poenam et necessitas parit coronam*, h. e. ille, qui vivit in delectationibus et deliciis et resistit superbiis atque luxuriis vel etiam fornicationibus, quae solent ex ipsis deliciis sive delectationibus generari, iste labor, quem sustinet, efficitur poena necessaria, et ex hac poena generabitur ei corona perpetua: si autem non resistit positus in habundantia suis superbiis et luxuriis, habebit poenam perpetuam. Alio modo etiam intelligitur *voluptas habet poenam*, i. e. si monachus suis voluptatibus acquieverit, h. e. si suas voluptates voluerit implere et noluerit obedire alienis voluptatibus et imperiis, ex hoc generatur illi poena aeterna. Quodsi noluerit suas implere voluptates, sed magis aliorum obedire voluerit praeceptis, ex hoc generatur illi, quantum ad praesentem vitam attinet,

poena et labor; sed ista poena necessaria generabit illi gaudium aeternum.

DE TERTIO HUMILITATIS GRADU.

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientia se subdat majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus obediens usque ad mortem. Congrue subjunxit B. Benedictus, tertium gradum esse, omni obedientia subdi majori, eo quod jam, cum suis propriis voluntatibus abrenuntiat, consequens est, ut aliorum se subdat imperiis. Istud enim, quod dicit: *ut omni obedientia se subdat majori*, duobus modis potest intelligi, quamvis ad unum finem referatur. Uno modo intelligitur, i. e. quidquid ei imperatum fuerit, obediat. Altero modo intelligitur, i. e. ut in omni obedientia cupiat vel habeat majorem, i. e. magistrum. Et forte dicit aliquis: quare, cum jam dixit, primum gradum esse obedientiam sine mora, et hic dicit, obedientiae[1]) tertium gradum esse? Bene dixit illic, primum gradum esse obedientiam sine mora, et hic tertium gradum esse obedientiam, eo quod major est ista obedientia, quae dicitur tertius gradus esse, quam illa, quae dicitur primus, quia multi sunt, qui obediunt abbati et nolunt habere magistrum vel priorem super se in ipsa obedientia, sed magis discipulum; isti tales in primo gradu obedientiae consistunt, deinde si cupiunt se sub alio esse et non super alium, in majori et in meliori, hoc est in tertio gradu consistunt, et major humilitas et major obedientia est apud Deum, semper velle subesse quam praeesse. Unde Dominus dicit: *Non veni ministrari, sed ministrare*, hoc est, non veni, ut alter mihi ministret, sed veni, ut ego ministrem aliis.

Sequitur: *Imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus obediens usque ad mortem.* Quid est, quod dicit: *Factus obediens usque ad mortem?* Numquid Dominus Jesus

[1]) obedientiam?

post mortem non fuit obediens Patri, cum resurrexit a mortuis et cum ascendit in coelos? Et iterum: non erit obediens, cum venerit judicare vivos et mortuos, de quo scriptum est: *Omne judicium dedit Filio?* Vere obediens fuit post mortem, quando resurrexit et cum ascendit ad coelos, et iterum obediens erit, cum venerit judicare vivos et mortuos. Sed in hoc loco, cum dicit Paulus: *Factus obediens usque ad mortem*, non fuit ei intentio de longitudine temporis, sed de magnitudine obedientiae, quia nulla est obedientia major quam illa, pro qua moritur, sicut dicit Dominus de caritate: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Absit enim, ut Dominus per hanc mortem suam obedientiam finiret et post mortem non iterum obediret, sed in tantum dilexit obedientiam, ut per mortem non timeret transire. Istud vero, quod dicit: *Factus obediens usque ad mortem,* duobus modis attinet, i. e. uno modo, ut usque ad mortem velit obedire, sicut scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Altero vero modo, si talis ac tanta fuerit obedientia, ut propter illam, si necessitas fuerit mori, morti se tradere non expavescat. Istud, quod dicitur *usque*, tribus modis potest poni. Ponitur aliquando pro infinito, sicut dicit psalmista: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.* Et iterum ponitur pro finito, sicuti dicimus in nostra locutione: usque venio, tu sede hic; sicut in actibus Apostolorum legitur: *Vos eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.* Et iterum ponitur pro magnitudine rei, sicuti in hoc loco. Hoc autem sciendum est, quia non de morte animae dico, sed de morte corporis. Veruntamen sciendum est, quia, cum mittit abbas monachum in obedientia et non cognoverit, periculum instare in via aut latronum aut alicujus malae rei, et ille monachus cognoverit ipsum periculum, debet abbati suo manifestare ipsum periculum, non inobediendi causa, sed solummodo, quia ille abbas forte non vult, ut eat in illud periculum. Aut forte si, cum

vadit per viam et in ipsa via cognoverit periculum instare latronum, poterit reverti, tunc debet iterum reverti et nuntiare illi ipsum periculum, quod evadere non potest, quatenus ille cognoscat, forte non vult, ut suus monachus periculum patiatur, quia cum obedit monachus, magis debet ad intentionem respicere abbatis, quam ad verba sola; nam sunt multi abbates sive sapientes sive simplices, cum[1]) mittunt monachum suum causa profectus monasterii longe, [et] dicunt illi, quae aut qualiter agere debeat; deinde cum pervenit monachus ad illum locum, [et] non invenit aut tempus nec locum, ut ita agat, sicut ei imperatum est, et ideo non debet ad verba, quae audivit, respicere, sed ad intentionem abbatis sui, hoc est, ut faciat, quod abbatem suum cognoverit velle, quamvis non possit eo modo perficere, sicuti audivit, eo quod melior est illa obedientia, quae ad intentionem respicit, quam illa, quae ad verba sine intentione. Abbas autem, [si] sciens periculum latronum inesse in ipsa obedientia, quam fratri injungit, aut valde est servus Dei, ut per suam orationem vel meritum ipse frater possit salvari, aut valde stultus, qui nescit discretionem, aut certe invidus, qui pro tali occasione vult, ut periculum frater incurrat. Et hoc notandum est, quia ille debet periculum mortis imperare, qui se cognoscit per suam orationem aut meritum[2]) — aut certe per humilitatem fratris et obedientiam ipse frater possit salvari.[3])

DE QUARTO GRADU HUMILITATIS.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia patientiam amplectatur et sustinens non lassescat vel discedat, dicente scriptura: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Item: Confortetur cor tuum et sustine Dominum. Et ostendens, fidelem pro Domino universa etiam contraria

[1]) qui, cum.

[2]) Anacoluthon (?).

[3]) Forsitan ita intelligendum sit: qui cognoscit, se per suam orationem aut meritum posse fratrem salvare, aut quod certe ipse frater per humilitatem et obedientiam suam possit salvari.

sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: Propter te mortificamur[1]) *tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Et securi de spe retributionis divinae subsequuntur gaudentes et dicentes: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco scriptura dicit: Probasti nos, inquit, Deus igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Et ut ostendat, sub priore debere nos esse, subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra. Sed et praeceptum Domini in adversis et in injuriis per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam praebent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati miliario vadunt et duo, cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent et persecutionem, et maledicentes se benedicunt.*

Haec sententia ita construitur: Est quartus humilitatis gradus, si amplectatur duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet injuriis irrogatis. Quomodo? Tacita conscientia. Item *tacita conscientia*, i. e. sine murmuratione atque tristitia. Sunt enim alii libri, qui habent *patientiam*, sed non bene, quia istud verbum, quod est *amplectatur*, servit aliquando dativo casui, sicuti sunt *duris et contrariis rebus et injuriis*; quasi diceret: amplectatur duris et contrariis rebus et reliqua. Hoc etiam animadvertendum est, quia non dicit *sufferat* aut *toleret*, sed *amplectatur;* nos enim eam rem, quam diligimus, amplectimur, quia non solum monachus debet adversa sufferre aut tolerare, sed etiam cum gaudio ea sufferre; sed idcirco dixit *amplectatur*, quia in isto verbo, quod est *amplectatur*, demonstravit dicens, monachum in tribulatione debere gaudenter sufferre. Et ideo non dixit, ut fugiat duras aut contrarias res et injurias in ipsa obedientia, sed amplectatur illas. Forte dicit aliquis: non debet abbas duras res et contrarias et injurias imperare vel ingerere suis subditis. Verum est, quia non debet taliter agere, eo quod hoc Augustinus dicit, et B. Benedictus admonet illum dicens: *sive secundum Deum sive secundum saeculum sint opera:*

[1]) Morte afficimur. Codd. Tegerns. et Fürstzell.

et tamen monachus, quia mortuus debet esse, ideo veluti mortuus ita debet in monasterio versari. Vide modo, mortuus quidem in quam partem volvitur, non murmurat, aut quidquid ei feceris, non contradicit. Nam abbas nunquam debet injuriare monachum, nec stultum illum vocare propter illud, quod Dominus dicit: *Si quis dixerit fratri suo: racha* et reliq. Si dixerit tamen, monacho non licet, abbati aliquid dicere, sed obedire, sicut diximus. Sed in his verbis potest illum arguere dure vel durius, v. gr. si dure arguere illum voluerit, isto modo: quare fecisti hanc rem? Si vero durius, plus augere verba: male fecisti et non fecisti recte, et ob hoc dignus es excommunicari vel flagellari. Nunc videndum est, quid sunt dura vel contrarietates. Dura sunt illa, quae ad materiem attinent rei, v. gr. sicuti est petram levare aut aliquid immensae magnitudinis portare vel agere. Contraria sunt, quae ad voluntatem attinent, si hoc, quod sibi imperatur, non sibi placuerit. Possunt quidem esse dura sine contrarietate, quia sunt multae res, quae grandes sunt et magnae magnitudinis, et tamen ille monachus bonus et voluntarius[1]) in obedientia, cui, quamvis durae sunt res, tamen amabiles illi fuissent ad perficiendas, si vires illi adessent. Et iterum possunt contraria sine *dura* esse, v. gr. quamvis leve est opus ad peragendum, tamen quia pravae voluntatis vel pusillanimitatis est, etiam levis obedientia contraria illi est.

Irrogatis, i. e. illatis vel factis.

Sequitur: *Non lassescat vel discedat.* Istud *lassescat* si ad corpus refertur, nullus fuit monachus, nec est, nec erit, qui hoc secundum corpus possit implere, eo quod nullus est homo, qui in ipsa obedientia, si laboriosa fuerit, non lassescat et ad tempus velit requiescere; ac per hoc necesse est, ut istud *lassescat* ad animam referatur, non ad corpus, quia perfectus monachus, licet lassetur corpore pro fragilitate, tamen semper mente desiderat implere. *Discedat* vero et ad corpus attinet et animam: nam potest *lassescat*

[1]) voluntarius est (?).

esse, si non discedat, et *discedat*, si non lassescat, v. gr. potest quis lassescere et non discedere, v. gr. sunt multi, quibus obedientia videtur esse dura, quamvis parva sit, tamen ne excommunicentur, non audent discedere, i. e. dimittere obedientiam. Et iterum sunt alii fratres, quibus levis est obedientia, sed tamen, quia videtur illis ipsa obedientia esse levis et non videtur alicujus magnitudinis, et pro levitate sua dimittunt illam obedientiam et vadunt per claustra[1]) et in aliqua loca. Istud vero, quod dicit: *qui perseveraverit usque in finem*, potest attinere ad *lassescat et discedat*. Hoc vero, quod dicit: *confortetur cor tuum et sustine Dominum!* attinet ad hoc, quod dixit *non lassescat*; et quia dixit et admonuit monachum contraria debere sustinere, voluit hoc confirmare testimoniis scripturarum divinarum; ideo haec exempla subjungere curavit dicens: *Et ostendens, fidelem pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium.* Cum *dicit*,[2]) subaudiendum est: scriptura divina. *Sufferentium*, i. e. sustinentium. *Propter te morte afficimur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Ista vox enim est martyrum, quae loquitur ad Dominum, quia propter Deum tota die, i. e. non momentanea, sed toto tempore vitae suae morte afficiuntur, i. e. mortificantur ut oves occisionis. Bene dixit, quia, sicut ovis non resistit, ita nec martyres resistunt pro Christi nomine. Hoc etiam attinet ad monachos simpliciter viventes, ut non resistant toto tempore vitae suae duris et contrariis imperiis. Sciendum est enim, quia tribus pro causis assimilavit Dominus electos suos ovi; una, sicut diximus superius: *non reddere malum pro malo*, altera vero, ut adjutorium inimicis suis impendant, sicuti facit ovis, cum lanam percussoribus suis tribuit. tertia vero, ut compassionem inimicis suis de intimo corde habeant, veluti facit ovis, quae lac de visceribus suis impertit. Nunc vero hoc, quod subsequitur: *Et securi de spe retributionis divinae subse-*

[1]) claustram (?).
[2]) rectius: cum dicit: *dicit*.

quuntur gaudentes et dicentes: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, de Domino ipsi martyres dicunt cohortantes se invicem. Cum dicit *in his omnibus*, subaudiendum est: mortificationibus. *Superamus*, i. e. usque ad mortem perseveramus. *Et item alio loco scriptura dicit: Probasti nos Deus, inquit, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum*, ac si diceret: Sicut argentum purgatur igne a suis scoriis, ita et sanctum suum Dominus purgat a suis malitiis igne tribulationis vel pressurae. *Induxisti nos in laqueum. Laqueum* enim, quem nominat, intelligitur carcer vel aliqua strictura. Et ista omnia voces sunt martyrum. Haec etiam attinent ad monachum, quia sicut ille, qui jacet in carcere, aestimat se et intelligit pro peccatis suis intus esse retrusum, et optat etiam tempus, in quo exeat de carcere et vadat ad parentes suos et ad proprietatem suam, ita et monachus debet se aestimare in carcere esse, quia claustra monasterii velut carcer in hoc loco per laqueum intelligitur: et debet etiam exspectare tempus, in quo exeat, h. e. de corpore suo, et ire ad loca sua et ad proprietatem suam, h. e. in paradisum, quia ipse est locus proprietatis nostrae, et ad cives et ad parentes suos, h. e. angelos. *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Vox ista martyrum est, ac si diceret: posuisti flagellum super corpus nostrum. Potest etiam esse vox monachorum, cum monasticae disciplinae subjecti existunt. *Et ut ostendat, sub priore nos esse debere, subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra.* Vox ista martyrum est, quia super capita sua habuerunt principes, qui potestatem habuerunt capitum suorum. Ad monachos etiam attinet, quia tam corporis quam etiam voluntatis potestatem habent abbates. *Sed et praeceptum Domini in adversis et injuriis per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam praebent et aliam, et auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati miliarium vadunt et duo.* Quia vult Dominus, animum christiani paratum esse ad sustinenda mala, ideo dixit: *Qui te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe ei et alteram;* neque enim convenit christiano, qui alteram vitam credit

et futurum judicium exspectat, ut ultor sui existat, maxime cum Dominus dicat: *Mihi vindictam, et ego retribuam. Mihi vindictam,* subaudiendum est: relinquite; *et ego retribuam,* et hic subaudiendum est: bonis bona, malis mala, quia utriusque retributor est Deus, i. e. bonorum et malorum; bonis enim retribuit remunerationem aeternae felicitatis, malis vero meritum, quo digni sunt. Verumtamen non ea intentione debet dimittere Deo, ut Deus pro se illum puniat; longe est enim ista intentio a Dei intentione. Domini intentio est, ideo tolerare malos, ut convertantur et corrigantur; istius intentio est idcirco Deo dimittere, ut ultor Deus existat, ut quia se ulcisci non potest, Deus, cui illum dimittit, quia potens est, pro se ipsum puniat; si enim malum est, prius malum inferre, utique neque bonum est, vicem reddere. In hoc enim comprobatur esse malus ille, qui vicem reddit, quia imitator mali existit; jam si malum imitaris, malus es, quia omnis, qui malum imitatur, malus est. Unde Paulus dicit: *Noli vinci a malo.* Ille enim vincitur a malo, qui vicem reddit, et ille vincit malum, qui vicem non reddit versa vice. Homines enim tunc se putant esse victores, quando vicem reddunt, et tunc se putant esse victos, quando vicem non reddunt. In Christi enim militia non est ita, sed tunc sunt milites Christi victores, cum laesi vicem non reddunt. Quid est enim: *Si quis te percusserit in maxillam tuam, praebe illi et alteram,* nisi ut ita habeas praeparatum et voluntarium animum ad sufferendum, ut ille, qui te percusserit, si voluerit te percutere iterum, tu bono et patienti animo malitiam ipsius sufferas; nutriendus est enim animus christiani et docendus, tempore pacis mala proximorum sufferre patienter, ut tempore persecutionis possit pro Christo animam in mortem dare. Si enim tempore pacis non didicerit, mala proximorum sibi illata patienter sufferre, tempore persecutionis non poterit dare animam pro Christo in mortem. Et quoniam Dominus vult paratum esse animum Christiani non solum ad sustinenda mala proximorum, verum etiam ad damna rerum patienter toleranda, idcirco subjunxit: *et ei, qui*

tecum voluerit judicio contendere et tunicam tollere, remitte ei et pallium, ostendens, quantum sit fugienda omnis lis et altercatio, quia sicut per maxillam designatur omnis injuria, ita per tunicam omnis lis et altercatio ostenditur. Verbi gratia, si quis adversator et probator patientiae sive impatientiae nostrae voluerit a nobis aliquid nostrum tollere et de nostro jure in suum jus transferre, nos non solum debemus illi relinquere ea, quae ille improbe petit, sed etiam illa, quae ipse non petierat, dimittere; judicio enim contendere est: per judicium velle auferre. Dicit enim Augustinus: *Judicio contendere est*,[1]) *quia, quod per judicium aufertur, non ea vi putatur auferri, cui vindicta debeatur.* Nutriendus est animus christiani, tempore pacis patienter damna rerum sibi illata aequanimiter tolerare, ut tempore persecutionis valeat omnia mundi pro Christo despicere; et si tempore pacis non toleraverit patienter parva damna rerum temporalium, tempore persecutionis non poterit pro Christo omnia mundi contemnere.

Sequitur: *et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo.* Sunt enim quidam, qui ita intelligunt: Vade cum eo aliud, ut sint duo: alii autem ita intelligunt: Vade cum eo alia duo, ut sint tria.[2]) Quia enim Dominus opus Christiani non vult esse necessarium et coactum, sed devotum et spontaneum, ideo subjunxit: *et quicunque angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo,* ac si diceret: Si coacte et invite aliquid fecisti, debes illud, quod invite fecisti, spontaneo animo et devoto postea operari, quod magis ad praeparationem mentis quam ad ostentationem operis attinet. Si enim gratum est Deo nostrum opus, quod patienter agimus, gratissimum est etiam illud, quod nostra perficimus devotissima voluntate, quia, sicut per maxillam omnis injuria, et per tunicam omnis

[1]) S. Augustinus ita scripsit: *Ideo forte additum est: qui voluerit tecum judicio contendere, quia, quod per judicium etc.* de serm. Dom. in monte lib. 1. n. 66. (Migne tom. 34. col. 1263.)

[2]) cf. S. Augustinus de sermone Domini in monte lib. 1. n. 58—62.

ablatio ostenditur, ita etiam per angariationem miliarii omne opus coactum designatur. Ternarius enim numerus pro perfectione ponitur in scripturis divinis propter honorem sanctae et individuae Trinitatis, seu et propter caetera, quae in ternario numero in divinis libris inveniuntur consistere, sicut illud, ubi dicitur: fides, spes et caritas. Quia Dominus volens perfectionem praeparationis mentis manifestare, idcirco tria exempla posuit, unde ad cumulum ejusdem perfectionis praeparationis perveniri possit. In tertio etiam exemplo tria posuit; in multis enim exemplaribus latinis non invenitur dextera, sed tantum maxilla, in exemplaribus autem graecis, quibus major fides accommodanda est, dextera invenitur.[1]) Nunc autem videndum est, quid Dominus voluerit spiritaliter significare hoc, quod dicit: Si quis te percusserit in dextera maxilla, praebe illi et alteram. Et est sensus: verbi gratia si sumseris sententiam ex divinis libris et ibi percussus fueris ab haeretico, debes alteram sententiam illi opponere, quam non possit superare, sed magis ab illa convincatur. Dominus enim in tantum vult nos esse doctos, ut tamdiu possimus haeretico sententiam de scripturis divinis opponere, quousque ille convincatur. Sive alio sensu: utsi quis te percusserit in dextera maxilla, praebe illi et alteram. i. e. si plagas exteriori homini, h. e. corpori tuo quibuslibet[2]) intulerit, debet interior homo, i. e. animus tuus praeparatus esse ad illi ignoscendum. Item alius sensus: si quis te percusserit in dextera maxilla et reliqua, quem sensum Augustinus nobilitatem, quae secundum Deum et quae secundum saeculum est, exponit, quae latius in inferioribus exponemus.

Sequitur: *et ei, qui tunicam tuam vult tollere, remitte ei et pallium*, i. e. si praedicator vel doctor tuus quaesierit a te confessionem peccatorum tuorum, quae in te intrinsecus latent, tu [autem] non solum illa occultiora peccata illi confitere, verum etiam et ea, quae extrinsecus opere

[1]) cf. S. August. de serm. Dom. in monte lib. 1. n. 58.
[2]) quilibet (?).

patrasti, illi manifesta. Alter vero sensus est: si quis tunicam tuam voluerit tollere, et reliqua; verbi gratia si quis voluerit animam tuam pro Christo tollere, tu [vero] remitte illi et pallium, i. e. non solum trade illi hanc vitam, quae in hoc sensu potius per animam intelligitur, verum etiam corpus tuum ad occidendum pro Christo illi tribue.

Sequitur: *et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo;* verbi gratia si quislibet infidelis, vel qui necdum ad scientiam pervenit, coeperit tecum iter carpere in aliquo libro scripturarum divinarum, et ille mentionem unius personae, i. e. Patris tibi fecerit. debes illum ducere tamdiu per campum divinarum scripturarum, donec illi insinues proprietatem Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut fiat totius sanctae et individuae Trinitatis cognitio, in qua omnis spes et salvatio nostra consistit. Quia diximus superius, per maxillam dexteram nobilitatem Dei, et per sinistram nobilitatem seculi designari, investigandum est. qualiter nobilitas Dei sive saeculi spiritaliter significetur.[1]) Quid est enim maxilla, nisi facies? Quia enim non potest dici *facies dextera vel sinistra*, ideo translative pro facie, quam voluit intelligi, maxillam dexteram vel sinistram Dominus posuit; per faciem enim cognitio intelligitur, quia ideo dicta est facies quasi effigies, eo quod ibi homo figuratur, i. e. cognoscitur, et per cognitionem nobilitas intelligitur, qua noscitur. Et quia per faciem cognitio intelligitur, manifestat Paulus, cum dicit: *Toleratis enim, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* Caedere enim in faciem est contemni vel despici. Et quia in faciem caedere despici, contemni intelligitur, ostendit idem Paulus, cum subjungit: *secundum ignobilitatem dico;* quod quidem non ideo dicit apostolus, ut illos non sustinerent. sed ut se magis. qui eos sic diligeret, ut se ipsum vellet pro eis impendi. Sed quoniam facies non potest dici, sicut diximus, dextera et sinistra, et tamen nobilitas et secundum Deum

[1]) cf. S. Aug loco cit

et secundum hoc saeculum potest esse, investigandum est, quae sit nobilitas Dei et nobilitas saeculi.[1]) Nobilitas secundum Deum est fides christiana aut aliquid, quod ad religionem pertinet divinam; nobilitas saeculi est aliquis honor vel officium saeculare, v. gr. utsi quis in te persequitur Christum vel fidem tuam, tu debes ostendere honorem saeculi, quem habes, et sicut in te persequitur Christum vel fidem tuam aut religionem sanctitatis forte, quam habes, quae intelligitur per nobilitatem Dei, tu debes illi praebere honorem vel officium saeculare, quod intelligitur per nobilitatem saeculi, ut, sicut in te contemnitur Christus, ita etiam nobilitas tua saecularis despiciatur, sicut Paulus legitur fecisse. Cum enim torqueretur, *civis romanus sum*, dixit. Ille enim, cum vidit, in se persequi Christum, ostendit etiam dignitatem saeculi, ut sicut in se despiciebatur Christus, ita et saecularis suus honor, qui per civem romanum intelligitur, despiceretur. Non enim natione sed honore civis romanus erat, eo quod captus a romanis fuerat et nutritus ab illis et ab ipsis etiam romanis Paulus honorem consecutus fuerat. Verumtamen non ea intentione quis debet pro Christo honorem suum ad contemnendum praebere, ut penitus liberetur, sed ut, si ad tempus liberatur pro salute aliorum, tamen paratus sit semper mori pro Christo, sicut etiam ipse Paulus fecit, qui, si ad tempus liberatus est causa salutis aliorum, tamen pro Christo mortem subiit. Nam poterat tunc dicere Paulus: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Quod si secundum literam velis intelligere, i. e. ad ostentationem operis, et non secundum spiritalem intelligentiam, i. e. ad praeparationem mentis, videtur Paulus apostolus hujus praecepti praevaricator existere, qui tempore persecutionis suae non videtur hoc Domini praeceptum implevisse. Ita enim legitur:[2]) *Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os Pauli. Tunc Paulus ad eum dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate: Et tu sedens judicas me secundum*

[1]) S. August. loc. cit. [2]) Act. apost. c. 23.

legem, et contra legem jubes me percuti? Et qui astabant dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum; scriptum est enim: Principem populi tui ne maledicas. Ecce enim non solum non implevit, verum etiam verba maledictionis videtur intulisse. Sed Paulus plenissime noverat, quod hoc Dominus non ad demonstrationem operis sed ad praeparationem mentis praeceperit. Idcirco non in ostentationem operis sed in praeparationem mentis implevit, quia non solam alteram maxillam praebuit, verum etiam totum corpus suum pro Christo in mortem tradidit. Nam qui majora legitur implesse, constat et minora cum majoribus implere.[1]) Et quid mirum, si Paulus hoc non secundum literam implevit, cum etiam ipse Dominus, qui hoc jusserit, in ostentatione operis minime implevit, de quo legitur: *quae coepit ipse Jesus facere et docere.* Sic enim habes: *Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens: Sic respondes principi? Respondit Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* Ecce non solum non praebuit alteram maxillam Dominus, verum etiam verba rationis intulit, qua non debuisset percuti. Et quamquam Dominus hoc secundum literam non impleverit, tamen secundum praeparationem mentis implevit, qui pro totius humani generis salute manibus impiorum corpus suum ad flagellandum et crucifigendum tradere dignatus est. Quia enim omnia implevit, istud parvissimum excipi non potest. Apparet manifeste, quia non ad ostentationem operis Dominus hoc jusserit implendi,[2]) cum nec Dominus nec Paulus nec ullus sanctorum secundum literam legitur implesse, quod Dominus et Paulus et omnes sancti inveniuntur secundum praeparationem cordis perfecisse. Nunc suboritur quaestio, cur Paulus, sicut superius diximus, videtur maledixisse? Dicit enim principi Ananiae: *Percutiet te Deus, paries dealbate!* cum ipse nobis praeceperit: *Benedicite persequentibus vos;*

[1]) cf. S. August. loco cit. [2]) implendum (?), impleri (?).

benedicite et nolite maledicere. Videtur enim sibimetipsi Paulus contrarius esse, cum aliis [enim] praecipit, non maledicere, et ipse maledictionis verba intorsisse suis persecutoribus videtur. Sed tamen si sobrie considerentur haec verba, magis [enim] prophetia in illis quam maledictio intelligitur; hoc enim genus locutionis saepissime in scripturis divinis reperitur, maxime in psalmis et prophetis. Sancti enim, cum haec verba proferunt, non maledicentis voto dicunt, sed pleni spiritu prophetiae cognoscentes, futurum interitum illorum immutabilem esse, illum praenuntiant et praedicunt, esse quandoque venturum. Non enim optant, ut veniat illis, quibus loquuntur malum, sed pronuntiant, quia veniet super illos malum. Etiam ipsa litera hoc, quod Paulus maledicere videtur, non sinit maledictum esse, sed prophetiam, quia non optativo modo protulit, sed indicativo; ita enim habes: *Percutiet te Deus, paries dealbate*: non enim dicit *percutiat.* Iterum etiam ipsa verba subsequentia indicant, Paulum non maledixisse. Ait enim: *Nescivi fratres, quia princeps est sacerdotum; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Ubi ostenditur, quia non maledicentis animo dixerit. Quodsi maledicentis animo dixisset, non talia verba tranquilla, sed plena ira diceret. Similiter etiam Alexandro videtur maledicere; ait enim: *Alexander aerarius multa mala fecit mihi; reddet illi Dominus secundum opera sua.* Similiter etiam in hoc loco non optativo modo *reddat*, sed indicativo modo dixit *reddet.* Hic suboritur alia quaestio: Cur Paulus astantibus dixit de Anania: *Nescivi fratres, quia princeps est sacerdotum*; *scriptum est: Principem populi tui non maledices,* cum antea ipsi Ananiae dixerat: *Percutiet te Dominus, paries dealbate! Tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti?* Videtur mentiri. Ac si diceret: Non istum scio principem, sed illum unum scio principem omnium, quem in me persequimini, Christum; nam istum non scio principem, qui afforis[1]) videtur tenere locum judicis, intus est plenus iniqui-

[1]) a foris.

tate et malitia. Unde etiam illi digne Paulus dixit: *Percutiet de Dominus, paries dealbate!* paries enim dealbatus intus est luteus, foris autem candidus, ac si diceret: sicut parietem dealbatum te cognosco, h. e. sicut diximus, quamquam te foris videam locum judicii tenere, intus tamen plenum iniquitate cerno. His autem verbis non excluduntur ecclesiasticae disciplinae, quia magistri ecclesiarum, etsi flagella suis subditis inferunt, non causa invidiae vel odii faciunt; et hoc quia ita est, in patribus possumus cognoscere. Patres enim cum filios suos flagellant, quos per aetates odire non possunt, non causa odii, sed salutis illorum eos flagellant; nam si viderint, quoslibet velle occidere suos filios, parati sunt, pro suis filiis, quos flagellant, mori. Et sicut non periculosum hoc esse in patribus scimus, hoc etiam in magistris non periculosum esse cognoscimus, quia illi, sicut diximus, non odii causa aut etiam sui causa ulciscendi cupiditatem, sed causa salutis illorum facere student; nam pro illis non solum tanta, verum etiam plura et majora parati sunt sustinere. Hi tamen haec possunt exercere absque periculo, qui omne odium et omnem invidiam a cordibus suis expellunt, et tunc, cum ita fecerint, inveniuntur imitatores divinae aequitatis, qui ait: *Ego, quos amo, arguo et castigo.* Et iterum: *Castigat Deus omnem filium, quem recipit.* Et iterum: *Servus, qui non cognoverit voluntatem domini sui et fecerit digna plagis, vapulabit paucis; et servus, qui cognoverit voluntatem domini sui et fecerit digna plagis, vapulabit multis.*[1]) Et quid mirum, si sancti flagella ingerunt, cum etiam legantur mortem intulisse in libris maxime veteris Testamenti, sicuti Elias, qui trecentos viros manibus suis occidit et centum igne occidit cum principibus suis . . . cum principibus suis, et Moyses, et Phinees et Matathias et caeteri sancti leguntur mortem intulisse: et in novo Testamento Petrus et Paulus invenitur similiter fecisse. Mors enim est separatio animae a corpore sive migratio de hoc saeculo praesente ad

[1]) Lucas (XII. 47. 48): *et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

futurum. Mors autem per se nec bona est nec mala, sed propter adjacentes alias res dicitur aut bona aut mala esse. Mala enim dicitur esse, sicut est illud: *Mors peccatorum pessima;* bona autem dicitur, sicut est illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Sancti enim pro duobus modis mortem inferunt malis. Primo modo, quia cognoscunt, malos augere vivendo peccata, ideo mortis sententiam in illos inferunt, ut, qui nolunt recedere vivendo a peccatis, saltem per mortem desistant peccare, ne si auxerint vivendo peccata, augeant sibi tormenta perpetua. Altero vero modo inferunt mortem sancti, quia cognoscunt, malos mortem timere, et ob hoc morte condemnant alios, ut viventes, cum vident alios morte esse condemnatos, timore mortis perterriti desistant peccare. Si enim sancti, qui in veteri testamento mortem intulerunt malis, non reprehenduntur, sed magis laudantur, cur apostoli, qui non recepti sunt a civitate, reprehenduntur a Domino, cum peterent ignem de coelo? Legitur enim: *Misit nuntios ante conspectum suum, et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis Jerusalem. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de coelo et consumat illos?* Et conversus increpavit illos et dixit: Nescitis, cujus spiritus estis; filius hominis non venit, animas perdere, sed salvare. Vel quid est, quod non petras vel aliud quid elementi petierunt, sed ignem? Idcirco ignem petierant, quia cognoverant, Eliam igne centum cum principibus suis occidisse. Sed quamvis opera illius cognoverant, tamen intentionem ipsius, qua hoc fecisset, nescierant. Dominus enim idcirco eos reprehendit, quia non ea intentione ipsi petierant, qua Elias petiit; Elias enim zelo Dei hoc fecerat, apostoli autem non zelo Dei, sed causa ulciscendi, quia non recepti erant. Sed tamen apostoli nescientes intentionem Eliae, ideo istud petebant, quia, quamvis Spiritum Sanctum acceperant, tamen ejusdem Spiritus Sancti virtute non erant referti. Decimo vero die post ascensionem Domini acceperunt plenitudinem Spiritus Sancti

et cognoverunt intentionem Heliae et caeterorum sanctorum, qua intentione mortem malis intulissent. Coeperunt etiam simili modo postea mortem malis inferre, sicuti legitur Petrus fecisse Ananiae et Saphirae, uxori ejus, quos propter fraudem pretii, quod defraudaverat[1]), morte condemnavit. Paulus autem secundum quorundam sensum de quodam incestore dicit: *Tradite (tradere) hujusmodi hominem angelo Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini nostri Jesu Christi.*[2]) Omnis enim laesio, qua iterum laeditur quis, aut minor est priore aut aequalis aut major. Per hoc, quod jubetur, percutienti dexteram maxillam praebere sinistram, intelligitur illa laesio, quae minor est, quia dextera maxilla carior habetur, quam sinistra. Et per hoc, quod jubetur, auferenti tunicam dimittere pallium, illa percussio intelligitur, quae aequalis est, quia pallium aequali quantitate est cum tunica; quodsi pallium tunicam praecellat, tamen parum praecellit. Item per angariationem unius milliarii, in qua praecipitur ire duo, intelligitur illa percussio, quae major est. Per percussionem dexterae intelligitur omnis injuria, quae injuste fit; per ablationem autem tunicae intelligitur omnis ablatio, quae ingeniose et callide efficitur. Item per angariationem milliarii intelligitur omnis operatio, quae injuste jubetur. Item omne genus laesionis aut non restituitur aut restituitur aut ex utroque conficitur, i. e. et potest restitui, et non potest restitui. Per percussionem dexterae intelligitur illa laesio, quae restitui non potest; nam quamquam propter satisfactionem furoris repercutiat ille, qui percussus est, tamen ab illo percussio sibi illata non aufertur. Item per praebitionem pallii intelligitur illa laesio, quae restitui potest, verbi gratia si auferatur equus aut possessio aut domus aut aliquid possessionis, potest reddi. Item per angariationem milliarii intelligitur illud genus laesionis, quae restitui potest et non potest, v. gr. si aliquod opus alicui injuste injungitur faciendi.[3])

[1]) defraudaverant?

[2]) epist. 1 ad Cor. V. 5.

[3]) facere (?), faciendum (?).

potest ille, cui injunctum est, si velit, ut illud opus, quod ipse alii fecit, sibi operetur; vel si ita noluerit, potest aliquid pro eodem opere recipere. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet, patientissimum et misericordissimum et ad plura perferenda paratissimum animum christiani esse debere. In hoc vero loco, ubi dicitur: *angariati milliario vadunt alia duo*, ista debet esse discretio: cum enim mitteris foras in obedientia et forte inveneris aliquem in ipsa obedientia, et dixerit tibi, ut dimittas obedientiam tuam et eas cum illo, tu [autem] habe voluntatem, cum illo ire, [et] tamen non debes ire pro obedientia abbatis. Si autem compulerit, ut eas, tunc debes ire.

Sequitur: *cum Paulo apostolo falsos fratres sustinent et persecutiones, et maledicentes se benedicunt.* Si enim Paulus apostolus falsos fratres et persecutiones sustinuit, qui dilectus Deo fuit et praedicator gentium, quanto magis tu debes sustinere falsos fratres et persecutiones, et maledicentes te benedicere? *Milliarium* enim mille passibus terminatur et dictum milliarium, quasi *mille adium*, habens pedum quinque millia;[1]) nam passus quinque pedes habet.

DE QUINTO GRADU HUMILITATIS.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes malas cogitationes cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati non celaverit suo. Aptum enim et congruum ordinem tenuit B. Benedictus et in hoc loco, cum dicit, quintum gradum esse, peccatorum et cogitationum confessionem esse faciendam, quia dixerat rem grandem atque valde arduam in eo, quod prius dixerat, primum gradum esse, si timorem Dei et reliqua habuerit monachus, eo quod iste timor servilis trahit hominem ad monasterium, quia cum homo timet poenam perpetuam, venit ad monasterium: ista sana est conversio. Nam sunt multi, qui non causa timoris poenae,[2]) sed causa

[1]) S. Isidor. etymolog. lib. 15. cap. 16. n. 2.
[2]) perpetuae (?).

necessitatis victus aut potus vel timoris[1]) veniunt ad monasterium, et quamvis istorum conversio non est sana, i. e. recta, [sed] tamen quandoque miserante Domino fit recta, i. e. incipit a timore et vadit per hos gradus usque ad dilectionem. Et iterum sunt alii, qui non causa timoris poenae perpetuae aut necessitatis aut alicujus rei, sed solius dilectionis Dei,[2]) quia, sicuti in seculo sunt boni, ita pro amore Dei veniunt ad monasterium. Deinde post timorem subjunxit abrenuntiationem propriarum voluntatum, et postmodum inde subjunxit obedientiam et ipsam obedientiam grandem rem et arduam dixit, cum dicit *duris et contrariis rebus*, et reliqua. Ideo subjunxit istum quintum gradum humilitatis, ubi de confessione dicit, ut, si aliquid propter magnitudinem rei, quam dixit, excessus fuisset,[3]) in hoc gradu confiteretur, quasi diceret S. Benedictus: quia rem magnam et arduam dixi, ideo dico nunc de confessione, ut, quod in magnis aut arduis constitutus murmurando aut negligenter agendo excessit, confessione sanetur. Nunc videndum est, quare cum dixit *malas*, non dixit etiam *bonas?* Ideo non dicit *bonas*, quia difficile videtur, si de bonis dixisset, eo quod sunt multi monachi, qui valde sunt solliciti erga servitutem Dei et erga studium spiritale et erga bonas cogitationes, ut, in quantum humana fragilitas sinit, paene omnes cogitationes suas bonas habeant. Deinde, sicut dixi de istis talibus, qui solliciti sunt erga bonas cogitationes, ut omnes cogitationes bonas comprehenderent et eas spiritali patri nuntiarent, altero modo ideo non dixit *omnes bonas*, quia sunt multi, qui adeo sunt in contemplatione Dei positi et tam bonas cogitationes vident, quas nullomodo possunt verbis explicare, quia, sicut dixi, quamquam vestigia videant, tamen non possunt narrare. Iterum videndum est, quare cum dixit *malas cogitationes*, praemisit *omnes?* Impossibile videtur. Non est impossi-

[1]) temporalis (?).
[2]) scil. veniunt ad monasterium.
[3]) excessisset (?).

bile, quia superius reddidit sollicitum B. Benedictus monachum, ut non reciperet malas cogitationes, ubi dixit: *Nam ut sollicitus sit erga cogitationes suas perversas, dicat semper utilis frater in corde suo: tunc immaculatus ero* et reliq. Bene dixit, ut non recipiat cogitationes malas, quia, cum in deliberationem non exeunt malae cogitationes, tunc non recipiuntur. Non credidit, ullum monachum adeo recepisse malas cogitationes, ut eas numerare non potuisset. Altero modo ideo praemisit *omnes*, quia non de omnibus cogitationibus dixit, quae vadunt et veniunt, sed de illis dixit, quae in corde consistunt et habitant, et propterea dixit *cordi suo advenientes.* Sed iste secundus sensus nobilior est primo. Nunc autem summopere pensandum est, qualiter intelligendum sit hoc, quod hic dicit: *omnes cogitationes suas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati non celaverit suo*, et in inferiori capitulo dicit: *Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritalibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua et aliena vulnera non detegere et publicare.* Valde videtur sibi contrarius in eo, quod hic dicit *abbati*, et inferius dicit *abbati et senioribus spiritalibus.* Sunt alii, qui intelligunt, quia cogitationes malas possit monachus aut abbati aut senioribus spiritalibus patefacere, prout vult, opus autem malum a se absconse commissum solummodo abbati debeat confiteri. Et sunt alii, qui dicunt: Non est verum, quia in inferiori capitulo dicit: aut abbati aut senioribus spiritalibus tam cogitationes quam opera. Deinde respondent isti, qui dicunt, ut opus solummodo abbati confiteatur quis: Non est verum, quia in illo capitulo inferiore solummodo de cogitationibus dicit et non de opere, sicut et vos dicitis. Et iterum respondent illi: Si illic solummodo de cogitationibus sit intelligendum, quare ei[1]) dixit in isto quinto gradu cogitationes? Deinde respondent illi: Non est contrarium, quia istae cogitationes et causa latens peccati in unum congruunt, eo quod mos est

[1]) et?

ss. scripturarum, latentem causam pro cogitationibus ponere. V. gr. porrexisti aut dedisti alicui non habens licentiam dandi aliquid, sine licentia absconse: quid agendum est tibi pro hac negligentia? Tu respondes mihi: Confiteor hoc aut abbati aut spiritali fratri. Quare? quia B. Benedictus dicit inferius: *Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut senioribus spiritalibus patefaciat.* Dico tibi: Non dicit tibi B. Benedictus de opere commisso, sed de cogitationibus, quia de operibus commissis et absconsis in isto quinto gradu dicitur; ait enim: *Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes* et reliqua. Respondet:[1]) Bene dixi, quia in inferiori capitulo de cogitatione et de opere dicit; nam si solummodo ibi de cogitationibus causa latens est intelligendum, quare hic in isto quinto similiter de cogitationibus etiam dicit? Respondit:[2]) Bene B. Benedictus de cogitationibus in isto quinto gradu dicit, quia cogitatio est peccatum latens secundum morem scripturae divinae; mos est enim scripturae divinae, de peccato, quod in cogitationibus fit, *latens peccatum* dicere. Tres quippe mortuos Dominus suscitavit, filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem, resuscitavit juvenem, filium viduae, extra portam elatum, resuscitavit Lazarum quadriduanum. Intueatur quisquam animam suam: si peccat, moritur, peccatum enim mors animae est. Per filiam autem archisynagogi intelligitur illud peccatum, quod in cogitatione fit, de qua cogitatione in isto quinto gradu et in inferiori capitulo.[3]) ubi dicitur *si causa latens peccati*, unum significans. Per illum vero mortuum, qui est elatus extra portam, significat peccatum perpetratum in opere, sed absconse commissum, unde in hoc quinto gradu dicitur *vel mala a se absconse commissa.* Et per Lazarum in monumento significat illud peccatum publice commissum, de quo dicitur: *is autem frater, qui gravioris culpae noxa tenetur* et reliqua. Nunc videndum est, quare, cum dicit

[1]) Respondes (?).
[2]) respondeo (?).
[3]) scil. dicitur.

confessionem, praemisit *humilem?* videlicet pro duobus modis; uno enim modo dixit *humilem*, quia vult, ut ita sordide debeat illas nuntiare et manifestare abbati, sicut cogitavit; nam sunt multi, qui causa suae turpitudinis nolunt illas cogitationes ita sordide manifestare abbati, sed palliant illas verbis et cooperiunt et dicunt: ideo haec fecimus, ne ille[1]) prior vereatur audire. Isti tales nesciunt recognoscere suam turpitudinem et mittunt in illum priorem, ne videantur ei turpia dicere. Et iterum sunt alii, qui, sicut cogitant sordide, ita illas sordide dicunt abbati, et tamen optant, ut ille abbas non intelligat, quia ideo dicunt, non ut ille credat eos tales cogitationes cogitare, sed causa humilitatis putet illos dicere. Isti tales et illi superiores non per humilem confessionem confitentur peccata sua. cum isto modo confitentur. Item sunt alii, qui sicut sordide cogitant, ita sordide manifestant abbati suo et ita volunt, ut abbas intelligat, sicut ipsi manifestant sordide; isti sunt perfecti. Item sunt alii, qui sicut sordide cogitant, ita sordide manifestant et volunt etiam plus dicere, quam possunt, eo quod tales cogitationes malae aliquando ita sordidae veniunt, quae verbis explicari non possunt, et volunt etiam, ut non solum intelligat ita abbas, sicuti manifestant, verum etiam volunt, ut plus intelligat; isti tales plus sunt quam perfecti. Item altero modo humilis confessio est, quae cum lacrimis aut suspiriis fit.

Sequitur: *Hortat nos de hac re scriptura divina dicens: Revela Domino viam tuam et spera in eo.* Quia voluit B. Benedictus, ut credatur illi de confessione priori suo facienda, ideo haec exempla subjungere studuit. Nunc videndum est, quare propheta dixit *Revela Domino viam tuam*, cum Domino omnia nuda et aperta sint? Non ideo dixit *Revela viam tuam*, i. e. actionem et cogitationem, ut ille per tuam revelationem cognoscat, cum scriptum est, sicut superius dictum est de illo: *scrutans corda et renes Deus*, sed ideo dicit *Revela Domino viam tuam*, i. e.

[1]) illa. Cod. Mellicen..

poenitentiam actuum vel cogitationum tuarum Domino manifesta, hoc est, emendationem peccatorum tuorum Domino revela, i. e. coram Domino praeterita plange et lugenda non committas. *Revela*, i. e. demonstra aut aperi, quasi diceret: ut sicut ille cognovit peccatum tuum, ita etiam cognoscat per poenitentiam emendationem tuam.

Sequitur: *et spera in eo.* Quid est: *spera in eo?* Subaudiendum est: misericordiam de peccatis tuis, quae confiteris; noli desperare confiteri, sed spera de remissione peccatorum tuorum in Domino. Propheta autem subsequitur dicens: *et ipse faciet*, — subaudiendum est: misericordiam tibi de peccatis tuis.

Sequitur: *Et item dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.* Nosse enim debemus, quia *confitemini* aequivocum est, i. e. et in laude et pro confessione peccatorum ponitur. Pro laude. ut est illud: *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae* et reliqua. Hic *confiteor* pro laude ponitur, ac si diceret: laudo te, Pater, Domine coeli et terrae. Pro confessione vero peccatorum ponitur, sicuti est illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ponitur etiam pro credulitate, ut est illud: *Confiteor unum baptisma;* et Paulus dicit: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* In hoc enim loco pro confessione peccatorum ponitur, quasi interrogasset prophetam dicens: Quare debeo confiteri? Ille autem respondens dicit: *quoniam bonus.* Iterum quasi interrogasses illum: Quomodo est bonus? Ille autem respondens dicit: *quoniam in saeculum misericordia ejus.* Saeculum quod nominat, de praesenti saeculo dicit, quia in praesenti saeculo misericordia ejus; in futuro vero tantum judicium. sicut alibi ipse propheta dicit: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine.*

Sequitur: *Et item propheta ait: Delictum meum cognitum tibi feci et injustitias meas non operui. Delictum* et *injustitias* pro uno ponitur. *Non operui.* i. e. non abscondi, non celavi: nam ille abscondit peccatum, qui nec peccatum suum punit, nec vult, ut Deus puniat illud.

Sequitur: *Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et Tu remisisti impietatem cordis mei.* Quid est *dixi?* i. e. statui, deliberavi. Quid est *pronuntiabo?* i. e. annuntiabo vel manifestabo; *adversum me*, h. e. contra me, quasi diceret: Tantae es tu Deus pietatis, ut ante dimitteres peccatum meum mihi, quam ego facerem confessionem; ego enim non adhuc feci, sed tantum statui, me facere confessionem, et Tu dimisisti peccatum meum mihi.

DE SEXTO GRADU HUMILITATIS.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, et ad omnia, quae sibi injunguntur, velut operarium malum se judicet et indignum dicens sibi cum propheta: Ad nihilum redactus sum et nescivi. Postquam B. Benedictus docuerat superius, in ipsa obedientia dura et contraria debere sustinere monachum, et non lassescat vel discedat, deinde in quinto gradu dixit, omnes cogitationes cordi suo advenientes et absconse a se malum commissum debere abbati suo confiteri, recte nunc dicit, sextum humilitatis gradum esse, si monachus contentus est omni vilitate et extremitate, quia adeo est ille mortificatus, si in ipsa obedientia dura et contraria sustinet et *non lassescat vel discedat*, et si omnes cogitationes suas vel mala sua opera a se absconse commissa abbati suo confitetur, ut possit Domino juvante omni vilitate et extremitate esse contentus; nam nequaquam poterit omni vilitate vel extremitate esse contentus, nisi prius non erubuerit peccata sua confiteri. Nunc videndum est, quid sit vilitas vel extremitas. Vilitas attinet ad cibum vel potum et vestitum, calciamentum, ad lectum vel etiam ad habitationem; istud enim *vel*, quod interposuit inter *vilitatem et extremitatem*, simpliciter pro *et* ponitur. Ideo dixit *omni*, ut non solum in uno loco sit extremus, hoc est ultimus, sed in omni loco, hoc est in choro standum,[1]) in capitulo, in refectorio et in ceteris aliis locis. Possunt etiam multi viles

[1]) stans (?).

esse et non extremi. Item possunt esse extremi et non viles, v. gr. possunt quidem viles esse cibo, potu et vestimento contenti, sed tamen honorati volunt esse in ordine. Isti tales non sunt perfecte mortificati. Et iterum possunt alii esse extremi, sed non possunt esse viles; isti tales non sunt perfecte mortificati; v. gr. si abbas jusserit praeposito, ut sedeat in ultimo loco, et ille cum tristitia ierit, praevaricator hujus praecepti est, et quia praevaricator hujus praecepti est, perfectus monachus non est. Et bene dixit: *omni* vilitate vel extremitate, quia animum comprehendit et corpus, i. e. sicut in corpore existit vilis vel extremus, ita debet esse et in mente. Nam si in corpore videtur vilis et extremus et non in mente, jam non est monachus, sed hypocrita.

Sequitur: *et ad omnia, quae sibi injunguntur, velut operarium malum se judicet et indignum.* Vide modo, non dixit *quaedam*, sed *omnia.* In hoc loco, cum dixit *omnia*, non excludit aliquid, sed in omnibus obedientiis, hoc est tam honestis quam vilissimis, tam maximis quam minimis: etiamsi secessum jubeatur mundare aut aliquid rustice operari, ita se debet aestimare, sicut ille, qui a furca redimitur vel a periculo mortis. Cum aliquid imperatur a domino suo, qui eum redemit, non audet dicere suo domino, se nolle, si aliqua vilissima opera imperat agere, obaudire: ita non debet monachus abbati suo dicere: quia nolo, vel: non debeo hoc agere, cum aliquid imperatur, etiam si vilissimum opus sit, quod exercere imperatur, sed velut indignum se debet aestimare ad talem obedientiam agendam, i. e. non esse dignum tali obedientia, sed pejore et viliore.

Sequitur: *dicens sibi cum propheta: Ad nihilum reductus sum et nescivi.* Et cum dicit *dicens sibi*, subaudiendum est: suo cordi, h. e. illi cogitationi, quae surgit in corde suo: non debes talem obedientiam exercere, quia valde vilis est et rustica haec obedientia: meliorem enim obedientiam debes tu agere. Haec autem vox, qua dicitur: *ad nihilum reductus sum*, non solum ad monachos, sed etiam ad omnes homines attinet, quia homo, postquam expulsus

est de paradiso et missus in hoc exilium, ad nihilum redactus est; non enim dico, ad nihilum redactum esse per substantiam, sed quia bonum perdidit, quo in paradiso fruebatur cum angelis, quasi ad nihilum redactus est, et ideo, cum aliquid boni agit, debet ad memoriam revocare bonum, quod merito suo in paradiso perdidit, et malum, quod justo judicio Dei in hoc exilio invenit, dicens sibi cum propheta: *Ad nihilum redactus sum et nescivi*, h. e. tibi Deus meus gratias ago, quia hoc bonum, quod ago, non meo merito, sed tuo dono atque misericordia facio; *nescivi* enim cum dicit, subaudiendum est: precari vel rogare, ut ad hoc bonum faciendum pervenirem. Ad monachos etiam attinet, sicut diximus, in eo, cum se aestimant omni vilitate vel extremitate debere esse contentos, quia pro Christi nomine susceperunt quasi ad nihilum esse redacti, ac si diceret aliis verbis, cum sibi vilissima obedientia injungitur, sicut diximus superius.

Sequitur: *ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Quis hoc dicit? Purpuratus hoc dicit, in solio sedebat, qui hoc dicit, in eminentiori loco sedebat, qui hoc dicit, rex erat, qui hoc dicit; David enim, quamquam rex erat, tamen Dei jumentum se esse aestimabat, eo quod Deum sessorem habebat, quia ad illius nutum terrena disponebat. Et bene dixit: *et ego semper tecum*, i. e. ubi Tu me ducis, tecum sum. In hoc enim loco, cum David rex se aestimabat jumentum Dei esse, cognoscitur, quia, sicut Augustinus dicit, aliquando solet esse superbia sub pediculis et sub cilicio, et econtrario humilitas sub gemmis et vestibus regiis. Bene hoc attinet ad monachos, quia jumentum, quo ducitur a suo domino, vadit et non resistit; si non dederit ei manducare, non queritur illud, et si ligaverit illud suus dominus usque ad mortem, ibi permanet: ita et monachus sicut jumentum debet esse suo abbati, sicut S. Benedictus dicit, h. e. quo illum duxerit suus abbas, non debet resistere, sed ire, et quamcumque obedientiam illi injunxerit, debet suscipere, et non debet murmurare, et ad libitum, h. e. voluntatem sui abbatis debet per omnia

agere. Deinde debet gratias agere Deo dicens: Gratias Tibi ago, Deus, quia me tuum jumentum facere dignatus es, eo quod Te habeo sessorem et rectorem et in Tua vice habeo super me abbatem, praepositum, decanum et reliquos. *Et ego semper tecum*, subaudiendum est *sum;* jumentum enim si sine rectore vadit, et in ruinam et in praecipitium vadit, ego autem si Te habuero rectorem, non vado in praecipitium. Vide modo, quanti monachi sunt in monasterio; ecce sunt centum monachi, et de his centum monachis quaere tibi, si potes, unum talem invenire, qui per omnia ad nutum abbatis sui existat et sicut jumentum vadit ad nutum sessoris sui. Et hoc animadvertendum est, quia pro omnibus, quae in istis gradibus continentur, si ille monachus non vult agere, debet constringi et regularem disciplinam suscipere propter illud, quod inferius dicit B. Benedictus: *aut si in aliquo contrarius existens sacrae regulae* etc.

DE SEPTIMO GRADU HUMILITATIS.

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se et dicens cum propheta: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Quia B. Benedictus jam superius dixerat, sextum gradum humilitatis esse, omni vilitate vel extremitate contentum debere esse monachum, recte nunc septimum humilitatis gradum esse, se omnibus inferiorem vel viliorem non solum sua lingua pronuntiare debere, sed etiam intimo cordis affectu credere debere, quia sicut in ostensione operis ostendit se vilem et extremum, ita etiam intimo affectu cordis credat, non lingua sua solummodo pronuntiet, esse inferiorem et viliorem propter Deum. *Inferiorem*, i. e. deteriorem merito suo. Bene ac vigilanter addidit in hoc loco S. Benedictus *intimo cordis affectu*, ut ne quis pro vana gloria se facere vilem et extremum velit. Nunc videndum est, quomodo possit monachus se inferiorem et viliorem omnibus credere. Difficile hoc videtur in eo, cum sunt alii monachi mortificati et perfecti, et e contrario sunt

alii mali homines, v. gr. adulteri, homicidae, fures et reliq. Quomodo ergo possunt isti boni se aestimare inferiores et viliores illis malis? Vere possunt, si ista consideraverint, i. e. judicia Dei incomprehensibilia et finem suum et illorum malorum, necnon etiam peccata latentia in se et bona latentia in malis. Judicia quippe Dei considerent, quia sunt multi, qui fuerunt mali et in fine comprobati sunt boni, sicut Paulus apostolus, et e contrario multi visi fuerunt boni et in fine inventi sunt mali, sicut Judas et ceteri alii; judicium enim Dei attinet ad finem, et hoc est terribile, cum multi videntur mali, et destinati sunt boni, et iterum multi videntur boni, qui destinati sunt ad mortem. Haec judicia admirabatur David, cum dicebat: *Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis!* ubi? *super filios hominum.* In eo, sicuti diximus: Dei judicio occulto boni designantur merito aliquo, quod non comprehendi potest, ad mortem, et mali occulto judicio Dei sua misericordia praedestinantur ad vitam. Deinde debet monachus considerare finem suum et finem illorum bonorum.[1]) ne forte videantur esse boni et in fine inveniantur mali: et ipse quidem monachus illorum malorum finem consideret. quamvis illi sint mali, forte in fine inveniuntur boni. Et iterum latentia peccata sua: forte in se sunt mala latentia, quae, quamvis sibi sint incognita, tamen Deo patent. Et iterum debet considerare bona, quae forte in illis sunt latentia, quae, quamvis sibi sint incognita, tamen Deo patent. Ista judicia Dei David dicit esse incomprehensibilia, eo quod comprehendi, i. e. intelligi, quare ista fiant, minime possunt. Istud vero, quod dicit: *Ego sum vermis, et non homo*, vox Christi est. Bene Christus vermi comparatur, i. e. assimilatur, quia, sicut vermis non nascitur de coitu, sed de sola terra, ita et Christus non natus est de coitu viri et feminae, sed de sola Beata et semper Virgine Maria. *Et non homo*, ac si dicat ipse Christus: De virgine natus sum, non de coitu, sicut homo; et non sum peccator, quia

---

[1]) Omnes codices erronee: *malorum.*

de virgine genitus sum, et non homo, i. e. sicuti homo, qui in iniquitatibus conceptus est et in peccatis natus.

Sequitur: *opprobrium hominum et abjectio plebis.* Et hoc ad Christum bene attinet, quia Christus [enim] pro salute nostra opprobrium fuit hominum et abjectio plebis. Tunc autem fuit opprobrium hominum, quando ei Judaei pro nimia despectione exspuebant in faciem; et tunc fuit abjectio plebis, quando projecerunt et abjecerunt eum Judaei dicentes: *Jesum crucifige et Barrabam nobis dimitte.* Hoc etiam bene attinet ad monachos, quod dicit: *Ego sum vermis*; in creaturis enim nulla creatura excelsior angelo, et nulla vilior et inferior vermi. Monachus enim sicuti vermem debet se semper aestimare, hoc est, sicut in creaturis rerum nihil est extremius, sicut vermis, ita et monachus omnibus hominibus se esse viliorem et inferiorem aestimare et credere debet. *Et non homo,* i. e. alicujus honoris, sicuti homo, quasi diceret: vilior et inferior omnibus sum, sicuti vermis, et non sum alicujus honoris et dignitatis, veluti homo. Opprobrium et despectionem plebis se esse credat, i. e. ita vilissimum et indignissimum, sicuti res, quae despicabilis valde est et nullis honoranda.

Sequitur: *Exaltatus sum et humiliatus et confusus.* Exaltatus in eo, quod honoratus fui in saeculo per superbiam atque jactantiam; humiliatus nunc sum, quia subditus sum abbati et aliis fratribus; et confusus sum, quia verecundor et erubesco de peccatis, quae gessi. Quod monachus debet dicere.

Sequitur: *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam mandata tua.* Ista enim vox afflictorum est et oppressorum: illi enim dicunt Deo: Gratias agimus tibi, Deus, quia cum incolumes fuimus, non discebamus mandata tua; nunc vero afflicti cognoscimus peccata nostra et discimus mandata tua. Ad monachos vero attinet in eo, quod monachi, quia sub potestate aliorum consistunt, quasi afflicti sunt et dicunt ipsi: Gratias agimus tibi Deus, quia, cum fuimus in saeculo, non cognoscebamus nec discebamus mandata tua: nunc autem in potestatem aliorum redacti et in monasterio

positi, audiendo, legendo, exempla bona videndo discimus mandata tua. In hoc loco animadvertimus, quia B. Benedictus aliquantulum recessit a sensu divinarum scripturarum et aliquantulum reversus est ad eundem sensum divinae scripturae. In eo recessit, quia afflicti, quorum ista vox est, ab aliis sunt afflicti, et quamvis pro Christi nomine sustinent illas passiones, veluti sunt martyres et caeteri afflicti, tamen non sic videntur sponte afflicti, quomodo monachi. Monachi autem sponte redacti sunt in monasterio atque missi. Et in eo loco videtur S. Benedictus concordari cum sensu divinarum scripturarum. quia, sicut afflicti martyres referunt gratias Deo, sicut jam diximus, ita et monachi referunt dicentes: Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, quia tuo instinctu et te inspirante venimus in monasterium et ibi, sicut jam diximus, discimus mandata tua.

DE OCTAVO GRADU HUMILITATIS.

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla. Hactenus B. Benedictus docuit praecepta moralitatis,[1]) quantum ad mortificationem interioris hominis, h. e. animae pertinet; nunc autem quia plus non potuit interiorem hominem insequi, h. e. constringere, vertit se ad exteriorem hominem docendum et docet illum agere, quod communis monasterii regula cohortatur, vel quod hortantur majorum exempla. Unde congruum ordinem tenuit in hoc loco, cum prius dicit de mortificatione animae et postmodum subjunxit de honesta actione corporis dicendo: *si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula* et reliqua. Nam in primo et in secundo et in tertio, et quarto, quinto, sexto atque septimo gradu interiorem hominem maxime docuit; ideo dixi, nunc exteriorem hominem in isto gradu octavo docere, quia B. Benedictus in hac regula adeo constrinxit interiorem hominem ad mortificationem, ut non possit ultra mortificari, exteriorem autem

[1]) mortalitatis Cod. Mellicens.

hominem non adeo constrinxit, eo quod in aliis regulis sanctorum Patrum plus constringitur, sicut ipse S. Benedictus dicit: *licet legamus, vinum omnino monachorum non esse.* Similiter de vestimentis et vigiliis major constrictio in illis invenitur. Deinde ut monachus nihil ad suum libitum faciat in exteriore homine, si plus aliquid velit, ad sanctorum exempla eum dirigit, quasi diceret: aut agat, quod haec regula communis monasterii docet, aut certe, si plus velit agere in suo corpore, i. e. si plus districtius velit vivere, faciat, quod majorum cohortantur exempla. Hoc etiam animadvertendum est, quia, si attentius consideras, bene, postquam dixerat, omnibus se credere debere monachum inferiorem et viliorem, [et] post subjunxit, ut nil agat, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla, quia ille, qui ita est mortificatus, ut omnibus intimo cordis affectu credat se esse inferiorem et viliorem, nullam sectam nihilque aliquid novi agit. Et in hoc, quod dicit *nihil*, nihil excludit, ut aliquid monachus ad suum libitum faciat; nam majorem vim negandi habet istud, quod dicitur: *nil agat*, quam si diceret: *non agat.* Nam istud enim *communis* genitivus casus est, respondet *monasterii*, h. e. communis monasterii. Nunc videndum est, de qua regula dicat, cum multae regulae inveniantur, quae observantur in diversis monasteriis, v. gr. Columbani, Basilii et aliorum? Non enim videtur de illorum dixisse regulis, sed de hac regula dicit, quam ipse S. Benedictus conscripsit, vel de his, quae secus se, i. e. juxta se dereliquit, et (quae) per hanc regulam possunt intelligi; nam sunt multae res, quae per hanc regulam intelliguntur, quamvis non pleniter et aperte inde regula dicat: v. gr. dicit regula de hebdomadariis coquinae: *In diebus autem solemnibus usque ad missam sustineant.* Vide modo, regula non dicit, ut in die Dominica missa cantetur, sed per hoc, quod dixit: *usque ad missam sustineant*, datur intelligi, missam praecepisse celebrari. Et hoc maxime in judiciis et vestimentis potes intelligere. In judiciis enim, cum dicit: *si quis frater contumax aut superbus aut murmurans* et reliqua. Similiter intelligendum est in

omnibus spiritalibus culpis. Nunc videndum est, quae sunt exempla majorum, quae suos auditores post adimpletionem istius regulae docet agere. Illa enim sunt exempla, de quibus in ultimo capitulo dicit, i. e. regula Basilii, collationes Patrum atque instituta monachorum, quia haec, quamvis non plus interiorem hominem, quam haec regula, sicut diximus, constringunt, tamen exteriorem hominem plus constringunt, sive etiam aliorum majorum, quorum vitam sacra scriptura manifestat. Et item subjunxit: *ut nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula* et cetera. Et ideo dixit *communis monasterii*, quia unitatem vult. Majorum exempla sanctorum Patrum sunt, de quibus superius diximus. Sed sciendum est, quia hoc, quod dicit *majorum exempla*, duobus modis intelligi potest; aut enim dixit causa humilitatis, sicut fecit de officiis; ibi enim definivit valde bene de officiis, et postea dicit: *cui forte haec distributio psalmorum displicuerit*, et reliqua; ita et in hoc loco fecit. Ille enim dixit de mortificatione interioris hominis, quod nec plus nec melius potest inveniri, sicut diximus, et tamen dicit *majorum exempla*, quia consuetudo sanctorum est, plenissime et sanissime definire causam, et tamen dicunt: si melius potest quis reperire, et hortantur ut faciat.[1]) Altero vero modo dixit *majorum exempla*, quia, quamvis valde interiorem hominem mortificare studuit, quod nullo modo plus possit, tamen exteriorem non ita constrinxit, sed concessit sua necessaria illi, quasi diceret: quod si quis Domino juvante ita fuerit mortificatus in interiore homine, sicut dixi, et voluerit exteriorem hominem suum constringere plus, quam ego, i. e. ut non bibat vinum vel non manducet coctum, quod ego concessi, tunc faciat majorum exempla. Item animadvertendum est etiam nunc, quia in hoc loco, in quo dicit B. Benedictus: *si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla*, varie a variis intelligitur. Sunt enim alii, qui dicunt, in isto octavo gradu dixisse B. Benedictum, non in

---

[1]) cf. infra cap. 18.

monasterio monachum debere agere majorum exempla, sed ad eremum ire et ibi adjuvante Domino majorum exempla peragere. Et iterum sunt alii, qui dicunt: Non est verum, eum ad eremum dixisse monachum ire et ibi peragere majorum exempla, sed in monasterio, quia primum capitulum, in quo de eremitis dicit, narrantis est, ultimum vero capitulum, in quo dicit: *Regulam autem hanc descripsimus* et reliqua, humiliantis est, et iste octavus gradus docentis est. Iterum e contrario respondent alii: Verum est, quod dicimus, quia in eremo peragere monachum dixit S. Benedictus et non in monasterio, eo quod, quamvis verum sit capitulum primum narrantis, tamen iste octavus gradus et ultimum capitulum concedentis est, non docentis, nec humiliantis est, sicut vos dicitis. Iterum e contrario respondet alia pars. Quomodo potest hoc esse verum, ut in eremum dicat S. Benedictus ire monachum, cum alibi dicat: *sciens se lege regulae constitutum, quod ei non liceat ex illa die egredi de monasterio nec collum excutere de subjugo regulae*; et iterum: *Promittat de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientiam coram Deo et Sanctis ejus*. Et iterum: *Officina vero, ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt in monasterio et stabilitas in congregatione*. Et iterum: *ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes passionibus Christi per patientiam participemur*. E contrario respondet alia pars: Nos cum ad eremum imus, non facimus contra regulam, quia auctoritas est, sicut jam diximus, in istis duobus capitulis, i. e. in octavo gradu et in ultimo capitulo; nec de monasterio egredimur, quia ad singularem pugnam properamus, cum ad eremum imus, et ista minora in illis majoribus comprehendimus, si eremiticam vitam duxerimus; et ob hoc isti melius dicunt, qui causa meliorationis intelligunt exire.

DE NONO GRADU HUMILITATIS.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendam prohibeat monachus et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, monstrante scriptura: »Quia in multiloquio non effugitur peccatum«, et: »Quia vir linguosus

non dirigetur super terram.« Quia B. Benedictus, sicut diximus, in septem gradibus docuit interiorem hominem et in octavo misit exteriorem ad communis monasterii regulam aut majorum exempla, nunc in isto nono gradu incipit docere compositionem exterioris hominis ab isto nono usque in undecimum gradum. Jam in duodecimo utrumque docet, i. e. interiorem et exteriorem, quia dicit: non solum corde sed etiam corpore. Forte dicit aliquis: Quare prius docuit interiorem et postmodum exteriorem, cum aptum fuisset, ut exterior homo prius doceretur et postmodum interior, eo quod major est interior quam exterior. Cui respondendum est: Quamquam hoc esset aptum, tamen aptius fuit, sicut fecit, eo quod exterioris hominis compositio sine interioris doctrina nil valet: nam per interioris hominis doctrinam exterior noster homo componitur. Summopere enim animadvertendum est, quare B. Benedictus dicat nunc *usque ad interrogationem non loquatur.* Si enim, sicuti sonat, ita intelligatur, videtur difficile esse, eo quod nec fuit, nec est, nec erit, qui possit hoc observare, ut tantum tunc fuisset locutus, cum interrogatus fuisset, maxime cum ipse superius dicat: *Si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requirantur.* Et iterum in quinto gradu humilitatis dicit: *si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati suo non celaverit.* Nam videtur sibi esse contrarius ipse S. Benedictus, cum in isto nono gradu dicit, ut usque ad interrogationem non loquatur, et superius dicit, sicut jam dictum est, ut necessaria sui corporis monachus requirat sine interrogatione prioris, et iterum confessionem peccatorum suorum sive cogitationum dicit faciendam esse abbati. Non est contrarius, sed discretum doctorem requirit; discretus enim doctor intelligit in hoc loco, quia, sicut compellit prior, cum te interrogat, ut loquaris, ita etiam te compellit necessitas, ut velis nolis necessitatem tuam loquaris. Ac per hoc, cum dicit *Non loquatur usque ad interrogationem*, subaudiendum est etiam: usque ad necessitatem, quasi

diceret aliis verbis: non loquatur, nisi usque ad interrogationem prioris sive usque ad necessitatem animae suae et corporis sui sive necessitatem proximi sui. Ideo dixi *proximi*, quia scriptum est: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Ac per hoc si ita debeo diligere proximum meum, sicut meipsum, ita ergo debeo loqui necessitatem proximi mei, sicut et meam tam animae quam corporis. Forte dicit aliquis: Quare necessitatem corpoream fratris requirere debeo sicut meam? Si enim debeo peccatum fratris quasi meum dolere et tamquam meum per meam exhortationem debeo emendatum esse gaudere, ergo pro amore fraternitatis debeo etiam pro necessitate fratris suggerere abbati, v. gr. suggero abbati dicens: Pater, talem negligentiam vidi in illo fratre; opto pro tua misericordia, ut illud emendare digneris. Ita etiam pro necessitate fratris temporali debeo abbati suggerere, v. gr.: Pater, talem necessitatem vidi habere illum fratrem; nescio, utrum sponte, an pro negligentia illius, qui debet illi tribuere; vos potestis cognoscere, cur hoc patiatur. Forte dicit aliquis: Quomodo interrogat necessitas quemquam, quia dixisti, subaudiendum esse: *necessitatis suae et alienae tam corporis quam animae?* Vere fit; sic enim legitur Dominus dixisse ad Moysen tacentem: *Cur clamas ad me?* Moyses autem non clamabat, sed tacebat; sed quia necessitatem habebat, ipsa necessitas ad Dominum clamabat. Sicut enim intelligitur illa sententia, ubi dicit Dominus, de omni verbo otioso esse homines reddituros rationem, ita et hic. Vide, quia sicut illis non dicitur solummodo de omni verbo, sed addidit otiosum, ita hic intelligenda est interrogatio causae, i. e. necessitatis, non vocis.

Sequitur: *monstrante scriptura: In multiloquio non effugies peccatum.* Istud enim *multiloquium* duobus modis intelligi potest: uno enim modo intelligitur secundum sensum divinarum scripturarum: *In multiloquio non effugies peccatum*, i. e. quia multum loqui,[1]) etiamsi bona sint verba,

[1]) loquendo (?).

illabitur homo in peccatum, i. e. aut in detractionem aut in aliquod aliud peccatum. Secundum vero sensum S. Benedicti intelligitur: *in multiloquio non effugies peccatum*, quia, si plus fuerint verba, quam oportet, i. e. quinque vel quatuor, tria vel etiam duo, multiloquium est; nam quantum plus fuerint verba, quam necessitas exigit, tantum multiloquium et majus peccatum est, et quantum minus fuerint verba, tanto minus est peccatum.

Sequitur: *et quia vir linguosus non dirigetur super terram.* Similiter et istud, quod dicitur, duobus modis intelligitur; uno modo intelligitur secundum sensum divinae scripturae linguosus est ille, qui multa et mala verba loquitur; nam etiamsi unum solummodo verbum studio male loquendi dixerit, linguosus est. *Dirigetur*, i. e. prosperabitur. In qua terra iste linguosus non dirigetur? In illa quippe terra, de qua scriptum est: *Credo videre bona Domini in terra viventium*; nam in ista terra maxime iste linguosus dirigitur, i. e. prosperatur. Secundum vero sensum S. Benedicti vir linguosus intelligitur, etiamsi bona locutus fuerit, tamen quia multa sunt et superflua, i. e. plus quam oportet, et ipsum plus, quamvis bonum sit, *linguosus* dicitur. Animadvertendum est etiam, quia, sicut errat ille, qui plus loquitur, quam oportet, quamvis bonum sit, ita etiam errat, si minus loquitur, quam oportet.

DE DECIMO GRADU HUMILITATIS.

Decimus humilitatis gradus est, si non est facilis ac promptus in risu, quia scriptum est: »Stultus in risu exaltat vocem suam.« *Facilis* ac *promtus* quamvis possint unum esse, tamen potest etiam aliud esse *facilis* et aliud *promptus*. Nam *facilis* attinet ad illum, qui cito in risu movetur, *promptus* autem ad illum, qui intentus est risui vel paratus. Et item facilis intelligitur levis, citus; promptus autem, i. e. paratus. In hoc enim loco cum dicit: *non sit facilis ac promtus in risu*, non dicit, ut monachus nunquam rideat, sed non sit facilis ac promtus in risu, quia scriptura divina non prohibet, hominem hilaritatem spiritalem habere, cum

ait: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et iterum: *Jucundus homo, qui miseretur et commodat.* Et rursum: *Sermo bonus super datum optimum* et reliq. Quod dicit: *Stultus in risu exaltat vocem suam,* i. e. ridendo exaltat vocem, sicuti laici faciunt, qui granditer rident, h. e. cachinnant; sciendum est enim, quia sunt multi, qui, quamquam in voce non exprimant sonum in risu, tamen, si in corde superfluam laetitiam habuerint,[1]) apud Deum magnus risus est.

DE UNDECIMO GRADU HUMILITATIS.

Undecimus humilitatis gradus est, si, cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis. Leniter etenim est, cum ita loquitur quis, ut solummodo ille audiat, cui loquitur. Sed nunc videndum est, quomodo potest quis loqui ita, ut nemo audiat, nisi ille, cui loquitur? Cum frater in medio claustro[2]) est, et ego ab illo longe existo, aut forte loquor surdo, ecce illi nequaquam ita possum loqui, ut alius non audiat. Istud enim testimonium, quod subjungit nunc, i. e. *sapiens verbis innotescit paucis,* non respicit ad id, quod dicit: *non sit clamosus in voce,* sed ad illud. quod dicit: *pauca et rationabilia verba,* et istud, quod dicit: *non sit clamosus in voce.* respicit ad illud, quod dicit *leniter.* Si enim talis fuerit obedientia, quam ego dimittere possum. debeo ad illum ire, aut ille, si potest, debet ad me venire. Quodsi non possum ad illum ire, aut ille ad me non potest venire, ita debeo illam vocem temperare, ut ille audiat, cui loqui volo. et ultra non procedat. Deinde si alius audierit, tamen leniter loquor. quia necessitate talis locutio efficitur. Similiter et si surdo locutus fuero cum necessitate, et ipse mihi magna voce responderit, ego tamen leniter loquor, quia necessitate coactus talia taliter loquor. Similiter etiam si alii locutus fuero, qui

[1]) Anacoluthon (?).
[2]) in media claustra (?).

hebes est, cui si causa intelligendi granditer locutus fuero, leniter loquor. Et hoc animadvertendum est, quia in omni locutione debeo aspicere submissum genus locutionis et temperatum atque vehemens. Submisso genere locutionis loqui debes, cum de parvis rebus loqueris, veluti cum de ambulatione loqueris fratri. Item temperato genere locutionis debes loqui in mediocribus causis, v. gr. cum de jejunio alicui loqui debes jam in isto loco, quia jejunium majus est quam ambulatio: hic temperato genere locutionis loqui debes. Item vehementi genere locutionis loqui debes illi, cui de caritate oportet te loqui, quia caritas major est caeteris superioribus virtutibus; idcirco vehementi genere locutionis debes loqui. quia, sicut causa exigit, ita debes locutionem formare et multiplicare. Non enim dicimus, ut vocem magnam facias in locutione, sed quia non potest in minoribus et in majoribus aequaliter intelligi, eo quod in majoribus et in maximis causis necessaria sunt plura verba et in minoribus pauciora.

Sequitur: *pauca verba et rationabilia loquatur. Pauca* enim attinent ad id, ut tantum debeas loqui, quantum causa exigit, de qua dicis, quia, sicuti jam diximus, erras, si minus aut plus quam oportet, locutus fueris. *Rationabilia* autem attinent ad id, quod vera et bona debeas loqui. i. e. sapienter et eloquenter, et ob id rite servandum, cum utrumque praeceptum sit: *pauca et rationabilia verba loquatur, et non sit clamosus in voce.* Nam qui utrumque non valet, dicat sapienter, etsi non dicit eloquenter. Ideo dicere debet monachus sapienter, ut non sit clamosus voce, sicut scriptum est: *Sapiens verbis innotescit paucis.* Eloquenter vero attinet ad pauca verba, quia monachus in paucis verbis debet comprehendere causam, quam dicit; sapienter autem attinet ad rationabilia, eo quod monachus bona et rationabilia verba debet loqui. Istud vero, quod dicit *pauca et rationabilia verba*, et istud, quod dicit *non sit clamosus in voce*, respicit ad id, quod dicit *leniter*. Et hoc animadvertendum est, quia utrumque praecipit B. Benedictus, i. e. sapienter, et eloquenter. Sed sciendum est, quia si peccatum

est, sapienter loqui et non eloquenter, tamen minus et parvum peccatum est. Forte dicit aliquis: quare hoc peccatum est, si non possum eloquenter loqui? Cui respondendum est: ideo dixi, peccatum esse, quia ex primi hominis peccato hoc evenit nobis, ut non omnia sufficienter possimus loqui bona. Et hoc est, quod sequitur: *et non sit clamosus in voce*, quia scriptum est: *Sapiens verbis innotescit paucis.* Istud enim testimonium, quod subjungit nunc, i. e. *sapiens verbis innotescit paucis*, non ad *clamosus in voce* respicit, sed ad *pauca et rationabilia verba*. Et istud *clamosus in voce* respicit ad illud, quod dicitur *leniter*. Et hoc notandum est, quia non est mirum, si praepostero ordine loquitur S. Benedictus, eo quod mos est scripturae divinae, tali genere locutionis eloqui, sicut Paulus apostolus loquitur ad Timotheum; ait enim: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, te ipsum castum custodi, jam noli aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates. Quorundam autem hominum peccata manifesta sunt praecedentia in judicium, quosdam autem et sequuntur.* Rectus enim ordo iste est: manus cito nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis, quia quorundam hominum peccata manifesta sunt praecedentia, quosdam autem et sequuntur. Jam noli aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates. Ita et in Job[1]) legitur, ubi dicit: *Morientur, et non in sapientia.* Et hoc notandum est, quia sunt multae regulae, quae habent *gravitatem*, nec debent habere, quia *gravitas* et *leniter* unum significant, et ideo non debet esse. Cum dicit *sine risu*, subaudiendum est: si potest caveri; nam superius non dicit, ut nunquam rideat monachus, sed non sit facilis ac promtus in risu. Et bene dixi, ut subaudiri debeat: si potest caveri. Et hoc sciendum est: cum monachus in monasterio loquitur, non debet ita longe et granditer dicere alicui, ne aliis impedimentum tribuat, sed magis ad illum ire, ut non faciat illis, qui sunt

[1]) Job. IV, 21.

in contemplatione Dei, aliquam perturbationem, quia semper honeste et absque murmuratione[1]) esse debet monachus in monasterio.

DE DUODECIMO GRADU HUMILITATIS.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet. Venit B. Benedictus ad duodecimum gradum humilitatis, in quo consummationem facit compositionis exterioris hominis atque interioris; interioris, cum dicit *non solum corde*, exterioris, cum dicit *sed etiam corpore;* nam exteriorem hominem maxime a nono gradu, interiorem a primo gradu. Et bene prius mortificationem interioris hominis docuit, et postmodum compositionem exterioris, quia ex profectu interioris hominis procedit compositio exterioris. Ait enim: *Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet.* Bene prius *corde* et postmodum *corpore* dixit, quia, sicut diximus, ex mortificatione interioris hominis procedit compositio exterioris. *Corde* dixit propter Deum, *corpore* dixit propter exemplum hominibus praebendum. *Corde* dixit, ne Deus offendatur, eo quod Deus inspector est cordium: *corpore* dixit, ne homo fallatur, quia homo non valet videre qualitatem cordis, sed per continentiam corporis, quantum ad hominem attinet, interiora[2]) solet cognoscere. Sic etiam idem S. Benedictus superius dicit: *praeparanda sunt corda et corpora sanctae praeceptorum obedientiae militatura.* Et bene dixit: *videntibus se semper indicet;* etiam si non diceret, necesse fuerat subaudiri, quia videntibus nos exemplum monstramus. Nunc videndum est, quare dixit *semper?* Ideo dixit *semper*, quia jugiter vult, ut tu humilitatem habeas; nam sunt multi, qui aut ex toto aut per intervallum humilitatem deserunt. Ex toto deserunt, cum a diabolo decepti peccatum mortale committunt, et cum hoc agunt, ex toto humi-

[1]) impedimento. Codd. Tegerns. et Fürstzell.

[2]) In codicibus mendose scriptum est *exteriora*.

litatem deserunt. Per intervallum vero, sicut diximus, humilitatem deserunt, cum aliquod leve et parvum peccatum committunt; in hoc enim loco per omnia[1]) non deserunt humilitatem, cum statim emendantur et poenitent. *Indicet*, i. e. demonstret. Quasi interrogares: Ubi patet? Ille quasi respondens dicit: *i. e. in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens, ambulans vel stans inclinato sit semper capite.* Ista inclinatio capitis si ex mortificatione interioris hominis non processerit, nil valet; nam multi sunt, qui inclinato capite incedunt, sed nil illis proficit illa inclinatio capitis, quia non procedit ex mortificatione hominis interioris; inclinare enim veraciter caput est, fragilem se esse aestimare, pulverem et cinerem se esse credere.

Sequitur: *defixis in terram aspectibus*, i. e. intentis aspectibus. Quod vero dicit *inclinato sit semper capite*, in isto *semper* subaudiendum: donec necessitas non exigit, te sursum aspicere; nam nil divina scriptura impossibile dicit. In his rebus bonis minoribus tempus est, sicut dixit Salomon: *Tempus jejunandi et tempus manducandi;* et subjunxit: *Omnia tempus habent.* Istas minores potes dimittere propter necessitatem, illas autem principales, quas apostolus nominat, non debes.

Sequitur: *reum se omni hora de peccatis suis existimans.* Non est mirum, si B. Benedictus in isto gradu duodecimo, h. e. in consummatione perfectionis dicit, debere monachum se reum aestimare. cum Dominus in Evangelio dicit: *Cum feceritis haec omnia, dicite, quia servi inutiles sumus et fecimus. quae debuimus.* Pro duabus enim causis dixit illis Dominus hoc facere. ne superbiae vel jactantiae locus daretur, et iterum. ut Deum glorificent, cujus adjutorio hoc perfecerunt, non se: nam ille pharisaeus contra praeceptum evangelicum fecit, eo quod magis se, quam Dominum glorificavit. cujus adjutorio egit illa omnia sua.

Sequitur: *jam se tremendo judicio repraesentari aestimet.* Nunc videndum est, quare B. Benedictus nunc in isto gradu

---

[1]) in hoc enim per omnia loca. cod. Mellic.

consummationis perfectionis dicit: *reum se omni hora aestimet*, et superius dixit, primum gradum esse timorem Dei? Cognovit enim S. Benedictus, posse cadere hominem etiam de summa perfectione, si, antequam solidatus fuerit in caritate divina, i. e. in casto timore, superbierit; ideo etiam in isto gradu duodecimo mentionem timoris fecit, quia timor servilis adeo est necessarius, ut tegat virtutem, quam operatur quis, donec transeat in castum timorem. V. gr. sicuti paries, si ante non fuerit siccatus a suo humore, et fuerit impulsus a vento, decidit; aut arbusta, si, antequam radicem fixerint in terra, percussa fuerint ab aestu caloris, arescunt: ita et homo, sicut diximus, si, antequam fuerit fortis et solidatus, rejecerit timorem servilem, cum impulsus fuerit ab aliqua aura favoris et aestu persecutionis, dejicitur et labitur.[1]) Unde etiam per Moysen Dominus dicit: *Non tondebis primogenitum ovium tuarum.*[2]) Hunc quippe versiculum papa Gregorius exponit dicens: Primogenitum ovium tondere est initium nostrae bonae conversationis manifestare.[3])

Sequitur: *dicens sibi in corde semper, quod publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non sum dignus peccator ego levare oculos meos ad coelos.* Vide modo, quia valde necessarius est timor servilis; si enim istum publicanum elevavit et exaltavit timor servilis, quanto magis elevasset illum pharisaeum, qui bona se dixit fecisse; ille enim, quia non habuit istum timorem, ideo quadam nubecula jactantiae tactus impulsus cecidit. Unde animadvertendum est, ut, qui hanc vocem dicit: *Domine, non sum dignus levare oculos meos ad coelum*, veraciter dicat, ea intentione dicat, qua ille publicanus dixit, quia nil valet, si ea intentione non dixerit. Nam multi sunt, qui hanc vocem dicunt, sed non illis proficit, quia ea intentione non

[1]) cf. S. Gregor. moral. lib. 8. in cap. 8. Jobi num. 78.

[2]) non tondebis primogenita ovium. Deuteron. 15. 19.

[3]) cf. Migne, tom. 75. col. 849. (Moral. lib. 8. in cap. 8. S. Jobi num. 78.) *Ovium primogenita tondere est ab occultationis suae tegmine humanis oculis inchoantia bona nostra denudare.*

dicunt, qua ille publicanus dixit. Publicanus etenim dicebatur antiquitus, qui vectigalia, i. e. censum regium exigebat, sive qui publicis negotiis terrena lucra sibi cumulabat, sive etiam quod publice peccabat. Nam Matthaeus evangelista quia publicanus fuerit, alter evangelista manifestat, cum dicit *teloncarius; telon*[1]) enim graece latine dicitur lucrum. Istud enim, quod dicit: *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad coelum*, duobus modis intelligi potest. Uno enim modo intelligitur, i. e. quia adeo se debet homo peccatorem et reum aestimare, ut non sit dignus, istos oculos corporeos ad istud coelum, quod est elementum visibile, elevare; altero modo intelligitur, quod melius est, quia ita se debet mens peccatricem et ream suo merito aestimare, ut non sit digna, intentionem suam dirigere ad contemplationem sanctorum, qui coeli nomine dicuntur. Hoc etiam notandum est, quia ille, qui hanc vocem, i. e. *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad coelum*, si veraciter dicit, a quatuor generibus superbiae alienus existit; nam quatuor sunt genera superbiae. Primum genus superbiae est, cum quis bonum suum, quod habet, non a Deo se credit habere, sed a se. Et iterum secundum genus superbiae, cum quis bonum, quod habet, quamvis a Deo credat se habere, tamen meritis suis. Tertium genus superbiae est, cum quis bonum, quod habet, quamvis a Deo se credat habere et non suis meritis, tamen plus caeteris se credit habere. Item quartum genus est superbiae, cum quis causa jactantiae bonum, quod non habet, dicit se habere. Vide modo, quomodo potest ille, qui veraciter dicit: *non sum dignus levare oculos meos ad coelum*, se credere bonum, quod habet, a Deo non habere? aut si a Deo credit habere, tamen meritis suis? vel certe, si a Deo credit habere et non suis meritis, tamen plus aliis? aut quomodo potest dicere habere, quod non habet, qui, sicut diximus, veraciter dicit: *Domine, non sum dignus levare oculos meos ad coelum?*

---

[1]) τέλος.

Notandum etenim est, quia iste pharisaeus contra praeceptum evangelicum fecit, quo dicitur: *cum haec feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus*, et in eo, quod se glorificabat, in tertio genere superbiae laborabat. Nam qui dicit, plus caeteris se aliquid fecisse, videtur [enim] plus se habere dicere, eo quod gloriam Dei plus se habere credit, quam alii.

Sequitur: *Et iterum cum propheta: Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque.* Et quia superius duo proposuerat, ideo duo exempla subjunxit. Istud, quod dixit: *Non sum dignus levare oculos meos ad coelum*, attinet ad id, quod dixit *defixis in terram oculis* et reliq., et hoc, quod subjunxit: *Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque*, attinet ad id, quod dicit *inclinato sit capite.* Quamvis autem *incurvatus sum* et *humiliatus sum* unum significent, tamen *incurvatus sum* attinet ad corpus, *humiliatus sum* attinet ad animam. *Usquequaque* significat undique, i. e. ex omni parte, ex omni consideratione. Et hoc animadvertendum est, quia monachus, si talem habeat necessitatem, in qua non potest caput inclinare, sicuti est vitem putare vel laborare, in qua necessitas est caput erigere, si caput erigit, tamen mente caput inclinatum debet habere.

Sequitur: *Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis monachus mox ad caritatem perveniet illam, quae perfecta foras mittit timorem, per quam universa, quae prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine,*[1]) *non jam timore gehennae, sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et dilectione virtutum, quae Dominus in operarium suum mundum a vitiis et peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.* Istud *ergo* ad omnes gradus respicit, ac si diceret: ergo si ita est, utsi per hos gradus ascendere debeat ad caritatem perfectam, istis duodecim gradibus ascensis mox, i. e. statim ad caritatem perveniet, quasi diceret: ad illam caritatem, quae perfecta foras mittit timorem. In hoc enim, cum dicit *illam caritatem*, subintelligitur, quia ante monachus habeat castum

[1]) incipiet custodire.

timorem, sed tamen non perfecte, quia superabatur a timore servili; nam in hoc potest cognoscere, quod aliquando timore servili, aliquando timore casto, quia aliquando amore Dei, aliquando timore gehennae agit bonum, i. e. lacrimas et reliq. Hanc autem caritatem martyres et apostoli, maxime prophetae habebant, qui Sancto Spiritu repleti meruerunt futura cognoscere. Utinam, o Deus, sicut illi sancti jugiter hunc castum meruerunt habere timorem, nos per intervallum timorem servilem mereamur habere! *Per quam incipiet custodire velut naturaliter ex consuetudine universa, quae prius non sine formidine observabat*, ac si diceret aliis verbis: Omnia, quae antea, i. e. ante perfectum amorem castum, non poterat ille monachus sine timore gehennae vel laboris custodire, postea quasi naturaliter, h. e. tanquam per naturam ex consuetudine custodiet. In hoc loco, cum dicit *formidine*, subaudiendum est: *gehennae* vel *laboris*. Bene dixit *non jam timore gehennae*, quia post perfectum castum amorem non per timorem gehennae, sed timore Christi et consuetudine ipsa bona et dilectione virtutum. Et bene dixit *consuetudine ipsa bona*, et subjunxit *dilectione virtutum*, quia sunt multi, qui nesciunt vim virtutis, tantum per consuetudinem agunt illas virtutes; v. gr. sunt multi, qui jejunant, et per consuetudinem est illis illud jejunium, quamvis non sapiant, ad quod bonum perducit jejunium. Nam sunt alii, qui sciunt et cognoscunt vim jejunii, eo quod ad mortificationem ducit hominem, et ideo non solum delectat illos jejunare per consuetudinem, verum etiam per dilectionem jejunii, quia cognoscunt, se ad mortificationem pervenire per jejunium. In hoc autem loco quod dicit: *Dominus jam in operarium suum mundum a vitiis et peccatis per Spiritum Sanctum dignabitur demonstrare*, in illo *quae* subaudiendum est *bona*, i. e. amorem Christi et dilectionem virtutum et consuetudinem bonam, quae dignabitur demonstrare in operarium suum mundum a vitiis et peccatis. Ita construitur, i. e. mundum a vitiis et peccatis, quod Dominus dignabitur demonstrare in operarium suum mundum. Per quem *mundum?* i. e. per Spiri-

tum Sanctum vel a Spiritu Sancto, quia omnis indulgentia sive remissio peccatorum per Spiritum Sanctum fit. A quibus *mundum?* subauditur: a vitiis et peccatis. Ita distinguendum est. *Ex consuetudine*, i. e. per consuetudinem. *Vitium et peccatum* quamvis ad unum finem veniant, tamen *peccatum* pertinet ad unum, *vitium* autem ad consuetudinem.

Explicit de XII gradibus.

Cap. VIII.

DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

Apte et congrue B. Benedictus, postquam dixerat mortificationem interioris hominis et compositionem exterioris, h. e. consummationem scalae, nunc de officiis divinis subjungit, quia illud officium divinum est Deo acceptum, quod ab hujusmodi viris fit, i. e. qui in duodecimo humilitatis gradu consistunt, quia sicut propheta dicit: *Non est digna laus in ore peccatoris.* Et iterum psalmista ait: *Peccatori autem dixi: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meam per os tuum, tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te? si videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas; os tuum abundavit nequitia, et lingua tua concinnavit dolum; sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti, et tacui.* Et bene, cum dixit *de officiis*, subjunxit *divinis*, quia sunt et alia officia, quae non sunt divina. Ad separationem quippe aliorum temporum subjunxit *in noctibus;* nam sunt et alia officia diurna, i. e. quae inferius dicturus est. Officiorum vero, sicut Isidorus dicit,[1]) plurima genera esse noscuntur, sed praecipuum illud est, quod in sacris divinisque rebus habetur. Sed quare dicatur officium, B. Ambrosius in libris, quos de officiis, i. e. de moribus humanae vitae scripsit, dicit hoc modo: *Officium ab efficiendo dictum putamus quasi »efficium«; sed propter decorem sermonis una immutata littera »officium« nuncupari, vel certe ut ea agas,*

[1]) Etymolog. lib. 6. cap. 19. n. 1.

quae nulli officiant, sed prosint omnibus.[1] Quare dicatur *nox* vel quid sit nox, Beda definit dicens hoc modo: *Nox dicta, quod . . . . inter tenebras et lucem.*[2] *Vesper*[3] ab apparente ejusdem nominis stella occidentali vocatur, quae solem occiduum consequitur et tenebras sequentes praecedit, de qua poeta, i. e. Virgilius: *Ante diem clauso vesper componit olympo.* Vespertinum officium est in noctis initio vocatum, sicut diximus, ab stella vespere, quae surgit oriente nocte.[4] Conticinium vero est, quando omnia contices sunt, i. e. silent. *Intempestum est medium et inactuosum noctis tempus, quando agi nihil potest et omnia sopore quieta sunt; nam tempus per se non intelligitur, nisi per actus humanos; medium autem noctis actu caret. Ergo, intempesta, inactuosa quasi sine tempore, h. e. sine actu, per quem demonstratur tempus. Unde est: intempestive venisti. Ergo »intempestus« dicitur, quia caret tempore, i. e. actu.*[5] Gallicinium est, quando galli cantum levant; gallicinium enim dictum putamus propter gallos lucis praenuntios. Matutinum est inter discessum tenebrarum et aurorae adventum et dictum matutinum, quod hoc tempore inchoante mane fit. *Mane*[6] *est lux matura et plena, nec jam crepusculum, et dictum »mane« a mano; manum enim antiqui bonum dicebant. Quid enim melius luce? Alii »mane« existimant vocari a manibus, quorum conversatio a luna ad terram est. Alii putant ab aere, quia manus, i. e. rarus atque perspicuus.* Matutinum autem officium in lucis initio ab stella lucifero appellatum, quae oritur inchoante mane, quorum duorum temporum, i. e. vesperi et matutini significatione ostenditur, ut die ac nocte semper Deus laudetur. Unde autem matutinus dirivetur, Priscianus dicit hoc modo: *alia a temporibus, matutinus a matuta, quae significat auroram.* Item Pris-

[1] De officiis lib. 1. c. 8. n. 26.
[2] De temporum ratione c. 7. (Migne, tom. 90. col. 322 – 325.)
[3] S. Isidori etymolog. lib. 5. cap. 31. n. 5.
[4] S. Isidor. etymol. lib. 6. c. 19. n. 2 – 12.
[5] S. Isidor. l. c.
[6] S. Isidor. etymol. lib. 5. c. 30. n. 11.

cianus dicit: A mane *manuninae* debueramus secundum regulam dicere, sed quia male sonat duplicata *n* littera, dicimus *matutinae* convertentes *n* litteram in *t*. *Diluculum* sicut Isidorus dicit, *dicitur quasi jam incipiens parva diei lux, haec et aurora, quae solem praecedit. Est autem aurora diei clarescentis exordium et primus splendor aëris, qui graece »eoos«* [1]) *dicitur, »quam nos per derivationem auroram vocamus »quasi »eororam.« Unde et illud: »Laetus eois Eurus equis«; et: »eoasque acies.«* [2]) Item Isidorus dicit: *Nox a nocendo dicta, eo quod oculis noceat, quae idcirco lunae ac siderum lucem habet, ne indecora esset, et ut consolaretur omnes nocte operantes, et ut quibusdam animantibus, quae lucem solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur. Noctis autem et diei alternatio propter vicissitudinem dormiendi vigilandique effecta est, et ut operis diurni laborem noctis requies temperaret.* [3]) *Tempora anni sunt quatuor*, sicut Beda dicit, *quibus sol . . . . inchoare decernunt.* [4])

Hoc autem non ignores, quia ipsa quatuor, quae praediximus, temporum confinia, licet mensium sequentium Kalendis approximentur, unumquodque medium tamen temporum, i. e. veris et aestatis, autumni et hiemis teneat, et non exinde temporum principia inchoantur, unde mensium Calendae initiantur, sed ita unumquodque tempus inchoandum est, ut a prima die veris temporis aequinoctium dividatur, et aestatis VIII. Kal. Junii, et autumni VIII. Kal. Octobris, et hiemis VIII. Kal. Januarii similiter dividat. *Aestas*, sicut Beda dicit,[5]) ab aestu vocatur, qui in ea maturandis fructibus datur, sive, sicut Isidorus dicit,[6]) *aestas* dicitur ab aestu, i. e. a calore, et *aestas* quasi *exusta* et arida; nam calor aridus est. Aestas vero datur meridiano,

---

1) ἠώς.
2) etymol. lib. 5 c. 31. n. 13. 14.
3) etymol. lib. 5. c. 31. n 1. 2.
4) De temporum ratione c. 35. (Migne. tom 90. col. 457 — 459)
5) De ratione computi cap. 9.
6) Etymol lib. 5. c. 35. n 4. 5.

eo quod pars ejus calore flagrantior sit. *Autumnus* dicitur, sicut Beda dicit, de auctumnatione fructuum, qui in eo colliguntur, sive auctumnus, sicut Isidorus dicit, a tempestate vocatur, quando et folia arborum cadunt et omnia maturescunt. Autumnus occiduo datur, propter quod et graves morbos habet, et tunc omnia folia arborum defluunt. Ut autem autumnus abundet morbis, facit et hoc confinium frigoris et caloris et compugnantia inter se contrariorum aërum. *Kalendas autem*, *Nonas et Idus*, sicut Isidorus dicit, *propter dies festos romani instituerunt*, *vel propter officia magistratuum. In his diebus enim conveniebatur in urbibus. Quidam autem Calendas a colendo appellari existimant; apud veteres enim principia omnium mensium colebantur*, *sicut et apud Hebraeos.*[1]) Beda vero de calendis et nonis et idibus dicit hoc modo: *Priscis temporibus* ..... *novilunia norunt.*[2])

Videndum est, quot modis vocabula mensium constant, et unde originem sumserunt. Quatuor ergo modis, sicut Beda dicit,[3]) menses nominantur, h. e. sub idolis, sub rebus, sub regibus, sub numeris. Januarius enim duobus modis nomen accepit, h. e. ex idolo et re; ex idolo ergo, h. e. ex Jano bifronte, simulacro videlicet Jani, Epirotarum regis, qui argumento excogitato semetipsum igni tradidit et ex hoc romanis victoriam peperit. Bifrons autem Jani simulacrum erat, quod ex una parte viri, ex altera feminae adorabant, indeque Januarium vocaverunt bicipitis Dei mensem, respicientem transacti anni finem ac prospicientem futuri anni principium. Item Januarius ex re dicitur, eo quod sit janua anni, h. e. principium. Similiter Februarius dicitur ab idolo et re; ab idolo ergo Februo, h. e. Plutone, qui lustrationum potens esse credebatur a gentilibus, Febru-

¹) Etymol. lib. 5. c. 33. n. 12. 13.

²) De ratione computi c. 8. (Migne, tom. 90. col. 587.)

³) cf. S. Isidori lib. de natura rerum cap. 4. num. 2—4.

arius est nominatus; lustrari enim eo mense civitatem Romam necesse erat, quo statuta jussa, h. e. sacrificia diis manibus solverent; sive Februarius dictus est a febre, h. e. a frigore propter frigidum tempus ipsius mensis. Martius autem dictus est a Marte idolo, qui pater Romuli et romanae gentis auctor esse aestimabatur, sive a re, h. e. a maribus nomen Martius accepit; nam et eo tempore cuncta animantia terrae mares desiderant ad concumbendi voluptatem. Dicitur enim Aprilis duobus modis, sub idolo, i. e. Venere, matre, ut ferunt, Aeneae; *afros*[1]) enim graece spuma interpretatur, unde Venus orta credita est, quae africalis sive afronia apud graecos nominatur; et sub re, h. e. ab aperiendo quasi *aperilis*, in eo enim mense remotis nubibus, prunis ac tempestatibus hibernis coelum, terra, mare nautis, agricolis et horoscopis aperitur; arbores quoque et herbae, sed et animantia quaeque in prolem se aperire incipiunt. Maius duobus modis dicitur, h. e. sub idolo Maio, quem Jovem esse voluerunt quasi majestate praecipuum, sive a Maia, Mercurii matre; et sub re, h. e. a majoribus romanorum, quem Romulo ita vocari placuit. Junius a Junone, filia Saturni, sorore Jovis, sive a junioribus romanorum, qui armis defendebant rem publicam. Julius a Julio Caesare, quia in IV.° idus Julii mensis creatus Gajus Julius Caesar, qui primus arripuit imperium apud romanos; nam antea, a Martio mense numeratus, Quintilis a numero sortitus est nomen. Augustus namque ab Octaviano Caesare Augusto nomen accepit, qui in Calendis istius mensis Antonium et Cleopatram vicit et imperium populi romani firmavit. Cum autem Augusti nomen ille inde assumserit, ex senatus consulto mensem ob memoriam sui nomen hoc habere voluit. September vocatur a numero, eo quod sit septimus imber a Martio. Octobrem ergo, Novembrem et Decembrem[2]) a numero quippe similitatem, et ab imbre nomen sumserunt, quia his temporibus imbres terrae imminent.

---

[1]) *ἀφρός.* [2]) October, November, December (?).

Pascha antiquitus ecclesia ..... in scripturis significatur.[1]) Constitutum est enim: primi mensis initium ab octavo iduum Martiarum usque in nonas Aprilis observare debemus, et si quinta decima luna die dominico incurrerit, sanctum pascha celebrare necesse est.[2])

Psalmistae a psalmis canendis vocati sunt. Isti enim canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium, licet et quidam lectores ita miseranter pronuntient, ut quosdam ad luctum lamentationemque compellant. Iidem etiam pronuntiatores vocantur, quod porro annuntiant; tanta enim et tam clara erit eorum vox, ut quamvis longe positorum aures adimpleant. Cantor autem est vocatus, quia vocem modulatur in cantu. Hujus duo genera dicuntur in arte musica, sicut ea docti homines latine dicere potuerunt, praecentor et succentor; praecentor scilicet, qui vocem praemittit in cantu, succentor autem, qui subsequenter canendo respondet. Concentor autem dicitur, qui consonat; qui autem non consonat, nec concinit, nec concentor erit. *Psalterium, quod vulgo canticum dicitur, a psallendo nominatum, quod ad ejus vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo cytharae barbaricae in modum Δ (Deltae) litterae, sed psalterii et cytharae haec differentia est, quod psalterium lignum illud concavum, unde sonum reddit, superius habet, et deorsum feriuntur chordae et desuper sonant; cythara vero concavitatem ligni inferius habet. Psalterio vero Hebraei decachordo usi sunt propter numerum decalogum legis.*[3])

Psalmus autem dicitur .... tertius accentoris.[4])

---

[1]) S. Isidori etymol. lib. 6. c. 17. n. 10—18.

[2]) S. Isidori etymolog. lib. 6. c. 17. n. 20. *Graeci primi mensis lunam ab octavo Idus Martias usque in diem Non. April. observant, et si quinta decima luna die dominico incurrerit, sanctum pascha celebrant.*

[3]) S. Isidori etymol. lib. 3. c. 22. n. 7.

[4]) S Isidori etymol. lib. 6. c. 19. n. 11—13.

Psalmorum liber graece . . . . . . pede incedentes.[1])

Dicit enim Cassiodorus in primo psalmo:[2]) *Psalmus est hymnus alicujus metri lege compositus, qui ad similitudinem praedicti organi supernam nobis cognoscitur indicare virtutem.* Forte dicit aliquis: Quare S. Benedictus annum in duas partes divisit, in hiemem et aestatem, cum in quatuor partes annus dividitur, i. e. in hiemem et ver, aestatem scilicet et autumnum? Dicit enim: *hiemis tempore a Calendis Novembris usque ad pascha, et a pascha usque ad praedictas Calendas Novembris.* Cui respondendum est: Quamvis enim antiqui non in duas solummodo partes annum divisissent, tamen S. Benedictus quadam ratione discretionis hoc facere studuit; neque enim aliter poterat facere, qui legem bene vivendi describebat, qui mores hominum docere studuit, nisi tali modo hanc legem describeret, ut annum in duas partes divisisset. Et non solum de anno fecit hoc, i. e. in duas partes divisit contra consuetudinem aliorum, qui annum in quatuor partes dividunt, verum etiam et de horis et scripturis similiter fecit propter rationem discretionis, necnon et confirmandi gratia ea, quae dicebat, v. gr. in hiemis tempore fecit de horis, cum *hora secunda agatur tertia* dixit, et in aestivo tempore: *agatur nona temperius mediante octava hora* et reliq. De scripturis vero fecit, cum plurima exempla aliter intellexit, quae hic adhibuit. Non enim ita dico *aliter intellexit*, ut nequaquam etiam intellexisset illa secundum proprium sensum divinarum scripturarum. Ille enim doctus Spiritu Sancto quia intellexit secundum proprium sensum divinarum scripturarum, credo, sed causa firmandi ea, quae dicebat, illa exempla ad alium sensum retorsit: v. gr. cum de taciturnitate dixit, posuit ibi exemplum: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam; obmutui et humiliatus sum et silui a bonis;* et iterum: *Hilarem datorem diligit Deus* et reliq., quae qualiter intellexit, superius jam dictum est, et qualiter

[1]) S. Isidori etymol. lib. 6. c. 2. n. 15 – 17.

[2]) rectius: in secundo psalmo.

sensus proprius est illarum. Et hoc notandum est, quia nil nocet, divinam scripturam alio sensu intelligere, quam suus proprius est, sed solummodo in pejorem sensum non debet quis ejus sensum derivare, sicuti est in haeresin aut in pravos mores. B. vero Benedictum in bonum illum derivasse, omnino credendum est.

Sequitur: *Hiemis tempore, i. e. a Calendis Novembris usque in Pascha juxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est, ut modice amplius de media nocte pausetur et jam digesti surgant.* Cum enim dicit *a Calendis Novembris*, et dixit ante *hiemis tempore,* non est intelligendum, ut solummodo sic incipiat tempus hiemis, cum hiems post incipiat, sicut supra dictum est, sed causa discretionis, quia diviserat annum in duas partes, sicut dixi, a majore parte nominavit *hiems,* qui totam hiemem inclusit in hoc spatio et aliquid de autumno ceperat. Et vere mos est divinarum scripturarum, majorem partem superare minorem. Similiter et, aestatem cum dixit, fecit. Hoc etiam notandum est, quantum ad officium attinet, ratio et mos est scripturae divinae, si Calendae Novembris fuerint die dominico, incipiendum est hoc agere, quod dixit, in die dominica. Similiter si secunda feria venerint Calendae et tertia feria atque quarta feria, semper a dominica praeterita incipiendum est; si vero quinta feria fuerint Calendae Novembris vel sexta feria vel Sabbatho, non praeterita dominica, sed ab illa dominica, quae sequitur, incipiendum est; sic enim ecclesia romana facit, cum libros ad legendum ponit; dicit enim: In Calendis Augusti ponendus est liber Salomonis. Non in Calendis solummodo ponunt, sicut dixi, sed in die dominica aut ante Calendas aut post Calendas, sed tali ordine, sicut dixi, i. e. si usque ad quartam feriam venerint Calendae, ponunt in praeterita dominica, si autem post quartam feriam fuerint Calendae, i. e. quinta feria et sexta aut sabbatho. ponunt in dominica sequenti.

Sequitur: *Juxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est.* Quid est: *octava hora surgendum est?* -- ac si diceret: nec ante octavam horam, nec post

octavam, sed in ipsa hora octava surgendum est, v. gr. sicuti hic depictum est.



Hoc notandum est, quia illa spatia sunt horae; nam virgae non sunt horae, sed fines horarum.[1]) Qui haec rationabiliter vult facere, horologium aquae illi necessarium est. In hoc loco forte quaerit aliquis, quare B. Benedictus dixit: *octava hora noctis surgendum est*, cum December et Januarius menses in nocte habent horas XVIII et in die VI? Dure videtur dicere, et contrarius est sibimet, cum hora noctis octava aliquando est minus de media nocte, aliquando etiam solummodo media nox. Cui respondendum est: nec dure dixit, nec sibi etiam contrarius est, quia, quamvis ipsa octava aliquando existit ante mediam noctem, sicut diximus, aliquando in ipsa media nocte, tamen aequinoctium custodivit, quod aequaliter habet in die et nocte horas, i. e. XII in die, et XII in nocte, et juxta ejus rationem aequinoctii dixit in nocte horas XII et in die, maxime cum Dominus dicat: *Nonne duodecim horae sunt diei?* Cum enim dicit *et jam*, non est una pars orationis, sed duae, h. e. conjunctio copulativa, quae est *et*, et adverbium temporis; *et jam digesti*, i. e. decoctis cibis. Sciendum est, quia istud *digesti* ad cibum attinet, i. e. ad decoctionem ciborum, et per decoctionem ciborum attinet ad sufficientem refectionem somni, quia, sicut dicunt multi, tamdiu non reficitur homo

[1]) In codice Fürstenzellensi in horologio delineato inscriptum est convenienti octavae horae spatio: *secundum nos hora prima*.

somno, quamdiu non digeritur cibus. At ubi digestus fuerit cibus, tunc est refectio somni, et ipsa digestio non fit plena ante mediam noctem.

Sequitur: *Quod vero restat post vigilias, a fratribus, qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur. A Pascha vero usque ad supra praedictas Calendas Novembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturae exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.* In hoc loco quod dicitur *quod*, subaudiendum est: spatium, tempus, ac si diceret: istud spatium, quod post vigilias restat usque mane, inserviatur, i. e. praeoccupetur a fratribus; a quibus fratribus? i. e. ab illis, qui indigent aliquid psalterii vel lectionum, occupetur istud intervallum, quod restat post vigilias. Forte dicit aliquis monachus: Nolo vigilare usque mane, sed dormire, eo quod non indigeo aliquid adjuvante Domino. Cui abbas talem propositionem debet proponere, quam ille frater non possit solvere, ut humilietur ex hoc ille frater, et pro hac ratione debet abbas sapiens et doctus esse, ut possit suos monachos pleniter docere. Cum dicit *custodito*, subaudiendum est: intervallo vel spatio. *Mox*, i. e. statim matutini subsequantur, qui incipiente luce agendi sunt. In hoc loco manifestat B. Benedictus, cum dicit *matutini luce incipiente agendi sunt*, quia omni tempore, i. e. tam in quotidianis diebus, quam in dominicis et festis diebus matutini luce incipiente agendi sunt; nam si aliter fuerit actum illud matutinum ante inceptionem lucis, negligentia jam erit.

Notandum est enim, quare dixit *a Calendis Novembris*, cum hiems non inchoatur a Calendis Novembris, sed ab octavo Calendarum Decembrium? Ideo dixit *a Calendis*, quia propter septem dies hiemis in Novembri mense voluit contineri totum mensem, i. e. a parte totum. Quod autem dicit *octava hora noctis surgendum est*, dubium est, utrum inchoante octava, an media, an prope finem ipsius horae octavae surgendum est. Sed ista potest esse discretio, ut quanto plus sunt majores noctes, tanto plus prope initium

octavae horae surgendum est; quantum autem minores sunt noctes, tantum prope finem ipsius horae debet signum tangi. *Ora* finium per *o*, *hora* dierum per *h* scribendum est.

Cap. IX.

QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS.

In ista clavi melius est dicere *quot*, quam *quanti*.

Hiemis tempore praemisso imprimis versu: »Deus in adjutorium meum intende«, in secundo tertio dicendum est: »Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.« Ideo tertio, propter reverentiam sanctae Trinitatis, et quia triplex funiculus vix rumpitur. Quare dicit hic homo supplicans Deo: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*, cum in alio psalmo dicat Deus homini: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud?* Sed per hoc, ubi dicit Deus homini: *Aperi os tuum*, manifestatur, liberum arbitrium datum homini esse, quatenus per se potuisset homo agere bonum, si voluisset. Et in hoc loco, ubi dicit homo Deo: *Domine, labia mea aperies*, manifestat, infirmatum esse ipsum liberum arbitrium, ita ut etiam homo per ipsum arbitrium liberum nil boni possit agere per se, nisi Domini misericordia praeveniendo et subsequendo eum adjuverit. Et bene dicit *Domine labia mea aperies*, ac si diceret: Domine, tu aperi, quia si tu aperueris labia mea, os meum laudem tuam pronuntiabit; nam si ego aperuero os meum, laudem tuam non annuntiabit.

Sequitur: *cui subjungendus est tertius psalmus.* Ideo tertius psalmus, quia de somni surrectione dicit.

Sequitur: *post hunc psalmus nonagesimus quartus.* Ideo psalmus nonagesimus quartus propter invitationem aliorum; nam ipse psalmus invitatorius dicitur, eo quod invitat ad ecclesiam venire. Nam quia consuetudo est sanctae Romanae ecclesiae, ideo illum B. Benedictus canere jussit. Duodecim psalmos canendi ab angelo tradita consuetudo obtinuit; nam [sicut] narrat Cassianus, quia tunc tempore Patrum Aegypti varie psalmi ad vigilias canebantur, et erat super hac consuetudine magna varietas (alii enim canebant quin-

quaginta psalmos, alii autem plus, alii vero minus), deinde, quia ista varietas erat canendi, venerunt SS. Patres in unum, ut definirent de quantitate psalmorum; et dum illi diu super hac definitione consulerent, angelus Domini descendit et stetit in medio eorum et cecinit duodecim psalmos et evanuit ex oculis eorum. Et cum illi hoc vidissent, cognoverunt, quia a Deo institutum est, ut duodecim psalmos canerent ad unumquodque officium vigiliae nocturnae. Deinde obtinuit consuetudo per ecclesias Africanas et occidentales, ut duodecim psalmos cantarent ad vigilias nocturnas. Sic enim dicit in libro secundo institutae Patrum: [*Nam*] *cum in primordiis fidei . . . . memoria scripturarum.*[1])

Cum *expositiones earum* dicit, subaudiendum est: *lectionum veteris et novi testamenti.* Et hoc notandum est, quod potest[2]) expositio veteris et novi testamenti secundum auctoritatem hujus regulae, ita tamen, ut cum lectus fuerit liber veteris vel novi testamenti, non debet iterum relegi, sed causa honestatis debent legere expositionem ejusdem libri aut alterius libri, si non potuerint ejusdem libri expositiones habere, v. gr. si liber Isaiae lectus fuerit, non debet iterum relegi, sed causa honestatis secundum auctoritatem capituli hujus debent legere expositiones, quas Hieronymus in Isaiam fecit. Si vero non habuerint ejusdem libri Isaiae prophetae expositiones, legant expositiones psalmorum aut Evangelii aut alterius libri novi et veteris testamenti. Vide modo, quia non dixit *a nominatis*, sed *a nominatissimis,* quia fuerunt multi nominati, et tamen in eorum libris inventus est error, et ideo dixit *a nominatissimis*, ac si diceret: illorum doctorum legant expositiones, in quorum libris non invenitur error, sicuti est Augustinus et Gregorius sive Ambrosius, et caeteri alii patres catholici. Et hoc notandum est, quia, cum dicit *inter quas et tria responsoria canantur*, species est, i. e. illa species, qua major pars superat minorem, eo quod duo responsoria dicuntur inter

[1]) Institut. lib. 2. c. 5. et 6. (Migne, tom. 49. col. 84—90.)
[2]) potest esse (?).

lectiones, tertium vero responsorium post tertiam lectionem canitur. Ecce propter duo responsoria dixit etiam tertium. Quod vero dicit *lectio apostoli*, absolute de Paulo apostolo intelligunt nostri, quia in scripturis divinis, ubi invenitur *apostoli*, de Paulo intelligitur. Si autem de aliis apostolis vult dicere, cum adjectione nominis illius dicit, v. gr. apostoli Petri, apostoli Judae et reliq. *Psallere usum esse post Moysen David prophetam in magno mysterio prodit ecclesia; hic enim a pueritia in hoc munus a Deo specialiter electus et cantorum princeps psalmorumque thesaurus esse promeruit, cujus psalterium idcirco . . . . artificiosa voce cantatur.*[1])

Canticum idem tunc Moyses primus invexit, quando . . . . canitur ad psalterium.[2])

Orthodoxus est recte credens, et ut credit vivens; ὀρθῶς enim graece, latine recte dicitur, δόξα gloria, h. e. vir rectae gloriae. Quo nomine non potest vocari, qui aliter vivit, quam credit.[3])

Hymnos primum eundem David prophetam condidisse ac cecinisse, manifestum est . . . . hymni vocantur.[4])

Antiphonas primum graeci composuerunt duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo cherubim duoque testamenta invicem sibi conclamantia. Apud latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius antiphonas instituit graecorum exempla imitatus. Ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum usus crebruit.[5])

Responsoria ab italis longo ante tempore sunt reperta et vocata hoc nomine, quod uno canente chorus consonando respondeat. Antea autem id solus quisque agebat, nunc vero unus, interdum duo vel tres communiter canunt choro autem in plurimis respondente.[6])

---

[1]) S. Isidori lib. 1. de officiis eccles. c. 5. n. 1. et 2 (de psalmis).
[2]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 4 (de canticis).
[3]) S. Isidori etymolog. lib. 8. c. 14. n. 5.
[4]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 6 (de hymnis).
[5]) S. Isidori lib. 1. de eccles. off. c. 7 (de antiphonis).
[6]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 9 (de responsoriis).

Choros idem Moyses post trànsitum rubri maris primum instituit . . . . discrimine constat. [1])

Precibus Dominum deprecari Christus nobis et composuit et . . . . Domino supplicarent. [2])

Laudes, h. e. Alleluja canere et canticum est Hebraeorum cujus . . . . aeterna monstretur. [3])

Lectiones pronuntiare ordo antiquae institutionis esse Judaeorum traditio docet . . . . ab omnibus audiatur. [4])

Pronuntiantur autem lectiones . . . . filii Dei vocentur. [5])

De matutinorum antiquitate et auctoritate testis est . . . . evigilabunt. [6])

De vigiliarum antiquitate: Antiqua est vigiliarum devotio . . . . somniculosi vocantur. [7])

Cap. X.

QUALITER AESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS [DEO].

A pascha autem usque ad Calendas Novembris omnis, ut supra dictum est, psalmodiae quantitas teneatur, excepto, quod lectiones in codice propter brevitatem noctium minime legantur, sed pro ipsis tribus lectionibus una de veteri testamento memoriter dicatur, quam breve responsorium subsequatur, et reliqua omnia, ut dictum est, impleantur, i. e. ut nunquam minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo.

Inspicienda est nunc intentio S. Benedicti; non enim ideo dixit, non legere aestivo tempore, quasi omnino noluisset, ut legatur, sed causa discretionis. Quomodo enim credendum est, quia omnino noluit lectionem, cum in hiemis tempore legere jussit? In hoc loco nequaquam enim con-

---

[1]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 3 (de choris).

[2]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 8 (de precibus).

[3]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 13. n. 1 — 4 (de laudibus).

[4]) S. Isidori lib. 1. de eccl. off. c. 10. n. 1 — 3 (de lectionibus).

[5]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 11. n. 1—3 (de libris testamentorum).

[6]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 23 (de matutinis).

[7]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 22. num. 1 — 4 (de vigiliarum antiquitate).

sequens est, ut credendum sit, noluisse in aestate, cum probatur voluisse in hieme, cum ille devotus Deo exstitit, sed, sicut dixi, causa discretionis condescendit pusillanimis, ne murmurationi daretur occasio, ideo dixit, non legere. Nam quare ille dixerit, non legere, manifestat inferius, cum subdit *propter brevitatem noctium*. In hoc quippe loco, cum dicit *propter brevitatem noctium*, intelligitur, quia maxime illis efficitur brevitas noctium in dormiendo, qui in die laborant, et quantum plus desudant in opere diurno, tanto eis efficitur parva nox in dormiendo. Et forte dicit aliquis: Quare non dixit *usque ad Calendas Septembres*, cum September et October aequales videntur habere noctes cum Martio et Aprile. Cui respondendum est, quia, quamvis aequales videantur noctes habere, tamen major labor est in Septembri et Octobri, quam in Martio et Aprili. Ideo est major labor in Septembri et Octobri, quia in istis duobus mensibus instat vindemia; non enim ligata est veritas in verbis, h. e. non debes aliquando intelligere, sicut sonant, sed juxta intentionem, qua ille sanctus vel doctor vult dicere, sicut in hoc loco S. Benedictus facit, cum dicit, propter brevitatem noctium legere non debere, cum vult, ut legatur. Hoc etiam animadvertendum est, quia, si labor non est, et congregatio legere voluerit propter majorem devotionem Deo exhibendam, legat, quia intentio S. Benedicti non fuit, ut omnino non legeretur, sicut diximus, sed causa discretionis hoc dixisse cognoscitur. Si vero congregatio non omnis voluerit legere, distinguendum esse putamus hoc modo, v. gr. si fuerint XXX monachi, et quindecim fuerint studiosi et devoti, et alii quindecim fuerint negligentiores, torpentes atque ignavi, et illi studiosi voluerint legere, isti autem torpentes et ignavi noluerint, debent isti ignavi nutriri et doceri, ut ipsi cupiant legere, sicut et caeteri studiosi. Si autem non potuerint ita doceri, ut legere cupiant, non est legendum, ne occasio murmurationi detur, maxime quia tempore lectionis debent vigilare, et dormiunt propter pusillanimitatem suam. Iterum si isti triginta fuerint devotionis et sanctae conversationis, et tamen

quindecim laborant in agro labore grandi, reliqui quindecim manentes in monasterio quamvis laborant, non tamen aequalis est labor, sicut illorum, qui in agro laborant, sed minor, et isti, qui in monasterio manent, voluerint legere, et illi, qui in agris laborant, noluerint, non est legendum, quia magis est illis consentiendum, qui majori labore praeoccupantur, ne murmurationi locus detur, sicut dixi. Iterum si isti triginta omnes fuerint devoti et sanctae conversationis et aequaliter omnes in agris laboraverint, et tamen quindecim sunt valde robusti et quindecim debiles, et illi robusti voluerint legere, isti autem debiles noluerint, non est legendum, quia magis illis debilibus consentiendum est propter malum murmurationis. Si autem fuerint quinque vel sex, qui noluerint legere, non est propter hos dimittenda lectio, verum admonendi sunt et docendi, ut et illi consentiant. Si autem triginta fuerint, et viginti ex his voluerint legere, decem autem non, et isti decem negligentes et non studiosi, qui nolunt, illi autem viginti, qui volunt legere, sunt studiosi, legendum est, verumtamen et illi decem trahendi et docendi sunt, ut et illi consentiant, ita tamen legendum est, si illi, qui nolunt, laborem non habent talem, ut ex hoc gravi labore parva sit nox. Si autem illi decem, qui nolunt, sunt studiosi et devoti, legendum est propter viginti, et hi decem non debent omnino resistere propter viginti, qui volunt, quia magis debent timere eorum murmurationes.

Cap. XI.

QUALITER DOMINICIS DIEBUS VIGILIAE AGANTUR.

Dominicis diebus temperius[1]) *surgatur ad vigilias.* Superius enim dixerat B. Benedictus, in aestivo tempore unam solummodo esse lectionem legendam. Ne quis autem ignorantia vel studio diceret, quia ita tardius volo surgere in dominico die, sicut in quotidianis diebus, ideo S. Benedictus suo loco congrue dicit *Dominico die temperius surgatur*, ac si diceret aliis verbis: Quotidianis diebus propter brevitatem noctium

[1]) temporius (?).

dedi licentiam, tardius surgere, tamen dominicis diebus temperius praecipio surgere, i. e. plus cito propter prolixitatem officii. Nam istud *temperius* ad aestivum tempus respicit, non ad hiemale, quia hiemis tempore, si hora octava surrexerit[1]) noctis, abunde potest officium perficere[2]) etiam in dominico die, quia diei incipiente luce agendus est matutinus. Et hoc intuendum est, quia, sicut istud *temperius* respicit solummodo ad aestivum tempus propter prolixitatem officii, ita etiam considerandum est in hiemali tempore, ut ita surgatur juxta numerositatem fratrum et prolixitatem lectionum, ut incipiente luce agantur matutini. Et hoc intuendum est, quia debent duodecim lectiones legere et »Te Deum laudamus« canere et evangelium legere et orationem dicere, sicut in dominicis diebus consuetudo est. *Evangelium* interpretatur bonum nuntium, quia nobis bona nuntiat, i. e. vitam post mortem, patriam post exilium et requiem post laborem. Quaeri etiam potest, si ob hoc dicitur evangelium, quia bona nobis nuntiat, quare non dicitur et caetera scriptura divina evangelium, cum et ipsa nobis bona nuntiat, i. e. vitam post mortem, patriam post exilium, requiem post laborem? Sciendum est enim, quia ille dixit caeteras scripturas per servos, qui hanc evangelicam per semetipsum, et quia Dominus hanc doctrinam ore proprio locutus est per praesentiam carnis, hoc nomine, i. e. evangelium specialiter nominatur. Et bene etiam ad manifestandam suae dignitatis augmentationem dicitur etiam sanctum, i. e. divisum a caeteris scripturis per servos prolatis. Duobus modis dicitur *sanctus*; uno modo dicitur *sanctus* a *sanguine unctus*, quia vetus consuetudo erat, ut ea, quae purificari debuerant, sanguine hostiae tangerentur et ex hoc nomen *sancti* accipiebant; sive etiam dicitur *sanctus* secundum graecam rationem, sicut Origines dicit; graece enim *sanctus* ἁγιος dicitur, i. e. extra terrenam communionem; nam gi (γῆ) graece dicitur terra, ac per hoc

[1]) surrexerint (?).
[2]) perfici (?).

sanctus dicitur separatus ac divisus, et ideo vasa aut templum et caetera alia, quae Domino dedicabantur, sancta dicebantur, i. e. separata et divisa a communi usu; nam nullus debet uti in usu suo his, quae cultui divino deputata sunt.

Amen significat *vere* sive *fideliter*, quod et ipsum est hebraeum, quae duo verba *Amen* et *Alleluja* nec graecis nec latinis nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre vel alia lingua annuntiare; nam quamvis interpretari possint, propter sanctiorem tamen auctoritatem servata est ab apostolis in his propriae linguae antiquitas. Tanto enim sacrata sunt nomina, ut etiam Johannes in apocalypsi referat, se spiritu vidisse et audisse vocem coelestis exercitus tanquam vocem aquarum multarum et tonitruorum validorum dicentium: *Amen*, *Alleluja*. Ac per hoc sic oportet in terris dici utraque, sicut in coelo resonant. *Alleluja* duorum verborum interpretatio est, h. e. *laus Dei*, et est hebraeum; *ja* enim est unum de decem nominibus, quibus apud Hebraeos Deus vocatur.

[Nam] in nocte Nativitatis Domini solummodo non adhuc luce, sed vicina luce cantari potest matutinus, eo quod post vigilias cantanda est missa, et post missam cantandus est matutinus, et sic incipiente luce cantanda est secunda missa. Verum cum *Deus in adjutorium* debet dici ad matutinum, sic debet missam cantare abbas cum *Gloria in excelsis Deo*, similiter et missam secundam cum *Gloria in excelsis Deo* cantare debet, sicuti primam. Quod vero dicit: *qui ordo vigiliarum omni tempore tam aestatis, quam hiemis aequaliter in die dominico teneatur*, ita debet intelligi: non enim dicit, ut ita debeant esse grandes lectiones in aestivo tempore, sicut in hiemali, sed cum dicit aequaliter, ac si diceret: aequaliter teneatur in aestivo tempore, sicut agere permittuntur a nocte. Non enim in aestivo tempore aliquando prolongare, aliquando minuere, sed aequaliter teneatur i. e. ita magnae lectiones, sicut ab octava hora permittit spatium. Verumtamen sciendum est, quia ita aequaliter debent fieri terminatae lectiones tunc, quando per errorem valde temperius surgitur,

sicut, quando congruente temporius surgitur, quia si dies non fuerit, tunc debet prior signum tangere, ut dormiant; quando valde tarde surgunt, tunc breviari debent lectiones. Et hoc sciendum est, quia, sicut diximus, in dominico die matutinum officium luce incipiente agendum est, sicut in aliis diebus, quia ille inferius dicit: *Ut ait propheta*: *Septies in die laudem dixi tibi*; *qui septenarius sacratus numerus sic a nobis implebitur*, *si matutinae*, *primae*, *tertiae*, *sextae*, *nonae*, *vesperae completoriique tempore nostrae servitutis officia persolvamus.* Unde oportet, ut matutinum officium in die dominico luce incipiente agatur, ut septem laudes debitas dominico die persolvamus. Nam si luce incipiente non agimus matutinum, jam non in die laudes septem Domino dicimus. Forte dicit aliquis: In quotidianis debeo diebus matutinum cantare luce incipiente. Cui respondendum est: Valde indecens est, si omni tempore, i. e. tam aestatis quam hiemis, et omnibus diebus matutinum luce incipiente cantamus et septem laudes Deo offerimus debitas, et in dominico sex. Istud *temperius*, sicut dixi, ad aestivum attinet tempus, non ad hiemale, praeter illas noctes, in quibus officium valde prolongatur.

Quod vero dicit *cum honore et tremore stantibus omnibus*, cum planeta et orario et candelabris duobus et thuribulo, et illi, qui candelabra et thuribula gestant, vestiti debent esse.

Sequitur: *digne inde in oratorio satisfaciat Deo*, *per cujus evenerit neglectum*, ita intelligi debet, i. e. postquam completum fuerit matutinum et postquam exierint sive intraverint hebdomadarii coquinae, ille, per cujus neglectum evenerit, tamdiu debet stare incurvus ante altare, quoadusque fratres exeant foras. Verumtamen, quia B. Benedictus dixit *digne inde satisfaciat*, necesse est, ut consideremus, quid *digne* sit. Sic enim Johannes Baptista dixit: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Ideo, quia *digne* dicit satisfacere, consideranda est quantitas peccati, h. e. quam grandis fuit ipsa negligentia; considerari etiam debet affectus peccantis, h. e. qua intentione neglexit, congrue signum tangere.

Quantitas, dixi, peccati, quia potest provenire, ut ad primam turmam fuisset dies; potest fieri, ut ad secundam vel tertiam. Ac per hoc tantum major est negligentia, quantum plus cito facta est dies, et iterum tanto minor est negligentia, quantum plus dies tarde praeoccupaverit illud officium. Deinde etiam considerari debet affectus negligentis, quia potest fieri pro somnolentia, h. e. quia multum amavit dormire et ideo tarde surrexit ad signum tangendum. Secundo modo potest fieri, ut pro pigritia et delectatione jacendi, quia forte tempore congruo se excitavit, tamen pro delectatione et pigritia jacuit plus, quam debuit, et ideo postmodum signum tarde tetigit. Tertio modo potest fieri, ut signum tarde tactum fuisset pro potatione vini, i. e. forte quia fleuthomatus fuit, aut pro caritate hospitis, quam solent monachi facere, bibit plus, quam debuit, et ideo tarde surrexit. Quarto etiam modo potest fieri pro nubilo, quia, cum surrexit ante horam et pro nubilo stellam videre non potuit et timendo tangere ante horam tetigit post horam. Iste talis, qui causa nubili tarde tetigit signum, tantum ad matutinum satisfaciat; ille autem, qui pro potatione aut pigritia tarde tetigit signum, non solum ad matutinum, sed etiam ad primam vel tertiam satisfaciat.

Quod vero dicit, aliquid de lectionibus breviandum esse, non attinet ad numerum, ut numerus lectionum brevietur, sed ad quantitatem lectionum, i. e. ut, quamvis duodecim sint, tamen breviores sint, quam debent.

Quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant, ita intelligendum est, i. e. quando incipit ille cantor dicere Gloriam, non debent festinanter surgere, sed honorifice et inclinato capite, et tamdiu incurvi debent sistere, quoadusque dicat cantor: *Spiritui sancto*, et nec minus aut plus incurvus esse debet quis, nisi ambas super genua manus ponere debet, et qui plus vel minus fecerit, debet duci per sex gradus. Et hoc intuendum est, quia omnes aequaliter debent surgere, non unus ante et unus post. Et hoc intuendum est, quia, cum *Gloria* dicitur sive in responsoriis parvis sive in psalmis sive in capitulo, ubicumque Gloria

dicitur, ita, i. e. usque ad genua manus, sicut supra diximus, et usque ad *Spiritui sancto* inclinandum est. Hoc autem intuendum est, quia, cum dicit *quatuor lectiones de novo testamento legantur*, intelligitur, ut octo lectiones vis de novo, vis de veteri testamento possint legi; nam illae quatuor posteriores, i. e. in tertia turma omnimodo de novo testamento legi debent. Sed hoc intuendum est, quia illas octo lectiones ita legere debes, i. e. juxta tempus, v. gr. si tempus est, quando legis epistolas Pauli et caeterorum apostolorum aut apocalypsin, totas octo lectiones lege de novo testamento, h. e. epistolas aut apocalypsin, reliquas vero quatuor lectiones vis epistolas, vis apocalypsin lege aut homilias evangelii aut expositiones epistolarum vel apocalypsis. Si autem tempus est, quando legere debes de veteri testamento, octo lectiones lege de ipso veteri testamento, quatuor vero lectiones lege, si vis, aut expositiones evangelii aut apocalypsis aut epistolarum; nam expositiones de veteri testamento non debes legere, quia non est novum testamentum, quasi diceret S. Benedictus aliis verbis: octo lectiones lege vis de novo, vis de veteri testamento juxta ordinem librorum; nam quatuor lectiones semper omnimodo de novo testamento lege. *Apocalypsin librum Joannes evangelista scripsit eo tempore, quo ob evangelii praedicationem in insulam Pathmos traditur relegatus. »Apocalypsis« autem ex graeco in latinum revelatio interpretatur. Revelatio enim dicitur manifestatio eorum, quae abscondita erant, juxta quod et ipse Joannes dicit: »Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis.«* [1])

Si vero officium diei festi fuerit, h. e. si natalis Sancti fuerit in die dominico, ita agendum est, h. e. si fuerit praecipuus Sanctus, i. e. aut festivitas S. Joannis Baptistae, aut S. Petri, aut S. Martini aut certe S. Andreae, h. e. isti, qui solummodo per universum mundum celeberrimi habentur, plenum officium de illis Sanctis debet cani, h. e. duodecim lectiones cum duodecim responsoriis suis, et matutinum

[1]) S. Isidori etymolog. lib. 6. c. 2. n. 49

totum, i. e. psalmos et antiphonas,[1]) nec non et in diurnis horis cum antiphonis et vesperae cum psalmis et antiphonis de ipso Sancto; missa autem de illa dominica canenda est mane, illa vero major missa canatur de illo Sancto, eo quod in die dominica duae missae canendae sunt. Si autem non fuerit festivitas S. Joannis aut S. Petri aut S. Martini aut S. Andreae et reliqui alicujus Sancti praecipui, sed alterius, octo lectiones cum responsoriis suis debent legi et cantari de dominica die, reliquae quatuor lectiones cum quatuor responsoriis suis debent legi et cantari de illo Sancto et totus matutinus de illo Sancto debet cantari. (Missam autem, si est talis praecipuus Sanctus, debes cantare illam majorem, mane autem debes cantare de illa dominica die; si autem non fuerit praecipuus Sanctus, debes similiter octo lectiones cum responsoriis suis ad nocturnas de illa dominica legere, reliquas vero quatuor lectiones cum responsoriis suis et matutinum totum de ipso Sancto.)[2]) Jam vero ad tertiam et sextam et nonam[3]) cum Alleluja debent cantari, missa autem istius Sancti, qui non est praecipuus, cantanda est mane, et missa major cantanda est de die dominica. Si enim, quando dominico die canitur matutinus de festivitate sanctorum, habet aliam[4]) ecclesiam ire et cantare matutinum de dominico die, si voluerit, potest, si autem noluerit, non est tenendum pro lege. Sunt enim multi, qui dicunt, parvum prodesse cantum in ecclesia, cum cantus in ecclesia valde prodest, maxime adhuc carnalibus et a fide inchoantibus, sicut B. Augustinus de semetipso dicit, qualiter eliquabatur in cor suum veritas ad cantum ambrosianae ecclesiae tempore B. Ambrosii episcopi. Sic enim ipse B. Augustinus dicit in libro nono confessionum suarum: *Adjunximus etiam nobis puerum*

[1]) psalmi et antiphonae (?).

[2]) Haec lunulis inclusa jam supra dicta praeter rem vel inadvertenter repetita esse videntur.

[3]) tertia, sexta et nona (?)

[4]) ad aliam (?).

Adeodatum .... unanimes in domo.[1] *Voluptates aurium .... languor meus.*[2]

Cap. XII.

QUOMODO MATUTINORUM SOLEMNITAS AGATUR.

In matutinis dominico die imprimis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluja.

Dominicum diem apostoli ideo religiosa solemnitate sanxerunt .... primogenitus a mortuis.[3] *Sabbathum autem datum est .... Dominus pluit.*[4]

Notandum est, quantum aestimari potest, quia ea ratione dixit *Deus misereatur nostri* et reliq., cantari in directum, qua ratione dixit similiter cantari *Domine quid multiplicati sunt* in directum ad nocturnum, ut[5] ad psalmum *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, possint omnes occurrere. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, sicut S. Benedictus dicit, cum Alleluja debet cani. Cum dicit *dicatur centesimus septimus decimus*, subaudiendum est: cum Alleluja. Similiter cum dixit *sexagesimus secundus*, subaudiendum est: cum Alleluja. Similiter cum dicit *benedictiones et laudes*, subaudiendum est: cum Alleluja. In hoc, quod dicit lectionem de Apocalypsi, attendendum est, quia omni dominica sive de Adventu sive de Nativitate? sive de quotidianis dominicis sive de Quinquagesima sive de Pascha, quid dicam? in omnibus dominicis semper lectionem de Apocalypsi debet legi memoriter. Forte dicit aliquis: ad ipsum diem pertinentes lectiones debent legi. Cui respondendum est: verum est, quod ita regula dicit, sed tamen quia possunt inveniri in omnibus dominicis lectiones de Apocalypsi, sive ad omnes festivitates, ideo debes legere secundum hanc auctoritatem regulae semper de Apocalypsi. Similiter intelligendum est

[1] Confess. lib. 9. c. 6–8 num. 14—17. (cf. Migne, 32. col. 769. 770.)
[2] Confess. lib. 10. c. 33. n. 49. 50. (Migne l. c. col. 799. 800.)
[3] S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 24. n. 1. 2.
[4] S. Isidori lib. 1. de eccl. offic. c. 25. n. 1—4.
[5] In codicibus ante *ut* mendose scriptum est vocabulum *sequitur*.

atque observandum de illa lectione, quam memoriter dicit legere de Apostolo, i. e. semper illa lectio, quae memoriter legitur, de Apostolo debet esse, sive de Adventu sive de quotidianis sive de Quadragesima sive etiam de omnibus festivitatibus, debet esse lectio de Apostolo, quia in omnibus supra dictis solemnitatibus vel festivitatibus de Apostolo lectiones possunt reperiri.

Et hoc intuendum est, quia, ubi dicit sive *recitanda* sive *recitetur*, semper ex corde debet memoriter dici lectio ipsa, sive habeat *ex corde* sive non. Verumtamen sciendum est, quia dominica die semper psalmi cum Alleluja cani debent. Forte dicit aliquis: Quare dicit S. Benedictus de quinquagesimo: *cum Alleluja debet cani*, et non de aliis psalmis? Bene dixit, quia quinquagesimus contrarius est ad Alleluja, eo quod quinquagesimus attinet ad poenitentiam, h. e. ad lamentationem, et Alleluja pertinet ad laetitiam, ideo dixit, in quinquagesimo specialiter Alleluja canendum; nam reliqui paene omnes allelujatici sunt et nullus eorum attinet ad lamentationem, ideo specialiter in illis non dixit Alleluja, sed per subauditionem voluit intelligi. Et hoc est intuendum, quia, si in diebus dominicis, etiam in quotidianis dici potest Alleluja cum antiphonis, nil nocet nec contrarium est regulae, si etiam in diebus dominicis antiphonas cum Alleluja cantaveris. Sciendum est, quia versus cum Alleluja dicimus, nam responsorium non jam dicimus cum Alleluja. Versus ideo dicimus, quia non est congruum. caetera cum Alleluja cani, versus autem non; responsoria ideo non canimus cum Alleluja, quia regula prohibuit dicens: responsoria autem nunquam canantur cum Alleluja. Notandum est autem, quia *Benedictus Dominus Deus Israel* non debet cani cum Alleluja, sed cum antiphona, quae Alleluja habet.

Cap. XIII.

QUALITER PRIVATIS DIEBUS MATUTINI AGANTUR.

Privati duobus modis intelliguntur; uno enim modo intelligitur *privatus*, i. e. alienatus, altero vero modo secun-

dum usum dicitur *privatus*, cum dicimus: privatus est mihi, ac si diceret aliis verbis: ab aliis separatus, mihi quidem conjunctus. In hoc vero loco, cum dicitur *privatis diebus*, i. e. alienatis et separatis a festivitatis vel solemnitatis honore.

Sequitur: *Diebus autem privatis matutinorum solemnitas ita agatur, i. e. sexagesimus sextus psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modice, sicut in dominica.* Cum dicit *sexagesimus sextus dicatur sine antiphona subtrahendo modice, sicut die dominico*, reddit causam, quare, cum subjunxit: *ut omnes occurrant ad quinquagesimum.* Cum dicit *ad quinquagesimum*, quasi diceret: ad initium quinquagesimi, quia, sicut custoditur in nocturnis vigiliis spatium ad occurrendum ante Gloriam nonagesimi quarti, ita custodiendum est in isto psalmo sexagesimo sexto ante suam Gloriam, ut jam, si post Gloriam sexagesimi sexti psalmi occurrerit, non debet stare in suo ordine. Cum autem dicit *secundum consuetudinem*, subaudiendum est: ecclesiae suae, quia tunc ecclesiae illius regionis ita cantabant duos psalmos. Non enim absque ratione hi psalmi in matutino officio deputati sunt, quia in unoquoque psalmo invenitur ratio, quae ad matutinum attinet, tam specialiter, quam etiam sub mysterio. In quinto vero psalmo mentio fit matutini, cum dicit: *Mane astabo tibi et videbo.* In tricesimo quinto mentio fit lucis, sed sub mysterio, in eo loco, ubi dicit: *Filii hominum in protectione alarum tuarum sperabunt.* Et iterum: *Et in lumine tuo videbimus lumen.* In quadragesimo vero secundo in eo loco, ubi dicit: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* In quinquagesimo sexto mentio fit lucis, ubi dicit: *Exurgam diluculo.* In sexagesimo secundo mentio fit lucis, ubi dicit: *Defecerunt scrutantes scrutinio, accedet homo ad cor altum,* h. e. deficiente nocte accedet homo ad cor altum, h. e. ad lucem. In sexagesimo vero quarto mentio fit lucis in eo loco, ubi dicit: *Vespere et matutini delectaberis.*[1]) In septuagesimo vero quinto mentio fit lucis

[1]) Psalm. 64, 9: *exitus matutini et vespere delectabis.*

in eo loco, ubi dicit: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.* In septuagesimo vero septimo psalmo mentio fit lucis in eo loco, ubi dicit: *In die clamavi et nocte coram te.* In octogesimo vero nono psalmo fit mentio lucis in eo loco, ubi dicit: *Mane sicut herba transeat.* In nonagesimo psalmo mentio fit lucis, ubi dicit: *ad annuntiandum mane misericordiam tuam*, et in centesimo quadragesimo secundo psalmo mentio fit lucis, ubi dicit: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam.*

Simili modo potest intelligi de *canticis*, quia in illis fit mentio lucis et diei. Quare vero canticum Deuteronomii cantet ecclesia, Beda docet in tractatu evangelii secundum Lucam[1]) in loco, ubi dicitur: *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in synagogam . . . . Confluebant autem die sabbathi in synagogis, ut, juxta quod Dominus praecepit: Vacate et videte, quoniam ego sum Deus,* [2]) feriatis mundi negotiis ad meditanda legis monita quieto corde residerent. Cujus eo die devotionis agendae hactenus in ecclesia perdurat indicium, quae ad memoriam priscae religionis *canticum Deuteronomii*, in quo universus veteris populi status, quid videlicet offenso, quid propitio Deo meruerit, continetur, nonnullis in locis sabbatho dicere consuevit. Alioquin esset praeposterum, ut prioribus septimanae diebus prophetarum dictis carminibus Moysi ultimum diceretur.

Primum a Petro apostolo in Antiochia ecclesia est fundata . . . . animam perficiuntur.[3])

Laudes de ipsis tribus psalmis dicit. Intuendum est in hoc loco, cum dicit *lectio apostoli*, quia sunt multi, qui dimittunt de apostolo et legunt de prophetis dicentes: ad ipsum diem pertinent. Hi tales non pleniter intelligunt. Cui respondendum est: In apostolo possunt lectiones reperiri ad diversas festivitates attinentes. Nam ille, cum de apo-

---

[1]) Luc. 4. 16.
[2]) Psalm. 45.
[3]) S. Isidori lib. de off. eccl. c. 1. n. 1 3.

stolo legerit, duo praecepta adimplebit, unum ad ipsum diem pertinentes, alterum, quia de apostolo legit, sicut hic legitur. Similiter de Apocalypsi lectione intelligendum est in dominica, i. e. ut etiam in festis sanctorum in dominico de Apocalypsi legenda sit lectio, quia in Apocalypsi possunt reperiri lectiones de sanctorum festivitatibus.

Ambrosianus duobus modis potest intelligi, i. e. intelligi potest ambrosianus, i. e. divinus, et subaudiendum est: hymnus, quia *ambrosiane* divine intelligitur; nam est quaedam herba, quae vocatur ambrosia, quam pagani in honore deorum suorum habebant, et inde derivatur *ambrosianus*, i. e. divinus. Altero vero modo intelligitur ambrosianus, i. e. ab Ambrosio expositus, et similiter subaudiendum est: hymnus.

In hoc enim intuendum est, quia, cum dicit *completum est*, non ideo dixit S. Benedictus, ut psallendo ire non debeat, sed ne quis ibi loqui audeat. *Completum est*, i. e. finitum est. Nam quare ille dixit: non loquatur in ecclesia, ipse manifestat, cum dicit: *et agatur reverentia Deo*, et *ne frater impediatur alterius improbitate*. Nam cum psallendo exeo, non loquor, sed silentium exhibeo, quia laudes Deo refero; sic enim dicitur: *Factum est silentium in coelo;* et magis reverentiam Deo exhibeo. Verum si in una ecclesia altaria fuerint, non est opus ire psallendo, quia pro uno altari ponuntur caetera altaria. Sed intuendum est, quia si psallas, non agis contra regulam, quia intentio S. Benedicti fuit dicere *completum est* propter hoc, quod dixit, ut agatur reverentia Deo, et non impediatur frater. Si autem non psallendo ieris, non agis contra regulam, quia intentionem non fecit de psallendo ire; hoc nec hortor, nec dehortor.

Sequitur: *Plane agenda matutina vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine dominica oratio omnibus audientibus dicatur a priore propter scandalorum spinas, quae oriri solent, ut conventi per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab hujus-*

modi vitio. Nunc videndum est, quare S. Benedictus dixit, dominicam orationem dici in voce, cum Dominus inspector cordis est et in corde requirit et juxta qualitatem cordis inspicit orationem? Ideo enim praecepit, in voce dici, h. e. propter versutos et simplices; nam sunt multi versuti et perversi tenentes odium fratris in corde et nolunt dicere hanc sententiam in dominica oratione, i. e. *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, sed transiliunt illam, ne se obligent magis dicendo hanc sententiam, sed, cum dicunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, transilientes subjungunt: *et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*, et propter tales voluit S. Benedictus, dici in voce hanc orationem. Et reddit causam, quare in voce dicatur, cum subjunxit: *propter scandalorum spinas, quae oriri solent*; et prolongavit redditionem causae iterum, cum subjunxit: *ut conventi per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab hujusmodi vitio. Conventi*, i. e. victi, fracti, superati, compulsi, ac si diceret aliis verbis: ideo dico, in voce dici hanc orationem, ut, quia nolunt sponte sua emendare se et ejicere odium de corde suo, saltem audiendo superati et victi ab hac sententia sponsionis dimittant et purgent se ab hujusmodi vitio, i. e. ab illo vitio, quod in corde habent. Propter simplices ideo dixi, ut in voce dicatur dominica oratio, quia tales sunt simplices, qui aut non intelligunt, aut ea, quae audiunt, obliviscuntur. Isti tales, cum audiunt, aut intelligant, si non intelligunt, si vero obliviscuntur, reminiscantur.

Nunc videndum est, qua ratione dixit S. Benedictus, in vespere et in matutino dominicam orationem dici solummodo, et non ad alia officia. Vesper finis est diei, matutinum finis est noctis. In die et in nocte solet homo irasci, et propterea dixit S. Benedictus, in fine diei et in fine noctis hanc orationem dominicam dici in voce, ut finem diei sive noctis non aliquando transeat quis sine reconciliatione fratris propter illud, quod scriptum est: *Sol non occi-*

dat super iracundiam vestram, quamquam melius sit, hoc secundum spiritalem intelligentiam intelligi, de quo jam superius diximus. In aliis vero horis ideo non dixit, dici in voce hanc orationem propter impossibilitatem; v. gr. ecce quis irascitur fratri et statim insonat signum ad tertiam vel sextam atque nonam; iste talis non potest ita animum suum coërcere, ut in ipso impetu furoris audiens hanc sponsionem possit dimittere fratri, et ob hoc duobus modis esset culpabilis, uno modo, quia iratus est, altero vero modo, quia transgrediens praeceptum regulae propter furorem suum non dimittit fratri suo, et propterea non dixit, aliis horis dici orationem dominicam in voce, sed in vespera et matutino, ac si diceret aliis verbis: ideo dico, solummodo in vespera et matutino dici; debes etiam aliis horis reconciliare te fratri tuo ante vesperum, sed quia non vis aut non potes propter furorem animi tui ante vesperum vel matutinum in pacem redire, saltem non transeat vespera et matutinus, antequam in pace redeas cum fratre tuo.

Nunc videndum est, quomodo quis debeat reconciliari fratri suo. Dicit haec scriptura divina: *Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade, reconciliari fratri tuo.* Munus enim duobus modis intelligitur; uno enim modo intelligitur munus secundum litteram, panis et vinum, quod offertur Deo; altero vero modo intelligitur spiritaliter, quidquid boni operis egeris propter Deum, i. e. sive obedientia, sive oratio, sive jejunium, et reliq. Deinde vero, cum hoc agis et ibi tibi in memoriam venerit, quia peccasti in fratrem tuum, et non potes aut missam aut officium aut orationem et reliq. dimittere et ire, reconciliari fratri tuo, debes ibi in mente tua illi fratri veniam petere, h. e. ita te debes agere in mente, ut, si adesset frater ille, veniam petisses; ita tamen post completionem illius operis boni, quod agis, si inveneris, debes illi[1]) veniam petere. Similiter etiam debes facere

[1]) ab illo (?).

illi fratri, si longe est, i. e. illi in mente tua veniam petere; postquam reversus fuerit, illi etiam corporaliter veniam debes petere. Si autem frater tuus tibi aliquid mali fecit, non debes illi veniam petere, sed solummodo parcere ex toto corde; sic enim Augustinus dicit; Hieronymus vero etiam istum, qui malum passus est, illi, a quo passus est, veniam petere dicit.

Cap. XIV.

IN NATALITIIS SANCTORUM QUALITER VIGILIAE AGANTUR.

In sanctorum vero festivitatibus vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur. De solemnitatibus jam superius dictum est. Nunc autem videamus, quare dicatur festivitas. *Festivitas dicta a festis diebus quasi »festiditas«, eo quod in eis sola res divina fit, quibus contrarii sunt fasti, in quibus jus fatur, i. e. dicitur.*[1] Adtendendum est in hoc loco, quia, cum dixit *festivitatibus*, non dixit *omnibus*, sicut in solemnitatibus, et ideo necesse est causa discretionis; cum dixit *festivitatibus*, subaudiendum est: praecipuis. Et hoc intuendum est, quia in eo, quod dixit *in sanctorum festivitatibus*, subintelligendum est, ut in aliis sanctorum festivitatibus commemoratio fiat sanctorum, sed tamen non sicut in dominico die. Nam si in festivitatibus sanctorum de omnibus sanctis, qui missas suas habent, sive praecipuis sive non praecipuis, intelligatur, difficile videtur, eo quod multae erunt illae festivitates sanctorum, sicut in libro missarum continentur, quia in illo libro multorum sanctorum missae scriptae videntur, ac per hoc aut dimittentur aut cum nimio labore celebrabuntur, et paene nihil aliud faciendum erit propter multitudinem sanctorum. Sed, sicut diximus, cum dicit *festivitatibus*, subaudiendum est: praecipuis. Solemnitates attinent ad Christi solemnitates,[2]) quamquam de solemni-

[1]) S. Isidori etymolog. lib. 6. c. 18. n. 1.

[2]) mysteria. cod. Divion. ex Marten.

tatibus[1]) possunt dici festivitates, et festivitates solemnitates, quia non solemnitates separant, sed sanctorum.

Quare dicantur natalitiae de diebus mortium sanctorum, cum illi in ipsis diebus non leguntur nati, sed mortui, haec ratio ita solvitur, quia sicut homines, cum nascuntur, de utero matrum suarum [i. e. cum][2]) exeunt de tenebris viscerum matrum ad hanc lucem, ita sancti in die mortis de tenebris praesentis vitae exeunt et in lucem sempiternae beatitudinis quasi nascendo ingrediuntur.

Solemnitates Christi sunt: Nativitas, Circumcisio, Apparitio, Praesentatio in templo, Coena Domini, Parasceven, Sabbatum sanctum, Pascha, Ascensio, Pentecosten. Festivitates vero sanctorum, quae praecipuae habentur, sunt: XII apostolorum, S. Joannis Baptistae, S. Stephani, S. Laurentii, S. Mariae in medio Augusto et Nativitas ejus, S. Michaelis, S. Martini, S. Caeciliae, S. Agnetis, S. Agathae, et S. Benedicti in quadragesimae diebus, et in Calendis Novembris celebratur festivitas omnium Sanctorum. Istae omnes, quia per totum mundum celebrantur, ideo sunt praecipuae. Deinde sunt praecipuae omnium sanctorum, qui in illa civitate requiescunt, ubi eorum corpora sunt humata, veluti sunt S. Ambrosii, SS. Gervasii et Protasii, Victoris, Naboris, Nazarii, Celsi et omnium sanctorum, quorum corpora in propriis provinciis requiescunt. Reliquorum vero sanctorum, qui non sunt praecipui, veluti sunt S. Romani et aliorum, quamvis eorum missae sint scriptae in sacramentario, ut in decollatione S. Joannis, sicut in illis, qui non sunt praecipui, agendum est. Ita vero debet agi in illis sanctis, qui non sunt praecipui, i. e. solummodo in vespere praeteriti diei lectio memoriter de ipsis sanctis non praecipuis et responsorium similiter et hymnus atque versus seu antiphona in Magnificat vel oratio de ipsis non praecipuis sanctis dicenda sunt. Ad nocturnum autem versus de ipsis non praecipuis sanctis cum tribus responsoriis atque lecti-

---

[1]) solemnitates (?).

[2]) Anacoluthon (?).

onibus, si habentur, dicatur, ad matutinum vero totum de ipsis non praecipuis sanctis dicendum est, et veniam petere debent, si non fuerint in dominico die aut in diebus quinquaginta, qui pentecostes vocantur, in quibus non licet genua flecti. Nam caetera officia, i. e. prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorium et nocturnae — praeter tres lectiones cum responsoriis tribus — de quotidiano agendum est,[1]) et laborandum est in illo die, et sicut in die quotidiano manducandum juxta tempus suum, quod definitum est in regula, i. e. aut ad sextam aut ad nonam, missa vero de illis sanctis, qui non sunt praecipui, canenda est. Forte dicit aliquis: quare? Quia jam, cum matutinum inde cantasti, initium missae fecisti illius sancti. Vespera vero de illis sanctis praedictis praecipuis ita agenda est, i. e. in die praeterito ad vesperum solummodo dicenda est lectio et responsorium cum gloria et hymnus et versus et antiphona in Magnificat et oratio. Ad nocturnas et ad matutinum et prima, tertia, sexta, nona, vespera et missa et completorium *ad ipsos sanctos dies pertinentes* dicenda sunt.[2])

Sequitur: *Modus autem supra scriptus teneatur.* Modus autem intelligitur quantitas. Et hoc intuendum est, quia ista quantitas ad lectiones et responsoria et psalmos attinet. Verumtamen sciendum est, quia Coena Domini et Parasceve et Sabbatum sanctum et Pascha ad solemnitates Christi attinet. De his quatuor diebus diffinitum est in concilio, ut officium secundum romanam ecclesiam canatur pleniter, et non secundum regulam a monachis. Verum sunt studiosiores monachi, qui in his quatuor diebus nolunt secundum romanam traditionem agere, sed secundum regulam pleniter dicentes, quia, si in aliis diebus non transgredimur regulam in officiis canendis, nec etiam in istis quatuor diebus volumus transgredi. Nam, sicut mihi videtur, melius est, ut in istis

---

[1]) agenda sunt (?).

[2]) Rectius forte scribendum erat: *Nocturnae et matutinus et prima, tertia, sexta, nona, vespera, et missa et completorium ad ipsos dies sanctos pertinentia dicenda sunt.*

quatuor diebus regulare officium canatur quam secundum romanos, eo quod, sicut S. Gregorius dicit, nihil nocet in fide catholica et in bonis moribus consuetudines diversae. Verumtamen pro ista ratione, i. e. pro istis quatuor diebus facta est synodus in Francia, ut non aliter, i. e. non regulariter facerent monachi, sed sicut ecclesia romana. Nam piissimus imperator Ludvicus voluit, ut monachi secundum regulam facerent officium; sed quia episcopi dicebant, non esse bonum, ut in his diebus se discordent a romana ecclesia in officiis canendis, deinde fuerunt abbates quidam, qui consenserunt episcopis. Quamquam quidam non consensissent, praevaluerunt episcopi, ita tamen, ut solum in illis tribus diebus, h. e. V. feria, VI. feria et sabbato romanum officium facerent, in dominica vero non consenserunt boni abbates, sed regulariter faciunt officium. Deinde sciendum est, quia sunt multi, qui non dicunt Gloriam in responsoriis nocturnis a quinto decimo die Paschae propter passionem. Isti tales, qui ita agunt, non faciunt secundum regulam, eo quod regula in quarto et in tertio responsorio praecipit, semper Gloriam dici. Nos autem in nostro monasterio semper dicimus Gloriam exceptis in his tribus diebus, in quibus officium romanum facimus, i. e. Coena Domini, Parasceve atque Sabbato sancto. Similiter autem contra regulam faciunt, qui (quia?) non cantant Gloriam in *Venite exultemus,* cum regula praecipiat, semper cantari Gloriam post *Venite*, et ipsam Gloriam ponit terminum tarde venientibus ad officium nocturnum; ita enim dicit: *Si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omnino subtrahendo et morose volumus dici, non occurrerit, non stet in ordine suo.* Et iterum sunt multi, qui ad illud responsorium, quod ad matutinum et ad vespertinum canitur, nolunt dicere Gloriam, sed tamen nos dicimus; illi autem, qui nolunt dicere Gloriam, dicunt: ideo nolumus dicere Gloriam, quia regula non praecipit, Gloriam dici. Hi tales nesciunt regulam subtilius intelligere; jubet enim regula, ad novissimum responsorium, sive sit tertium, sive quartum, Gloriam dici, ac per hoc illud

unum responsorium, ad quod illi nolunt Gloriam dicere, novissimum est, quamvis sit unum, sicut novissimum est illud tertium sive quartum, ad quod cantanda est Gloria. Talis est sensus in isto uno responso, qualis est in illo loco, ubi de Domino dicit *primogenitus* et *unigenitus;* primogenitus enim dicitur, quia primus natus est secundum incarnationem, et unigenitus, quia tantum unus natus est de B. V. Maria, ac per hoc omnis unigenitus potest dici primogenitus, quamvis non omnis primogenitus possit dici unigenitus, quia primogenitus potest dici, sive subsequantur alii, sive non.

Cap. XV.

QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR ALLELUJA.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Alleluja tam in psalmis, quam in responsoriis. De Alleluja jam superius dictum est, cujus linguae sit et quid interpretetur, et quare translatores illud noluerunt interpretari in latinum in ipsis libris, in quibus invenitur, sicut alia verba interpretari studuerunt. Nunc videndum est, qua ratione dicit *a sancto Pascha usque ad Pentecosten*, cum Pascha dicitur totis illis quinquaginta diebus? Sed cum dicit *a sancto Pascha usque ad Pentecosten*, quasi diceret: ab initio Paschae usque ad finem Paschae. Ideo enim dicit *sine intermissione*, quia in omnibus psalmis praeter de completoriis, et in omnibus versibus et in omnibus responsoriis vult dici Alleluja. Notandum est enim, quia, cum dicit *usque Pentecosten*, intelligitur, usque ad octavam Pentecosten Alleluja cantari debere. In hoc etiam loco videndum est, quare alii dimittunt Alleluja a septuagesima, cum S. Benedictus usque ad caput quadragesimae dicit canendum esse Alleluja. Ideo dimittunt in capite septuagesimae, quia mos fuit apud antiquos, a septuagesima incipere initium quadragesimae et sic dimittebatur Alleluja. Nam antiquis usus fuit, antequam septuagesima celebraretur, in capite quadragesimae dimitti Alleluja, sicut initium quadragesimae incipiebatur, sicut etiam nunc multae ecclesiae

faciunt. Deinde, sicut diximus, quia crevit consuetudo, ut in capite septuagesimae inciperetur initium quadragesimae, [et] propterea in ipso die dimittebatur Alleluja. Sed quia recessit[1]) consuetudo incipiendi jejunium, ut non in septuagesima, sed [quamvis] in quadragesima incipiatur jejunium, tamen de Alleluja dimittendo non recessit, sed praevaluit usus, ut in septuagesima dimitteretur.

Sequitur: *A Pentecosten autem usque in caput quadragesimae omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnas dicatur.* Initium sane et causa festivitatis pentecosten paulo latius repetenda est. *Pentecosten enim dies hinc coepit exordium .... resurrectionis tradiderunt.*[2])

Pentecosten sicut et Pascha, ut idem Isidorus dicit, *apud Hebraeos celebris dies erat, quod post quinque decadas Paschae celebrabatur, unde et vocabulum sumpsit*; *»pente« enim graece, latine »quinque« dicitur. In quo die secundum legem panes propositionis de novis frugibus offerebantur. Cujus figuram annus jubilaeus in testamento veteri gessit, quae nunc iterum per figuram repromissionis aeternam requiem praefigurat.*[3]). — Et hoc intuendum est, quia intentio S. Benedicti est: [ut] sive sit festivitas sanctorum in Pentecosten, semper vult[4]), ut et responsoria et psalmi et versus cum Alleluja dicantur. Similiter etiam intentio est S. Benedicti, ut post Pentecosten numquam dicatur responsorium cum Alleluja, sive sit festivitas sanctorum sive non festivitas sanctorum, unde nos ipsum responsorium[5]), quod in Epiphania canitur cum Alleluja, ob hoc dimisimus illud.[6]) quia regula praecipit, ut nunquam dicantur responsoria cum Alleluja, et rel. Et hoc notandum est, quia definitum est in synodo, ut dominica Septuagesimae, quando Alleluja

[1]) sed quamvis recesserit (?).
[2]) S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 34. n. 1—6.
[3]) S. Isidori etymolog. lib. 6. c. 18. n. 4. 5.
[4]) sive non sit festivitas sanctorum, semper vult etc.
[5]) in ipso responsorio (?).
[6]) scil. Alleluja.

dimittitur, debeant responsoria etiam cum Alleluja cantari, et, quia ibi dimittitur, ideo debent cantari. Sed sunt alii monachi studiosiores, quam illi, qui consenserunt, et dicunt: Nolumus in illa dominica cantare, ut si in aliis dominicis regulam observamus, quare debeamus uno die transgredi regulam? Nos autem in nostro monasterio similiter non cantamus responsorium cum Alleluja in Septuagesima, sed de psalmis canimus responsoria, quae in septimana cantantur, eo quod regula dicit: *Nunquam vero responsoria dicantur cum Alleluja nisi a Pascha usque ad Pentecosten.*

Sequitur: *Omni vero dominica extra Quadragesimam cantica, matutini, prima, tertia, sexta, nonaque cum Alleluja dicantur, vespera vero jam cum antiphonis dicatur* et rel. Sunt autem multae regulae, quae habent *cantica ad matutinos;* sed non potest stare talis locutio, quia subsequitur: prima, tertia, sexta, nona. Melius est enim dicere: cantica, matutini. Sunt qui intelligunt, *matutini* genitivi casum esse, ut sit sensus: cantica in matutino, quia cantica pro psalmis esse dicta intelligunt et dicunt: illa vero cantica, quae ad vigilias jussit dici in dominica, nil impediunt, eo quod jam dixerat superius. Sed melius est, ut *cantica* sit nominativus, similiter etiam sit nominativus *matutini*, ut sit sensus: cantica, quae ad vigilias canuntur. Matutini vero attinent ad psalmos matutinales. — Nunc autem videndum est, quare consuetudo est sanctae ecclesiae, dimittendi Alleluja in capite Quadragesimae, cum *Alleluja* interpretatur *Laus Christi*, et nos quotidie Deum laudamus dicentes: *Laudate Dominum de coelis.* Sciendum est enim, quia propter vocem et sonum ipsius Alleluja, eo quod vox illius laetitiae est et gaudii, non propter sensum, tempus autem Quadragesimae est luctus et poenitentiae: et ideo non sibi conveniunt illa duo, i. e. vox *Alleluja*, quae significat laetitiam et gaudium, cum tempore Quadragesimae, ubi luctus et poenitentia est. Ac per hoc sancti Patres constituerunt, ut sicut ea, quae ad laetitiam et gaudium attinent, i. e. vestimenta et alia delectabilia, tempore Quadragesimae

propter poenitentiam et luctum sint dimittenda, ita etiam Alleluja propter vocem, quae gaudium significat, dimittendum esse constituerunt. Unde etiam post resurrectionem, quia illi dies gaudii et laetitiae sunt, censuerunt, sine intermissione esse canendum, eo quod ipsius vox gaudium et laetitiam demonstrat.

Cap. XVI.

QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR.

Ut ait propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nunc quasi interrogare se videtur S. Benedictus, cum dicit: *Qualiter divina opera per diem agantur*, et iterum quasi respondisse sibimet videtur, cum dicit: *Ut ait propheta: Septies in die laudem dixi tibi* — ac si diceret aliis verbis: Septies in die laudes Deo referendae sunt, ut dicit propheta. Solet S. Benedictus sensum divinarum scripturarum ad suum trahere, sicuti in hoc loco facere videtur, quamquam alii doctores aliter intelligant. Istud enim quod dicit propheta: *Septies in die laudem dixi tibi*, secundum proprium sensum suum intelligitur, i. e. semper laudem dixi Tibi, septies enim pro *semper* ponitur; et quod semper laudem referebat Domino, alibi manifestat idem propheta, cum dicit: *Semper laus ejus in ore meo.* Ille enim semper laudes refert Deo, cujus devotio semper in Deo consistit. Sive enim dormiat sive vigilet, semper laus Domini in ore ejus est. Quia cognovit B. Benedictus, non semper posse os corporis laudem Deo referre sicut in corde,[1]) ideo hunc sensum scripturae hujus ad suum sensum traxit, et intellexit, eum etiam de horis, in quibus jussit Deo laudes esse referendas, dictum fuisse. Quia os corporis, sicut diximus, non potest Deum laudare, sicut os cordis, ideo constituit horas, ut saltem in his temporibus Deo omnipotenti referre laudes queat: i. e. *prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorioque tempore nostrae servitutis officia persolvamus.* Senarius enim numerus ideo sacratus dicitur, quia perfectus

[1]) sicut cor (?), vel: sicut os cordis (?)

est et pro perfectione ponitur. Perfectus enim est secundum auctoritatem divinae scripturae, quia in sex diebus creavit Deus omnia secundum saecularem artem, eo quod in suis partibus divisus efficitur. Habet enim partes tres: i. e. unum et duo et tria; si enim dividitur per sex, habet unum, quia sex uni sex faciunt; si autem dividitur per duo, habet tria, quia si dividitur per medium, illius media pars tria sunt; si vero dividitur per tria, habet duo, ter enim duo similiter sex faciunt. Ac per hoc junge unum, duo atque tria, sex faciunt. Septenarius enim numerus perfectus est, sed alio modo, sicut dicit B. Gregorius: *Quia omne bonum opus septem per Spiritum virtutibus agitur, ut et fides simul et opera consumentur.*[1] Quare enim laudes Deo referre debeamus tam in die quam in nocte, manifestat, cum subjunxit *super judicia justitiae suae.* Istud enim *super* pro *propter* ponitur in hoc loco, ac si diceret: propter judicia justitiae suae, quia judicia Dei incomprehensibilia sunt. Et quamquam incomprehensibilia sint in aliis, maxime tamen in massa generis humani incomprehensibilia esse cognoscuntur, eo quod de ipsa massa salvantur alii et alii pereunt. Verumtamen credendum est, quia, qui salvantur, gratuita misericordia Dei salvantur, et qui pereunt, justo judicio Dei pereunt. Reddit enim causam, cujus sint ipsa judicia, cum subjunxit *justitiae suae*, h. e. aequitatis suae, eo quod judicia Domini ex justitia procedunt. Deinde, quia docuit, etiam nocte esse surgendum ad laudes Deo referendas, voluit confirmare per exemplum auctoritatis divinae adhibens exemplum David prophetae dicens: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, quatenus ei facilius crederetur. Dicit enim, dixisse ipsum David: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Verumtamen animadvertendum est, quare S. Benedictus adhibuit exemplum de media nocte, cum ipse non media nocte, sed octava hora noctis praecipit esse surgendum ad laudes Deo referendas. Cui respon-

[1]) Moral. lib. 35. in cap. 42 B. Job. v. 13. *Septenarius in ea perfectus est, quia omne opus bonum per septem Spiritus sancti virtutes agitur* . . . . (cf. Migne, tom. 76. col. 773).

dendum est: Quamquam[1]) S. Benedictus causa discretionis atque temperamenti octava hora noctis praecipit esse surgendum, hoc testimonium non congruat et conveniat, quantum ad horas attinet, suae praeceptioni, tamen congruit quantum attinet ad noctem, eo quod sive octava hora surgamus, sicut Benedictus dicit, sive media nocte, sicut dicit propheta, tamen in nocte surgimus. Ille enim quoniam non habuit, unde congruentius adhiberet exemplum ad confirmandam suam praeceptionem adhibuit istud exemplum, ubi de media nocte dicitur esse surgendum. In hoc loco sollertius intuendum est, quia ille laudes Deo refert, qui hoc, quod ore dicit, corde cogitat, et propterea vigilanter S. Benedictus subjunxit, cum dicit: *His temporibus referamus laudes*, et statim adjecit *creatori nostro* — quasi diceret: Ita laudes referamus, ut creator noster cognoscatur. Nam sunt multi, qui videntur laudes referre, sed non referunt Deo, quia hoc, quod ore dicunt, corde non intendunt. Et ideo admonendi sunt monachi, ut, cum audiunt signum, sicut dimittunt ea, quae habent in manibus, ita etiam quae habent in corde, dimittant, quia nil valet, manibus dimittere et corde gestare; nam tolerabilius est manibus gestare opus et corde dimittere, quam manibus dimittere et corde gestare. De hoc quod dicit: *Nocte surgebam ad confitendum tibi*, bene B. Ambrosius, episcopus Mediolanensis, in tractatu *Beati immaculati* (v. 62.) exponit hoc modo dicens: *Non tibi dicit propheta, ut tantummodo . . . . possit incursus.*[2])

Cap. XVII.

QUOT PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI SUNT.

Aptum enim ordinem tenuit S. Benedictus in eo quod superius distinxerat tempora, quibus officia divina agenda sint, et nunc subjunxit, quanti psalmi per easdem horas canendi sunt. Dicit enim: *Jam de nocturnis vel matutinis*

[1]) Post *quamquam* omissum esse videtur *quia* vel *cum*.
[2]) cf. Migne, tom. 15. col. 1313 num. 45. 46.

digessimus ordinem psalmodiae; nunc de sequentibus horis videamus: Prima hora dicantur psalmi tres singillatim et non sub una Gloria, hymnus ejusdem horae post versum: »Deus in adjutorium meum intende,« antequam psalmi incipiantur. Post expletionem vero trium psalmorum recitetur lectio una, versus et Kyrie eleison, et missae sunt. Tertia vero, sexta et nona eodem ordine celebretur: oratio, i. e. versus, hymni earundem horarum, terni psalmi, lectio, versus, Kyrie eleison et missae sunt.

Missae duobus modis intelligunt sapientes: *fiant missae*, i. e. fiant absolutiones; sive alio modo dicuntur *missae* transmissiones, ut attineant ad illam orationem, eo quod per officium sacerdotis orationes populi diriguntur ad Deum; unde dicit sacerdos: *Exaudi Domine vocem populi tui* et reliq.

Sequitur: *Si major congregatio fuerit, cum antiphonis, si vero minor, in directum psallantur.* Congregatio ergo est, ubi duodecim fratres sunt. Bene duodecim fratres sunt congregatio, quia possunt illi suam implere legem. Verumtamen et hoc in deserto; nam prope civitatem non est bonum, tantum duodecim monachos esse sub uno abbate, quia, si omnes miseris per singula officia, non etiam plene sufficiunt ad honestatem diversorum hominum, qui ad monasterium veniunt; propterea quia est prope civitatem, major debet esse congregatio, i. e. quam duodecim. In hoc loco notandum est, quia, cum dicit B. Benedictus: *si vero minor congregatio fuerit, in directum psallantur*, non dicit, ut sua intentio sit, ut non etiam psallantur cum antiphonis, sed propter gravitatem, ne videatur grave esse, si minori congregationi juberet psallere cum antiphonis sicut majori. Nam major congregatio potest cum antiphonis psallere, quia possunt se invicem adjuvare; nam si minor congregatio cecinerit, non facit contra regulam, tantum ut sine murmuratione fiat.

Sequitur: *Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur, post quos psalmos lectio recitanda est, inde responsorium, Ambrosianus, versus, canticum de evangelio, litania et oratio dominica, et fiant missae. Com-*

pletorium autem trium psalmorum dictione terminetur, *qui psalmi directanei sine antiphonis dicendi sunt, post quos hymnus ejusdem horae, lectio una, versus, Kyrie eleison, benedictio*, *et missae fiant*, i. e. orationes sive supplicationes monachorum transmissae ad Deum. *Synaxis* graece, latine *conventus* dicitur, i. e. ubi conveniunt in simul fratres; et non solum de vespera *synaxis* dicitur, sed etiam de prima, tertia et reliq. Quamvis S Benedictus de illo conventu dicat, qui in ecclesia colligitur, tamen secundum instituta et collationes Patrum de omni conventu, qui extra oratorium fiebat, synaxis dicebatur. Nam quid sit psalmus sive hymnus atque versus necnon etiam et canticum et lectio, superius jam diximus.

Cap. XVIII.

QUO ORDINE IPSI PSALMI DICENDI SUNT.

Inprimis semper horis diurnis dicatur versus: »Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina,« et Gloria; inde hymnus uniuscujusque horae et rel. — In hoc vero loco, ubi S. Benedictus dicit: *hoc praecipue commonentes: si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit, dummodo omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur, et dominico die semper a capite repetantur ad vigilias: quia nimis iners devotionis suae servitium ostendunt monachi, qui minus psalterium cum canticis consuetudinariis per septimanae circulum psallunt, dum* [*quando*] *legamus, sanctos patres nostros uno die strenue implerisse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus*[1]) — sunt multi monachi minus intelligentes hunc locum dicentes: Ecce S. Benedictus dedit licentiam, ut, si volumus, possimus canonicum officium facere, quia melius est non regulare. E contrario sunt

[1]) Anacoluthon (?).

alii, qui respondent dicentes, non esse verum, ut ille omnimodo licentiam dedisset, ut aliud officium canendum fuisset, quia more sanctorum doctorum locutus est. Sancti enim doctores definiunt causam profundius, quae melius non potest definiri, et tamen post definitionem causa humilitatis dicunt: si alius judicaverit melius, faciat,[1]) veluti B. Gregorius in libris moralium facit. Ille enim, cum de onagro secundum duos sensus nobiliter definisset, dicit hoc modo: *Haec autem de onagro exposita sub duplici intellectu sufficiant. Lectoris vero judicio relinquendum est, quid magis duxerit eligendum; et si utriusque expositionis intelligentiam fortasse despexerit, libenter ipse lectorem meum subtilius veriusque sentientem velut magistrum discipulus sequor, quia mihi proprie donatum credo, quidquid illum me melius sentire cognosco. Omnes enim, qui fide pleni de Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus, et in ejusdem veritatis potestate est, utrum per me sonet alteri, an per alterum mihi.* Ac per hoc cum ita sit, i. e. per humilitatem dictum, unde cognoscitis, melius esse officium romanum quam regulare? Scimus enim veraciter, quia officium romanum sanctum est, videlicet duobus modis: sive quia ipsa verba divina et sancta sunt et salubria, sive quia multi sunt sancti et pii homines, qui illud cantant et illud cantando Deo omni modo placent. Similiter officium regulare omnimodo sanctum est, sive quia ipsa verba divina et sancta sunt, quae canuntur: nam ipsa verba resonant in officio regulari, quae resonant in officio romano, quamvis non eodem per omnia ordine. Deinde sancti etiam sunt et pii, qui illud officium regulare decantant, et ipsum decantando Deo omnimodo placent, maxime cum B. Gregorius, qui dicitur romanum officium fecisse, regulam B. Benedicti laudavit, dicens hoc modo: *Hoc vero nolo, te, Petre, lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinae quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam dis-*

[1]) cf. supra cap. 7. p. 256

cretione praecipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulae omnis magisterii illius actus invenire, quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit. Ecce, laudavit B. Gregorius regulam, quia illam legit, et nisi legeret, non laudaret. Et cum legeret, invenit ibi ipsum officium regulare et illud laudavit, quia non excepit dicens: discretione praecipuam, excepto officio, quod inibi continetur. Quod si ille laudavit officium regulare, qui canonicum scripsit: qui estis vos, qui audetis contra vestrum magistrum dicere, melius esse officium romanum quam regulare? O quam indecorosum et inhonestum atque superbum sonat, in his causis discipulos non laudare et velle relinquere, quod magister illorum humiliter laudavit et amplexus est, h. e. amavit. Magister enim illorum laudat, et discicipuli illius nolunt recipere, quod cognoscunt magistrum laudasse et amplexum fuisse, sicuti ipse jam fatus B. Gregorius laudavit atque amplexus fuit Benedicti officium. Denique dicunt: S. Benedictus non concessit, ut totum officium suum relinquatur, sed tantum ipsa distributio psalmorum. Ille enim distribuit et ordinavit, qui et quanti psalmi per unumquodque officium canendi sint, et subjunxit: *Si forte alicui displicuerit haec distributio psalmorum, ordinet aliter, si melius judicaverit, dummodo omnimodis id attendatur, ut totum psalterium cum suis canticis per septimanae circulum psallatur.* Ac per hoc vos, qui relinquitis officium regulare, quid facitis de intervallo, quod B. Benedictus praecipit meditatione inservire? quid facitis de hymnis et de lectionibus, quando duodecim leguntur, et de tribus canticis, quae tunc canuntur? Et iterum si romanum officium facitis, minus psallitis, quam regulae officium contineat; nam[1]) in hebdomada post Pascha, quae vocatur alba, et in hebdomada Pentecosten, in quibus totum psalterium non canitur, quod praecipit regula per unamquamque septimanam omnimodo esse canendum cum can-

[1]) nam = v. gr. (?)

ticis suis, quia, si non fuerit cantatum, nimis iuers h. e. negligens ostenditur esse devotionis monachorum servitium, maxime cum plus debent monachi quam canonici in officiis laborare? Canonici enim aliquando propter populorum turbam et feminarum atque infantum non possunt prolongare suum officium, a quibus impedimentis monachi liberi et expediti existunt. Et ideo cum ita agitis, i. e. cum officium romanum facitis, non videmini amatores esse sanctae regulae sed transgressores; quia illi, qui amatores hujus vitae sunt, nolunt aliud officium canere quam regulare. Quod vero dicit *uno die strenue implevisse* — quasi diceret: uno die totum psalterium cantasse; et non est intelligendum *uno die*, ut tantum semel, h. e. ut unus fuisset dies, in quo psalterium totum cantassent, sed cum dixit *uno die* — quasi diceret: per singulos dies, i. e. in unoquoque die. *Strenue* i. e. diligenter et studiose, non negligenter et tepide.

Sciendum est enim, quia sunt nonnulli, qui pro aliquo impedimento volunt mutare psalmos, i. e. v. gr.: cum sunt in via et praeoccupat eos dies, in ea nocte, in qua majores psalmi canendi sunt, veluti sunt: *Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat*, tunc volunt canere pro eisdem psalmis majoribus minores psalmos, veluti sunt: *Ad Dominum cum tribularer*, dicentes: [quia] audemus hoc facere, quia regula dicit: duodecim psalmi per unamquamque constituantur noctem. Hi tales convincuntur in eo, quod *digesto ordine psalmodiae diurnae reliqui omnes psalmi. qui supersunt, aequaliter dividantur in septem noctium vigiliis, partiendo scil. qui inter eos prolixiores sunt psalmi*; qui cum mutant, non dividunt, et cum non dividunt, transgressores fiunt hujus praecepti. Levius est enim illos dividere psalmos et ordine suo cantare etiam per diem, quam mutare et non dividere. — Quod enim dicit *uniforme cunctis diebus servata*, ad numerum attinet — ac si diceret aliis verbis: quot psalmos, quot hymnos, quot versus, quot lectiones in uno die dicit, tot dicat in alio.

Cap. XIX.

DE DISCIPLINA PSALLENDI.

Disciplina a discendo dicitur, eo quod *discitur plene;* sive disciplina est eruditio vel doctrina psallendi. Rectum ordinem S. Benedictus tenuit in hoc loco in eo, quod prius dixit de officiis divinis et postmodum subjunxit *De disciplina psallendi.* Prius enim dixit, qui et quanti psalmi canendi sunt per ipsa officia, nunc vero dicit, cum quanta devotione cordis et moderatione atque studio ipsa officia agenda sint.

Sequitur: *Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini speculari bonos et malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. — Ubique* dicitur, i. e. in omni loco. Oculus vero Dei dicitur illa vis divina, qua cuncta videt, sicut auris Dei dicitur illa vis divina, qua cuncta audit. Et bene dicit, oculos Domini respicere bonos et malos, quia Deus duobus modis respicit homines: bonos respicit, ut corrigantur, sicuti respexit Petrum, de quo dicitur: *Respexit Dominus Petrum, qui exiit foras et flevit amare;* de malis vero dicitur, ut puniantur et condemnentur, sicut legitur: *Respexit Deus castra Aegyptiorum;* postea justo judicio Dei sicut plumbum demersi sunt in profundum maris. Sic etiam sol, qui creatura ejus esse creditur, facere videtur. Nam sol cum respicit ceram, facit eam liquescere atque defluere et duritiam ejus mollescere: si vero respicit lutum, facit eum siccum et mollitiem ejus constringit. Et hoc sciendum est, quia quamvis bonos et malos potentialiter aequaliter speculetur, sed[1]) super bonos per gratiam abundantior et gratiosior est ejus visus. Sed qualiter Dominus ubique esse intelligendus sit, docet B. Gregorius hoc modo dicens: *Deus autem ubique esse dicitur, quia ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, et exterior*

---

[1]) tamen (?).

per magnitudinem et interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans; nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior, sed unus idemque totus ubique: praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans; unde superius praesidens, inde inferius sustinens; et unde exterius ambiens, inde interius replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.[1]) — Nunc videndum est, quare S. Benedictus dicit: *maxime cum ad opus divinum assistimus*, cum Deus totus ubique est nec hic plus est quam illic, sed sicut dixi, totus ubique est. Cum vero dicit: *maxime cum ad opus divinum assistimus*, istud *maxime* ad nos referri potest, non ad Deum, quia nos maxime tempore orationis videmus nos a Deo videri. Nam propterea dedit Dominus verba orandi et ipsa etiam pauca verba, ut nos, cum ad orandum Deum assistimus, intendendo vim verborum, tranquilletur et serenetur nostra mens ad perfruendam illam lucem invisibilem, quantum humana natura permittit eo quod nos non possumus Deum semper videre propter diversas praeoccupationes terrenas, quibus implicamur. Duplicatur enim nostra mens, et noster obtutus non est simplex ad Deum intuendum.

Sequitur: *Ideo memores simus, quod ait propheta: Servite Domino in timore*, ac si diceret aliis verbis: quia nos non possumus sic alio tempore Domino contemplari, sicut tempore orationis, [et] ideo cum ad illud opus divinum assistimus, simus memores, quod dicit propheta: *Servite Domino in timore* — ac si diceret aliis verbis: tempore psalmodiae cum timore et tremore Deo debemus assistere, sicut dicit propheta. Sed hoc notandum est, quia iste timor non debet esse servilis, sed castus, i. e. ita debemus Deo assistere,

[1]) Moral. lib. 2. in cap. 1. B. Job. v. 12 (Migne, tom. 75, col. 565)

sicut filius assistit dilectissimo patri, quatenus valeamus, quantum humana fragilitas sinit, ejus praesentiam cognoscere et intelligere. Et iterum credendum est, quia Deus ubique est et non est particulariter, quia non habet partem sed totus est ubique. Quod autem dicit: *maxime cum ad opus divinum assistimus*[1]) — non accedendo, sed quia nos, cum illum cogitamus aut illum intendimus, quantum humana fragilitas permittit, [nos] illi viciniores existimus. Nam ille totus est in domo, totus in ecclesia, totus in coelo, et totus ubique; sed nos quantum plus illum cogitamus, tanto plus cognoscimus ejus praesentiam et magis intelligimus, in quocunque loco illum cogitamus et eum laudamus. Quod vero dicit: *Servite Domino in timore*, propheta dicit,[2]) ut omnis servitus i. e. obedientia, sive lectio et reliqua alia servitia Dei cum timore et tremore agenda sint. S. vero Benedictus dicit de officio divino hunc sensum, ut mens ipsorum divinorum concordari debeat voci eorum. Istum vero versiculum qualiter B. Gregorius intelligat, dicendum est; ait enim:[3]) *Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen de tentatione suspecti sint, quippe quibus dicitur: »Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore«, ut de spe exultatio et de suspicione nascatur tremor.*

Sequitur: *Et iterum: »Psallite sapienter«.* Bene cum dixit *psallite*, subjunxit *sapienter*. Nam sunt multi, qui psallunt non sapienter, sed insipienter. Ille enim psallit sapienter, qui quod ore dicit, corde cogitat. Nam ille, qui, quod ore dicit, corde non cogitat, insipienter psallit. In hoc enim loco admonendi sunt cantores, ut cum psallunt, non cupiant placere voce, sed verbo, quia si verba placuerint illis, prospera populi cupiunt atque salutem, i. e. conversionem. Nam si voce sua illis solummodo desideraverint placere, non salutem illorum optant, sed vanitatem suae gloriae.

Sequitur: *Et: »In conspectu angelorum psallam tibi.«* Qualiter iste locus, qui dicitur: *Et »in conspectu angelorum«*

---

[1]) Anacoluthon (?). [2]) vult (?).

[3]) Moral. lib. 20. in cap. 19. B. Job. v. 24. num. 8.

psallam tibi, intelligendus sit, docet Cassiodorus hoc modo dicens:[1]) *Hic psalmodiae virtus ostenditur, ut qui puro corde inter homines psallit, etiam sursum cum angelis canere videatur. Adjecit quoque: »in conspectu angelorum«, ut eam angeli non solum audire, verum etiam probentur intendere. Illud enim dicimus respici, quod potest serenis mentibus intueri. Sive illud tempus significat, quando populus beatorum post resurrectionem cum coelestibus creaturis laudes Domino sub communione cantabit.* Istud enim, quod dicit *In conspectu angelorum psallam tibi*, duobus modis intelligi potest: uno modo intelligitur, quia, cum psallimus Deo, assistentibus angelis psallimus, quia Deus non est sine suis nuntiis atque ministris; altero modo intelligitur, quia si nos intendimus corde, quod ore dicimus, nostra intentio intentioni angelorum jungitur.

Sequitur: *Ergo consideremus, qualiter oporteat in conspectu divinitatis et angelorum ejus esse.* Istud *ergo* superius respicit, i. e. ac si diceret: Ergo, si ita est, i. e. si cum timore Deo serviendum credimus esse [illi] et in conspectu angelorum illi psallimus, consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu divinitatis et angelorum ejus esse — subaudiendum est enim: cum timore et reverentia, quatenus valeamus cognoscere et intelligere, quantum humana infirmitas permittit, ejus praesentiam.

Sequitur: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra voci nostrae concordet.* Et hoc sciendum est, quia hoc, quod dicit: *mens nostra concordet voci nostrae*[2]) — quid intelligendum est de illo simplici, qui ignorat intellectum illius versiculi, quem cantat, quia psalmus aut dicit de destructione Jerusalem aut de vocatione gentium aut de Christi nativitate vel passione aut resurrectione? Si autem, quamvis non intelligat vim versiculi, tamen [si] non de amico vel parente aut de aliqua causa seculari cogitaverit, sed aut de minore, aut illum versiculum, aut majus, tantum ut de Deo sit hoc, quod cogitat, hanc sententiam implet.

---

[1]) Exposit. in psalm. 137. v. 1. [2]) Anacoluthon (?).

V. gr. cantas: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo:* tunc si cogitaveris, quia Domini est terra, concordavit mens tua voci tuae, quantum ipse versiculus dicit; si autem cogitaveris, quia non solum terra est Domini, sed etiam coelum et omnis creatura sive spiritalis sive corporalis, tunc plus cogitasti, quam ipse versiculus dicat. Si autem cogitaveris in illa hora, quomodo Dominus disponit plebem vel civitatem aut certe unumquemque hominem, tunc minus cogitasti, quam ipse versiculus dicat. Sciendum est enim, quia haec sententia, qua dicitur: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae,* hoc generavit capitulum admonens videlicet nos, ut sic simus studiosi ad psallendum, quatenus, quantum fragilitas permittit humana, hoc cogitemus in mente, quod canimus in ore. Et si ita est agendum, quid dicendum est de his, qui tempore psalmodiae loquuntur aut aliquid disponunt? Quomodo enim mens illorum concordat cum vocibus suis, cum relinquunt psalmodiam et alia loquuntur, maxime cum ipse S. Benedictus dicat: *Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant et agatur reverentia Deo, ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate?* Ac per hoc isti duobus modis videntur esse rei et culpabiles: uno enim modo in eo, quod se manifestant non studiose, sed tepide et negligenter suum votum Deo omnipotenti persolvere, cum non solum corde non cogitant sicut cogitare de ipsa psalmodia debent, sed etiam ore non dicunt; altero vero modo: aliis impedimentum praebent, quod omni modo cavendum est, sicut regula dicit: *ne alter sua improbitate, sicut dictum est, impediatur.* Nam quam studiose atque diligentissime psallendum sive orandum sit, docent nos instituta patrum dicentes[1]) hoc modo: *Cum igitur praedictas solemnitates .... brevitate vitemus.*[2])

[1]) dicendo (?), dicens (?). Vocabulum *instituta* ab Hildemaro plerumque veluti feminini generis primae declinationis usurpatur.

[2]) Cassian: De coenobb. institutis lib. II. cap. X.

Cap. XX.

DE REVERENTIA ORATIONIS.

Quia superius exposuit, qualiter esset psallendum, congrue nunc subjunxit: *De reverentia orationis.* Cassiodorus in psalmo XVIII, ubi dicitur: *Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi*, sic loquitur dicens, ait enim: *Permixto enim cum pavore dilectionis timore Domini, qui usu saeculari reverentia nuncupatur,*[1]) i. e. timor et dilectio una simul cum reverentia gignunt invicem orationis frequentationem cum pietate nimia et deprecatione assidua.

Sequitur: *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus.* Bene enim dicit: *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia,* quia hoc exemplum omnibus notum est, cum quali reverentia principi vel potenti est loquendum. Quare cum timore et honore voce submissa loquitur? quia manifestum est: si quis non cum honore et humilitate locutus fuerit principi, non solum non merebitur impetrare, quod postulat, verum etiam damnum sibi acquirit — quasi diceret aliis verbis: Si homini, qui vermis et cinis est, loquitur cum honestate et humilitate, quanto magis cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est Deo, qui est omnium creator et rector? Bene, cum dixit humilitatem, praemisit *omni*, i. e. corporis et animae, h. e. sicut humiliamus et flectimus corpus, ita et anima flectenda est, quia nil valet una sine altera.

Sequitur: *Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus.* Sic enim Dominus in evangelio prohibet dicens: *Orantes autem nolite*

---

[1]) In editis Cassiodori exemplaribus legitur ita: *Mixta enim cum pavore dilectio timor est Domini, qui usu saeculari reverentia nuncupatur.*

multum loqui. Sunt enim multi, qui putant, Deum flecti posse multis verbis. Multa enim verba in oratione fundere paganorum est; [quia] Deus inspector est cordis. Dicit enim B. Benedictus *non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum*, h. e. in corde mundo et compunctione lacrimarum nos a Domino exaudimur, eo quod *veraciter orare est*, sicut papa Gregorius docet,[1]) *amaros in compunctione gemitus et non composita verba resonare.* Voces autem apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Hinc est quod in eremo populus perstrepit, et Moyses a strepitu verborum tacet, et tamen silens aure divinae pietatis auditur, cum dicitur: *Quid clamas ad me?* Intus est ergo in desiderio clamor secretus, qui ad humanas laudes non pervenit et tamen auditum conditoris replet.

Sequitur: *Et ideo brevis debet esse et pura oratio nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur.* Mos est Graecorum frequenter orare et parum. Tamdiu enim debemus in oratione prostrati jacere, donec Domino juvante cogitationes vanas comprimamus. Si autem videmus, nos superari a cogitationibus, et jam non delectamur in oratione jacere, surgendum est; deinde aut legendum vel psallendum aut operandum est. Et quia cognovit B. Benedictus, non posse humanam mentem propter infirmitatem suam diu in oratione sine perturbatione malarum cogitationum jacere, ideo dixit, brevem esse orationem debere. Nam quamvis aliis temporibus patiamur perturbationes cogitationum, maxime tempore orationis, et quia oratio munda a vanis cogitationibus debet esse et cum compunctione lacrimarum pro infirmitate humana, ideo debet brevis esse. Et bene dixit: *nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur* — ac si diceret aliis verbis: Humana infirmitas diu in oratione non potest persistere sine perturbatione malarum cogitationum, nisi divina gratia inspirata fuerit. Et hoc notandum est, quia contrarium non est, quod Gre-

---

[1]) Moral. lib. 33. cap. 22. in cap. 40. B. Job. v. 3. num. 43.

gorius dicit in homilia sua de coeco nato, ubi dicit:[1] *Cum in oratione phantasmata patimur, necesse est, ut vox cordis nostri, quo durius repellitur, eo valentius insistat, quatenus cogitationis illicitae tumultum superet, atque ad pias aures Domini nimietate suae importunitatis erumpat.* Ceterum in oratione non debet multum persistere, eo quod, sicut S. Benedictus dicit, brevis debet esse pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur. Et hoc in loco animadvertendum est, quia ante debet esse praeparatio cordis, ut tempore orationis Deo mundam exhibere orationem valeat.

Sequitur: *In conventu tamen omnino brevietur oratio* — ac si diceret aliis verbis: quamquam divina gratia proteletur oratio, tamen in conventu omnino brevietur oratio. Non enim dicit de illa oratione, quam presbyter dicit vel capitula, sed de oratione uniuscujusque, qua in conventu unusquisque monachus orat. Nam statutum est, quanta capitula debet presbyter dicere vel orationem in conventu. In eo autem, quod dixit: *in conventu tamen omnino brevietur oratio*, ostenditur, et alio tempore esse orandum. Sed ista oratio ita videtur mihi esse melior, h. e. ut cum in voce tam orationem dominicam quam reliquas orationes sacerdos dicit, non debes verbis orare aliud, sed illam orationem corde attendere, et ita attendere, ut cum *per omnia saecula* dicit sacerdos, tu respondeas *Amen*. Si autem in secreto dicit sacerdos orationem dominicam aut alias, sicut ad missam super oblatam, tu velis in verbis ita ut in corde, velis etiam in corde tantum sine verbis, potes orare; sed ita debes breviare orationem tuam, quatenus cum sacerdos dicit *per omnia saecula saeculorum*, tu finita oratione tua respondeas *Amen*; verumtamen ad completorium non ad illud *Amen*, quod respondetur ad orationem sacerdotis, sed ad illud *Amen*, quod respondetur ad benedictionem sacerdotis, eo quod tunc ad ipsum officium Completorii tamdiu debes jacere, quoadusque dicat sacerdos: *Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti*, et tu erectus respondeas *Amen*.

---

[1]) XL homiliarum lib. 1. hom. 2 n. 4.

Sequitur: *Et facto signo a priore omnes pariter surgant.* Sunt enim, qui intelligunt, illud signum esse, cum dicit presbyter *per omnia saecula saeculorum*, quatenus tu surgens respondeas *Amen*, sive sit in te inspiratio divina, qua possis diutius orare, sive non sit, eo quod nullatenus surgentibus aliis et tu solus debeas in oratione jacere. Nam si donum accepisti diu prolongandi orationem tuam, debes tamen pariter cum aliis fratribus surgere propter praeceptum regulae, quod dicit *omnes pariter surgant;* postea vero finito praedicto signo surgendi debes remanere in oratorio, ita tamen, si ante significatum fuerit, h. e. manifestum abbati hoc donum, quod accepisti, diu orandi. Et tamdiu debes orare, quoadusque perfruaris ipso dono orationis, quod accepisti. Iterum sunt alii, qui istud signum, ad quod praecipit regula, esse surgendum, intelligunt, istud signum esse illud ultimum, quod tangitur ad vigilias, ad matutinam, ad primam, ad tertiam, ad sextam, nonam, vesperam, atque completorium, quatenus, cum tactum fuerit, paratus sit monachus stans in choro ad respondendum dicto: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* V. gr. ad nocturnas audit signum primum frater et festinanter pergit in ecclesiam et orat per altaria; deinde stat in aliquo angulo vel sedet, cum audito secundo signo potest ibi esse. Cum vero tertium audierit signum, si sedet, debet surgere et venire in choro, et si stat, debet venire, ut cum *Deus in adjutorium* dictum fuerit, paratus debet adesse. Non debet enim plus custodire orationem suam quam signum factum, sed signum custodiendum est. Similiter ad matutinum et primam in primo signo faciendum est, in tertia, sexta et nona in secundo signo faciendum, in vespera jam in tertio signo faciendum est hoc; in completorio vero, cum jacet in oratione, et cum primum signum dimissum fuerit, facit abbas signum, ut confiteantur; confessione autem facta omnes pariter surgant. Sed ut mihi videtur, melior est ille primus sensus quam secundus. Signum vero inclinandi est, cum dicimus *Kyrie eleison*, quia dicendo *Kyrie eleison* omnes pariter debemus inclinari, eo quod

regula jubet, hoc ita fieri, ubi dicit *supplicatio litaniae*. Cum enim dicit *supplicatio litaniae*, datur intelligi, quatenus dicendo *Kyrie eleison* genuflectere debeant, et sic finiri unumquodque officium dicendo orationem dominicam seu et capitula, quae instituta fuerint, atque sacerdotis orationem, quam debet post celebratum officium complendo dicere.

Cap. XXI.

DE DECANIS MONASTERII.

Jam quia B. Benedictus dixerat de officiis divinis, et dixit de reverentia orationis, nunc novo ordine aggreditur, cum de decanis monasterii disponit. Dicit enim: *De decanis monasterii.* Bene, cum dixit *De decanis*, subjunxit *monasterii*, quia sunt et plebis decani. Ait enim: *Si major congregatio fuerit, eligantur de ipsis fratribus boni testimonii et sanctae conversationis et constituantur decani, qui sollicitudinem gerant super decanias suas.* Decanus enim dicitur ille, qui super decem est, eo quod a decem dicitur esse decanus. In hoc loco, cum dicuntur *decani*, pluralis numerus esse ostenditur; est enim nominativus casus pluralis, et ideo possunt etiam de duobus dici decani. Ac per hoc cum S. Benedictus dicit *si major congregatio est*, videtur major jam congregatio esse de viginti monachis, quia duo decani super viginti possunt dici, eo quod, sicut jam diximus, decanus a decem dictus est, quanquam major congregatio secundum usum de quadraginta et triginta dicatur. Verumtamen quanquam dicatur decanus, qui super decem est, tamen secundum usum etiam qui super quindecim est, potest dici decanus. Similiter possunt etiam poni super triginta duo decani. Et bene dicit *eligantur*, et non tantum *ponantur*, quia ubi electio est, bonum separatur a malo; deinde quia non qualiscunque debet esse decanus, sed bonus, ideo S. Benedictus dixit *eligantur*, quasi diceret: separati a negligentibus. In eo quod dicit *de ipsis fratribus*, manifestat, quia non debent esse aliunde. Nam quales debeant esse decani, manifestat iterum cum subjunxit *boni*

testimonii et sanctae conversationis. In hoc enim loco, cum dicit *boni testimonii et sanctae conversationis*, intuendum est: sunt enim alii boni testimonii et non sunt sanctae conversationis, v. gr. sunt jucundi et affabiles aliis et etiam loquuntur pro aliis et donant aliquid aliis. Et iterum sunt alii sanctae conversationis et non sunt boni testimonii, in eo quod non sunt amabiles aliis, quia illorum sanctitas dura est et non condescendit aliis. Unde dicit B. Ambrosius in tractatu Lucae in eo loco, ubi de Zachariae justitia dicitur: *erant enim justi ante Deum sine querela: Justitia si durior fuerit, querelam habet; unde etiam dictum est: Noli multum justus esse.* Isti tales, quia sanctitas eorum dura est et non condescendit aliis, non possunt aliis proficere. Sic enim dicit Ambrosius: *sed etiam sine querela incedentes, ait, in omnibus justificationibus Domini, quod mire cum prophetico congruit dicto, quo S. Salomon in proverbiis usus est dicens: Provide bona semper coram Deo et coram hominibus.*[1]) *Nulla ergo querela est, ubi et mentis bonitas concordat et facti. Et plerumque justitia durior hominum querelam excitat.* Sive etiam sicut Beda dicit: *Sine querela, hoc est, quod Apostolus ait: »providentes bona non tantum coram Deo sed etiam coram hominibus«. Ecclesiastes vero dicit: Ne sis, inquit, multum justus, quia plerumque justitia durior hominum querelam provocat; quae vero temperata est, ipsa suae dulcedinis gratia etiam invidiae querimoniam vitat.*[2]) Ac per hoc decani et bonae conversationis debent esse in bene et sancte vivendo, quia si bonam vitam non habuerint, magis nocebunt quam proficiunt; boni etiam testimonii debent esse in affabilitate et dulcedinem habendo atque condescensionem et compassionem similiter habendo, quia si affabiles et dulces et compatientes fratribus non fuerint, magis rumpunt quam proficiant, eo quod illum fratres magis pavescunt et horrescunt, quam diligant et velint obedire. In eo vero, quod dicit *qui sollicitudinem gerant*

---

1) Proverb. III, 4.

2) Bedae expos. in Lucae c. 1. v. 6.

super decanias suas, in ista discretione duo intelliguntur: voluntas scilicet et discretio in providendo aliis. Nam sunt alii, qui volunt alios juvare, sed tamen, quia nesciunt discretionem, nihil proficiunt. Et sunt alii, qui discretionem bonam habent, sed tamen non sunt ardentes et desiderantes in profectu aliorum.

Sequitur: *in omnibus secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui.* Bene dixit *mandata Dei*, ne tantum juxta mandata abbatis agerent, et non Dei. Nam sunt multi, qui Dei mandata parvipendentes sua mandata volunt perficere. Et iterum bene dixit *et praecepta abbatis sui*, ne secundum libitum suum quidquam agerent. Nam sunt alii, qui cum honorem vel potestatem accipiunt, nolunt ad imperium aliorum agere, sed secundum voluntatem suam. Et propterea, ne parvipenderent mandata Dei et obtemperarent imperiis sui abbatis, dixit *Dei;* et ne Dei mandatis obtemperantes contemnerent praecepta abbatis sui, subjunxit *et praecepta abbatis sui.* Jam vero si praecepta abbatis a mandatis Dei discordare videntur, tunc debent praeponderare causam, sicut superius diximus in IV.° capitulo. In hoc loco animadvertendum est, quia sex species quaerendae sunt in decanis juxta hoc capitulum: prima ut boni testimonii sint, i. e. affabiles et amabiles; secunda, ut habeant bonam et sanctam conversationem; tertia, ut ardentes sint in profectu animarum: quarta, ut discretionem habeant in corripiendo et admonendo: quinta, ut Dei mandatis obtemperando praecepta abbatis sui non contemnant, h. e. ut non per suum libitum aliquid faciant, nisi sicut ab abbate eis injunctum fuerit: sexta, ut obedientes abbatis praeceptis Dei mandata non negligant. Illi enim decani eligendi sunt, qui haec sex bona habent: et si non inventus fuerit, qui haec omnia habuerit, sicut hoc capitulum dicit, creandus est, i. e. ab abbate docendus et admonendus est.

Sequitur: *Qui decani tales eligantur, in quibus securus abbas partiatur onera sua, et non eligantur per ordinem, sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam.* Notandum est enim, quia in eo quod dixit: *eligantur decani de*

ipsis fratribus boni testimonii et sanctae conversationis, quasi frenum posuit abbati, ut non passim quis eligatur, sed ille, qui boni testimonii et sanctae conversationis est. Et in eo quod dicit: *qui sollicitudinem secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui gerant,* decanis posuit frenum, ut non aliud agant, nisi quod abbas jubet et Deus praecipit. In hoc facto manifeste claret, quia praecepta abbatis secundum mandata Dei debent esse. Nam si aliter fuerit, ille decanus aut abbatem aut Deum offendit; i. e. si voluerit mandata Dei attendere, tunc offendet abbatem; si autem abbatis voluntatem voluerit implere, tunc offendet Deum. Quod usque modo dixit S. Benedictus de decanis, praelibatio fuit. Hoc autem quod subjunxit, idem est, quod superius dixit. Bene dixit *onera sua,* et non honores, quia aliis praeesse pondus est oneris, non honoris. In hoc loco, cum dicit *securus,* intuendum est, quia si una de supradictis sex speciebus defuerit decano, non potest abbas securus esse, i. e. si fuerit bonae conversationis et ardens et discretus et Dei et sui[1]) praecepto obtemperans, et non fuerit boni testimonii, i. e. amabilis fratribus, non potest securus esse, quia magis rumpit quam aedificat. Hoc vero quod dicit *meritum vitae et sapientiae doctrinam:* sex superiores species continere potest. Et bene dixit *non per ordinem,* quia in tali ratione non est custodiendus ordo, sed etiamsi ultimus fuerit, ille eligendus est, qui dignus sit, sicuti de abbate dicit S. Benedictus. In hoc enim loco intuendum est, quia ille eligendus est, qui vitam bonam et sanctam habuerit et sapiens fuerit. Jam si non potest talis inveniri, qui et vitam bonam et sanctam habuerit et sapientiam, ille eligendus est magis, qui vitam bonam sine sapientia habet, quam ille, qui sapientiam habet et non bonam vitam.

Sequitur: *Quod si quis ex eis aliqua forte inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum atque tertio si emendare noluerit, dejiciatur et alter in loco ejus, qui dignus est, subrogetur. Et de praeposito*

---

[1]) abbatis.

eadem constituimus. Nunc videndum est qua ratione S. Benedictus, cum dixit prius, decanos esse bonos septem habentes species, [et] nunc subjunxit: *si quis ex eis aliqua forte inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis?* si bonus est decanus, quomodo erit reprehensibilis? Cui respondendum est: pro duabus scil. causis dicit hoc, quia videlicet sunt multi, qui antequam accipiant honorem, videntur esse boni, quamvis diligant illud bonum, et post acceptum honorem inveniuntur mali atque superbi, eo quod non perseverent in ipso bono, sicut legitur de Saul, qui ante honorem visus est bonus et post acceptum honorem regni inventus est malus, eo quod non perseveravit in ipso bono, in quo antea bonus visus fuit; sive etiam ideo dixit hoc propter hypocritas, quia hypocritae fingunt se bonos esse, ut honorem accipiant, deinde accepto honore manifestant se in opere malos, sicut ante honorem fuerunt in corde. *Superbia inflatus*, i. e. ex indignatione inflatus. Sciendum est, quia ista superbiae inflatio potest tam pro sua quam pro subjectorum culpa descendere. In hoc enim loco notandum est, quia decanus, cum peccat in decania sua, aliter debet corrigi, aliter vero debet corrigi, si ipse peccat. V. gr. invenitur de sua decania negligens, i. e. quia non est sollicitus de suis subditis, quia, si suus subditus negligentiam fecit, [et] ille neglexerit emendare; iste talis debet prius secrete semel et secundo admoneri; si iterum inventus quis subditus ejus in negligentia fuerit, et ille neglexerit illum tunc corrigere, corripiendus est ille decanus publice pro hoc usque tertia vice. Quod si post tertiam vicem ejus subditus inventus fuerit in negligentia, ex hoc debet ille decanus tunc dejici ab illa sua decania. Si autem in se inventus fuerit negligens, v. gr. si fuerit gulosus aut in aliquo vitio deprehensus male respondens, iste talis pro hoc peccato admoneatur semel et iterum; jam tertia vice publice admoneatur. Hoc autem intuendum est, quia si alius monachus inventus fuerit in peccato in quarta vice, excommunicatus debet esse; ille vero decanus dejici debet pro culpa subditorum; pro sua videlicet culpa non debet in quarta vice dejici, si aliis

sollicitus est, sed per regularem disciplinam, h. e. per sex gradus duci, i. e. usque ad orationem; post vero debet dejici de decania sua; deinde postea si inventus fuerit in illo peccato, tunc expellatur, sicut in capitulo de praeposito judicat, quia dicit: *eadem et de praeposito constituimus.* Hoc etiam intuendum est, quia ille circa ita debet agere: v. gr. invenit fratrem in negligentia semel, debet admonere semel, et iterum secundo secrete, tertia vero vice debet ire ad abbatem ille circa et dicere: *Pater, inveni talem fratrem duabus vicibus in negligentia et admonui illum secrete duabus vicibus: nunc vero inveni illum tertia vice in eodem peccato.* Tunc abbas debet vocare illum fratrem ad se et debet illi dicere: *Quare jam tantis vicibus inventus in negligentia non emendasti?* Si ille dixerit: *mea culpa*, tunc si voluerit abbas illi parcere, potest. Si autem talis fuerit ejus negligentia, ut non possit parci, debet illi dicere: *Cras in capitulo, si mihi non occurrerit in memoriam, tu pete veniam et judicium regulare suscipe.* Deinde venit in capitulum ille frater petens veniam. Deinde dicit illi abbas surgere. Tunc dicit illi abbas: *Quid fecisti? quae est causa tua?* Ille vero respondit dicens: *Mea culpa; inventus sum in negligentia duabus vicibus et fui inde correptus similiter duabus vicibus, et mea culpa: non emendavi. Nunc quia non emendavi, volo suscipere judicium regulare.* Ille vero abbas respondens dicit: *In quantum negligentiam fecisti, nobis displicet; in quantum vero nunc petis judicium accipere regulare, placet nobis. Nunc vero vis emendare?* Ille vero dicit: *Volo Domino juvante*, et corripit illum publice. Post vero si inventus fuerit in ipsa negligentia, debet ille abbas habere ad consilium illos seniores, quos superius diximus, quantis diebus dignus sit poenitentiae subjacere, vel quam magna poenitentia debet esse. Deinde debet ille abbas venire in capitulum et ille frater, et debet dicere: *Fratres boni, quid vobis videtur de illo fratre, qui nunc in tantis vicibus correptus non est emendatus? placet, ut tali poenitentia sit dignus? Quid vobis videtur, dicite omnes.* Dicit quis: *Misericordiam considerate in illo, quia infir-*

mitate tenetur. Tunc ille abbas dicit: *Suscipiat hoc judicium, quod diximus, post vero considerabimus ejus infirmitatem.* Postea vero interrogat abbas illum fratrem, qui illum fratrem infirmum dixit esse, qua infirmitate tenetur. Si autem dicit illi talem infirmitatem, ut verum sit, tunc debet misericordiam facere pro infirmitate. Si autem ille frater non dixit verum, et considerat illius fratris qualitatem, tunc si cognoverit levem esse, corripit etiam illum pro hoc, ut altera vice ita non agat. — Hoc notandum est, quia sicut ille, qui secrete peccat, in quarta vice debet excommunicari, eo quod semel et bis secreta culpa fuit, secrete admonendus est, tertia vero vice publice arguendus, ita ille, qui publice peccat in secunda vice excommunicandus est, eo quod, cum publice peccavit, in ipsa prima vice publice arguendus est. Ac per hoc sicut illa quarta vice est secrete peccanti, ita secunda efficitur isti qui publice peccavit. Nunc videndum est, quomodo eadem sit in praeposito, cum decanum tribus vicibus praecipit corripi, quarta vero vice dejici, et praepositum quater vicibus corripi, quinta expelli? Cui respondendum est: non eadem dicit in numero correptionis, quia decanus ter et praepositus quater debet corripi, sed ut cognoscas, quando pro sua culpa debet dejici, et quando pro subjectorum. Pro subjectorum tam decanus quam praepositus, sicut hic narrat, dejiciendi sunt, si non sunt solliciti de negligentiis eorum et emendare eas studuerint, in quantum possibilitas ipsorum fuerit. Hoc intuendum est, quia decanorum officium est, custodire subditos; et si per suam admonitionem non possunt corrigere, tunc debent nuntiare abbati; aut si abbas ibi non fuerit, illi, qui in loco ejus est constitutus, est nuntiandum, [et] quia ille qui in loco ejus constitutus est, debet publice arguere aut excommunicare. Et sicut de decanis diximus, ita etiam intelligendum est de circatoribus. — *Minor congregatio* est duodecim monachi, major vero viginti aut triginta sive quadraginta aut eo amplius. Notandum est enim, quia quod dixi: decanus pro suae decaniae culpa debet expelli, manifestatur in hoc capitulo de decano, in quo dicitur: *Quique decani, si ex eis aliqua*

forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum atque tertio si non emendaverit, dejiciatur. Quod enim dixi, ut pro sua negligentia debeat admoneri per gradus, manifestatur in capitulo praepositi, ubi dicitur: *Admoneatur verbis usque quater; si non emendaverit, adhibeatur ei correptio disciplinae regularis; quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine praepositurae* et rel. Quia S. Benedictus dixit: *eadem et de praeposito constituimus*, ideo sibi invicem istae sententiae concinnant. Et hoc notandum est: cum ad orationem ventum fuerit, tunc dejici debet sive decanus sive praepositus pro sua culpa, et postea effectus improbus, si vult abbas, aut flagellum aut castigatio corporalis illi adhibeatur. Castigatio quippe corporalis est aut flagellum aut nimium jejunium; nam oratio non est castigatio corporalis. Forte dicit aliquis: Quare pro decaniae culpa dejici debet in quarto gradu, et pro sua culpa post orationem? Cui respondendum est: Ideo pro decaniae culpa post secundum dejici debet quia majus periculum est, si diu negligentia subditorum non fuerit correcta. Nam pro sua culpa potest exspectari, quia quamvis diu sibi est malus, tamen aliis bonus potest esse.

Cap. XXII.

QUOMODO DORMIANT MONACHI,

i. e. qualiter dormiant monachi.

Sequitur: *Singuli per singula lecta dormiant.* Rectum ordinem tenuit S. Benedictus in hoc loco, cum dixit de decanis, et nunc subjunxit: *Quomodo dormiant monachi.* Ille enim, quia dixit sollicitos esse debere decanos super decanias suas, nunc [autem] ipsam sollicitudinem disponit, qualiter fiat nocte, cum seniores vigilias dicit exercere.

Sequitur: *Lectisternia pro modo conversationis secundum dispositionem abbatis sui accipiant. — Sternia* enim duobus modis dicuntur; i. e. domus, ubi lecti sternuntur, seu etiam locus, ubi unus lectus stratus existit. *Pro modo*, i. e. juxta qualitatem; *modo* enim pro qualitate accipitur. *Conversationis*, i. e. vitae — quasi diceret: secundum quali-

tatem vitae uniuscujusque, ita accipiat lectisternia. Sic enim inferius dicit: *Adolescentiores fratres juxta se non habeant lectos, sed mixtim cum senioribus.* Bene dicit *vestiti et cincti dormiant*, quatenus absque mora et impedimento vestiendi valeant monachi ad signum occurrere.[1])

Sequitur: *Si potest fieri, omnes in unum dormiant; si autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. Non sinit*, i. e. non permittit. In hoc enim loco intuendum est, quia, cum dicit *solliciti sint*, praecipit illos vigilare in dormitorio, quia potest sollicitus esse nemo in nocte, nisi vigilaverit, quia nos, cum solliciti volumus esse pro aliqua re, vigilamus. Et cum dixit *seniores,* non dixit seniores aetate solummodo, vel qui ante venerunt, sed de illis dicit senioribus, qui sensu et discretione praediti sunt.

Sequitur: *Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane.* Ideo enim *jugiter*, quia semper vult, ut fiat. Pro hoc quod dixit *usque mane*, usque ad diem vult, ut ardeat, et die adhuc lucente debet accendi, h. e. v. gr.: si capitulum ante diem[2]) peragitur, debet accendi post capitulum, sicuti contingit hoc in aestivo tempore. quando grandi hora diei peragitur capitulum. Si autem tarde completur capitulum, i. e. jam incipiente nocte, debet accendi illa candela, dum in capitulo sedent, sicuti in hiemis tempore. Conferendus est iste locus, in quo dicitur *solliciti sint*, cum illo, ubi dicit: *foris autem vel ubi et ubi custodiam habeant.* Intelligitur autem, ut non solum ardeat candela in dormitorio, verum etiam in exitu, quia *ubi et ubi* non possunt seniores adolescentiores custodire, nisi fuerit, sicut dixi, candela ad exitum. Nam talis debet esse custodia infantum: decem enim infantes debent tres vel quatuor habere majores, qui illos custodiant; v. gr. si unus vel duo de ipsis magistris servierint in coquina, alii sint cum ipsis infantibus, qui

[1]) Haec sententia errore hic posita ad inferiorem regulae textum pertinet.

[2]) Certo legendum: *noctem*.

non sinant eos jocari vel loqui aut quoquam ire, aut etiam aliquid inhoneste agere. Et si forte necessitas fuerit illis ad exitum ire aut etiam in aliquem locum, cum suo magistro eant. Nam ideo dixi, decem infantes quatuor magistros habere, ut puer non possit quoquam ire vel quidpiam agere sine suo magistro, quia si ita non fuerit, ubi et ubi non potest esse custodia. Nam nihil juvat, si in aliis locis custodia fuerit, et in omnibus non fuerit; v. gr. si solummodo in uno defuerit custodia, nil juvat illa custodia, quae in aliis locis fuerit. Sic enim S. Gregorius dicit: *Si tota civitas fuerit clausa et munita, solummodo unum foramen apertum fuerit in ea, per quod hostis intraverit, tota civitas perit, quia foramen apertum fuit, i. e. cuniculus, per quem hostis intravit.* In hoc loco intuendum est, quia per hoc, quod B. Benedictus dicit: *Candela jugiter usque mane ardeat*, et per hoc, quod dicit: *Adolescentiores fratres juxta se non habeant lectos*, et, quamvis parum, etiam per hoc, quod dicit: *Singuli per singula lecta dormiant*, et: *cum senioribus suis, qui solliciti sint, pausent*, sodomiticum scelus vitandi causa dixit, sive vitium immunditiae. Attendendum est, quia foeditatem honestis verbis manifestavit, cum dicit, singulos dormire et candelam jugiter usque mane ardere et seniores sollicitos esse super eos debere, quia istud scelus valde nefandissimum est. Ideo praevenit illud, ne, quod absit, unquam fiat. Nam consuetudo erat Romanorum, hoc scelus agere, sicut dicit B. Hieronymus, illos concubinos habuisse. Non enim ita Paulus honestis verbis foeditatem illam manifestavit dicens: *Nam feminae eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminae exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Et ob hoc ideo non tam honestis verbis dicit Paulus sicuti B. Benedictus, quia plus manifestum dixit. Quia hoc scelus valde detestabile est Deo, ita[1]) etiam saepius Paulus illud manifestat. Dicit enim alibi: *Omne peccatum, quodcumque*

[1]) ideo (?), itaque (?).

homo peccaverit, extra corpus suum peccat; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Sunt quidam, qui intelligunt: si homo, qui habet uxorem, postea fornicatur, in uxorem suam peccat, hoc est in corpus suum peccare. Augustinus vero dicit: *Quid est, quod dicit: Omne peccatum, quodcumque peccaverit homo, extra corpus suum peccat; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* — ac si diceret: *in omni peccato quod homo peccat, potest aliud etiam cogitare, cum autem masculus cum femina concumbit, ex nimia dulcedine non potest aliud cogitare*[1]) — quasi diceret: cum facit aliud peccatum, potest esse corpus suum extra, si autem concumbit, in corpus suum peccat, h. e. contra corpus suum peccat, quia corpus suum totum libidini submittit. Eo quod ita est hoc peccatum detestabile valde, ideo ita caute disponit et studiose, quatenus nunquam hoc peccatum perpetrari possit. Nam verum est, quia, si ita custodia fuerit in monasterio, aut nunquam aut difficile hoc peccatum erit perpetratum. Hoc autem intuendum est, quia, si ita nutrierit infantes abbas, sicut S. Benedictus jubet, non poterit abbas pro tali peccato immunditiae suspicionem de illis habere. De illis autem, qui jam majores venerunt in monasterium, potest habere abbas suspicionem. — Et hoc animadvertendum est, quia non solum dicit, illos custodire, qui adolescentiores sunt aetate vel pueri, sed etiam illos, quamvis[2]) sint aetate majores, tamen, quia minus intelligunt et necessaria est illis custodia, ideo custodiendi sunt. Verumtamen ita sunt custodiendi: Post completorium [autem] signo facto debent exire de choro, et magister illorum debet accendere lucernam et ire cum illis infantibus per singula altaria oratorii, ut per unumquodque altare usquedum oraverint, unus magister in ante, alter magister vadat in medio, et tertius magister retro. Deinde ire debent ad necessaria naturae cum lumine et magister ipsorum cum illis, qui ad exitum voluerint venire. Et quia indigent illuc custodia,

---

[1]) Serm. 163. n. 2.

[2]) qui, quamvis . . . .

ideo magistri eorum semper debent cum illis esse, usquequo collocari debeant. Deinde collocantur infantes, et donec illi infantes collocant se, semper assistere ibidem debent magistri, qui eos custodiant. Post vero succedit alia custodia, i. e. illi custodire incipiunt, quorum vices sunt custodiendi. Illis autem, quibus necessaria est custodia, nunquam audeant foris exire dormitorio, et in basilicam ire causa orandi, nisi tantum quia non possit aliter fieri, cum opus est illis ire, v. gr. ad mingendum et ad exitum. Vadit ille, cui necesse est ire, et tangit illum seniorem, qui vigilat, et ille accendit lumen et vadit cum illo ad exitum, et sic lumine accenso revertitur cum illo ad lectum suum et collocat illum. Et ille major, cui causa lavandi pollutionem necessitas fuerit, semper assistente et sciente seniore vadit, quia semper senior vigiliis insistit. Deinde ad vigilias signo facto accendit senior lumen in dormitorio, et tunc omnes, qui indigent custodia, non audet unus sine altero exire, sed omnes se vestiunt et praeparant se, et tunc praeparatis accenso lumine vadit magister ante et in medio et in fine, et ita vadunt ad ecclesiam: et in ecclesia adstantibus magistris orant et psallunt. Nunquam autem vadit infans sine custodia, i. e. sine suo magistro, aut illi, qui custodiam indigent. Reliqui, qui non indigent custodia, vadunt. Verumtamen sicut cum magistris et disciplina ipsi infantes ad nocturnas vadunt in ecclesiam, ita etiam cum magistris suis et disciplina debent ire in ecclesiam ad omne officium, i. e. ad matutinum, ad primam, ad tertiam, ad sextam, ad nonam, ad vesperam atque completorium, et si necessitas est; item ad opera exercenda ipsi infantes debent ire cum suis magistris.

Sequitur: *Vestiti dormiant et cincti cingulis aut funibus, et cultellos suos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes.* Qua ratione praeceperit monachos S. Benedictus cinctos vel vestitos jacere aut dormire, manifestat inferius cum subjungit: *et ut parati sint monachi semper et facto signo absque mora surgentes festinent invicem praevenire ad opus Dei, cum omni tamen*

gravitate et modestia. Hic enim *et* in sensu superflua[1]) est. Quod autem dicit *et festinent se invicem,* imperativus modus est. *Et cultellos suos*, i. e. sibi deputatos. Non enim est contrarius iste locus, cum dicit *cultellos suos*, illi loco, ubi dicitur: *nec quisquam aliquid suum esse dicat vel praesumat,* eo quod differentia potest esse inter suum et suum. In hoc vero loco, cum dicit *cultellos suos,* intelligere debemus: i. e. ad suam utilitatem ab abbate sibi deputatos tantummodo. Ille autem locus, ubi dicitur *ne quisquam suum esse dicat,* intelligere debemus ad proprietatem et ad peculiaritatem, ut exinde, quod monachus voluerit, facere possit, quod omnimodo cavendum est. Nam talis est iste locus, qualis ille in evangelio, ubi legitur hoc modo: *sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est;* quem sensum B. Augustinus exponit ita dicens: *Legem eorum dicit non ab ipsis datam, sed ipsis datam,* sicut dicimus *panem nostrum quotidianum;* quem tamen a Deo petimus addendo *da nobis hodie.* — [Per] hoc autem, quod dicit *praevenire*, ad surgere de lecto attinet, i. e. praeveniant se in surgendo ad opus Dei. Quod vero dicit *cincti cingulis aut funibus,* intelligere possumus, quia funis est, qui de cannabo fit vel lino in rotundum. Cingulus autem est corrigia de lana vel de lino, sed non in rotundum sicut funis, sed in latum sicut tricia, sive etiam, ut Isidorus dicit: *Funes dicti, quod antea in usum luminis fuerant circumdati cera, unde et funalia.*[2])

Sequitur: *Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.* Ita vero se cohortari debent fratres: ille autem frater, qui sapiens est, debet illum fratrem, qui juxta se jacet, excitare. Nam non debet juvenis, qui indiget disciplina, alium excitare propter occasionem peccati, nec etiam junior juniori debet innuere. Tamen debet unus aut duo seniores accenso lumine ire per dormitorium causa excitandi fratres somno-

[1]) superfluum (?).
[2]) Etymolog. lib. 19. c. 4. n. 1.

lentos; verum non debent tangere fratrem, sed solummodo axem lecti aut aliquid hujuscemodi, ut excitetur. Quia enim de pollutione abluenda nunc diximus, necesse est, ut etiam dicamus de poenitentia, quae poenitentia necessaria sit illi, cui ipsa pollutio in nocte contigerit; hoc est, alia est pollutio, quae absque crassitate, i. e. sine tactu et visu aut cogitatione aut sine crapula in praeterito die contigerit: iste talis pro hac pollutione quinque psalmos canere debet; et haec oratio quinque psalmorum holocaustum dicitur, quia pene sine necessitate, hoc est sine culpa fit. Ideo dixi *pene*, quia adeo est illud peccatum subtile, ideo videtur non omnimodo sine necessitate esse. Deinde alia est illa pollutio, quae cum crassitate somni, i. e. quae per perpetrationem somni fit. Et ideo, cui haec taliter pollutio contigerit, decem psalmos cantare debet. Si vero ipsa pollutio fit ex crapula et ex cogitatione, debet quindecim psalmos canere, quia illa pollutio, pro qua decem, et ista, pro qua quindecim psalmos canere diximus, jam sacrificium est, h. e. quia ex necessitate fit. Verumtamen consideranda est illa crapula, i. e. superfluitas cibi vel potus, utrum magna an parva fuisset. Similiter etiam cogitatio illa perpendenda est, si longinqua est valde, pro qua etiam unum psalterium canendum est. — Superius enim diximus, quia seniores vigiliis semper insistere debent. Forte dicit aliquis: quia vigilare in nocte nolo, nisi ad illud tempus, ad quod mihi superius ipse pater praecipit vigilare, sicut in octavo capitulo dicit. Cui respondendum est: Utrumque praecepit S. Benedictus: superius enim, quia generaliter praecipiebat omnibus vigilare, ideo dicit, secundum quod in octavo capitulo disposuit; nunc autem, quia non generaliter omnibus praecipit, nec etiam qualicumque, sed senioribus, ideo modo specialiter dicit, exerceri a senioribus vigilias, quod tunc praecipit omnibus, quia aliter est, disponere generaliter omnibus, et aliter, specialiter quibusdam. Nam sicut specialiter definivit, quales debeant esse decani aut cellerarius, ita etiam tunc specialiter definivit, qualiter seniores vigilias exercere studeant in nocte de his, cum quibus pausare

debeant. Forte dicit aliquis: Non hoc regula dicit, ut in omnibus sint magistri cum infantibus. Iste, qui hoc dicit, non intelligit regulam, quae ait: *ubi et ubi custodia sit*, cum *ubi et ubi* intelligitur *in omni loco*, et nullum praetermittit i. e. sive stando aut ambulando aut sedendo aut aliquid agendo. Nos vero non dicimus nova, sed intelligimus regulae jussa, quae etiam vidimus facta. Quia istud *ubi et ubi* nihil praetermittit, sed omnia loca comprehendit, ideo taliter intelligimus, qualiter impleatur praeceptum, ne transgressores ejusdem praecepti existamus. Quodsi ille dixerit, quia haec, quae dicta sunt, non deberi[1]) aut non possunt fieri, ille videat, qui hoc dicit, et ita intelligat, ut nullus locus sit, in quo infantes aut adolescentiores aut illi, qui minus intelligere possunt, non habeant custodiam; quia si quilibet locus fuerit, in quo non sit custodia, jam praevaricator istius praecepti, hoc est *ubi et ubi*, existit, cum in isto *ubi et ubi* omnia loca contineantur, et nullus locus excipiatur. Maxime hoc timeat ille, qui ita intelligit, quia, si per suum intellectum remanserit aliquis locus sine custodia et quilibet illorum, qui sub custodia sunt, ibidem occasionem peccati invenerit et peccaverit, ad ipsum maxime illud malum respicit, qui hujus loci[2]) male intelligendo auctor existit.

Cap. XXIII.

DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM.

Aptum ordinem tenuit B. Benedictus in eo quod prius dicit de custodia, nunc vero dicit de excommunicatione culparum. Quasi praevenit peccatum, cum prius de custodia dixit; post vero cum de excommunicatione dicit, medicinam peccati dixit, veluti medicus sapiens, qui prius quam incidat in languorem, consilium dat ad custodiendum se, ne quis incidat in languorem; cum vero inciderit in languorem, medicinam alteram tribuit, ut sanetur.

[1]) debent (?).
[2]) mali (?)

Sequitur: *Si quis frater contumax aut inobediens aut superbus aut murmurans aut in aliquo contrarius existens sanctae regulae et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus, si vero neque sic correxerit, si intelligit, qualis poena sit, excommunicationi subjaceat; sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.* — Quid est quod hic B. Benedictus superbum in specie ponit, cum scriptum sit: *Initium omnis peccati superbia est?* Quibus respondendum est, quia initium omnis peccati superbia est, i. e. contumax aut inobediens, quantum ad cogitationem attinet, ex superbia procedit; sed tamen potest esse in specie superbus, ut non sit contumax, i. e. si jactans est, aut unam de illis quatuor generibus, quae superius in duodecimo gradu diximus, habuerit. Sciendum est enim, quia non omnis inobediens contumax est, omnis vero contumax inobediens est, quia potest esse inobediens sine contumacia, contumax non potest esse sine inobedientia, eo quod ille est contumax, qui contemnit facere in prima fronte, quod imperatur; v. gr. cum dicitur illi: *Fac hoc!* [et] ille contumax dicit: *Non facio*, eo quod contumax dictus est ab eo, quod contemnat. Nam inobediens in hoc loco est ille, qui cum dicitur illi: *Fac hoc!* non dicit: *Non facio*, sicut contumax ille dicit, sed tamen quamvis non dicat: *Non facio*, tamen pro aliqua sua causa non implet jussionem imperantis, aut ex toto dimittit aut ex parte. Hoc vero loco intuendum est, quia istud capitulum de illa sententia Domini est tractum, in qua Dominus dicit: *Si peccaverit frater tuus in te, vade, corripe illum inter te et illum solum* et rel. Quod Dominus dicit in evangelio: *dic ecclesiae*, hoc est, quod hic dicit: *objurgetur publice coram omnibus.* Secretum est enim, si coram quatuor aut quinque fratribus corripueris fratrem tuum. Intuendum est enim in hoc loco, quia sunt talia peccata, quae vocantur spiritalia, i. e. quae ad animam referuntur, quamvis corpori subdantur, eo quod

anima non potest sine carne perpetrare aliquod peccatum, ut sunt ista omnia, quae in hoc capitulo referuntur: contumacia, inobedientia, superbia, murmuratio. Et hoc animadvertendum est, quia cum dicit *excommunicationi*, subaudiendum est: simplici tantum, i. e. illi excommunicationi subjaceat, quae a mensa separat monachum. Et hoc, quod dicit *vindictae corporali subdatur*, duobus modis intelligitur, i. e. jejuniis nimiis aut certe flagellis, quae latius in tricesimo capitulo explanantur. Et sunt iterum talia peccata, quae vocantur carnalia, quae ad carnem referuntur, quamvis caro non illa sola perpetret sine anima, v. gr. furtum, adulterium, ebrietas, fornicatio; et non solum fornicatio, quam masculus cum femina facit, sed etiam quocumque modo illa fiat, fornicatio dicitur, praeter in somnis, quia valde hoc peccatum detestabile est apud Deum, et non solum si aliquo modo fiat, verum etiam illa verba detestabilia sunt apud Deum. Si vero quislibet percusserit fratrem aut homicidium criminale fecerit aut perjurium, criminalia peccata dicuntur. Sciendum est enim, quia falsum testimonium et corporale est et spiritale; tunc est spiritale, quando ille, super quem dixit, spiritaliter condemnatur, et tunc est corporale, quando ille, super quem dixit, corporaliter condemnatur, sicut de locutione diximus. Et hoc sciendum est, quia, quamvis istud capitulum de illa sententia Domini, ubi dicit: *si peccaverit frater tuus in te*, fuisset tractum, tamen Dominus ibi de omnibus peccatis tam corporalibus quam spiritalibus dicit, ideo, quia *in te*, dicit, *si peccaverit*. Ista vero sententia S. Benedicti ideo de spiritalibus intelligitur fuisse dicta, quia non dicit: *si peccaverit in te*, sed de omnibus dicit, qui peccaverint, causa vitii emendandi. Plurimi nequaquam pleniter intelligentes judiciorum sententias in regula S. Patris nostri Benedicti, aliter quam praecipit, judicare solent. Sciendum itaque est, quatuor ibi contineri modos, quibus delinquentium error corrigatur; primus namque est, quem idem Pater Benedictus proprio judicio determinavit, ut est qui per negligentias tempore constituto ad nocturnas non pul-

saverit signum, unde digne in oratorio satisfieri jubet, et qui ad officium divinum tarde occurrerit, et qui per negligentiam hora refectionis ad mensam, et si cui offertur aliquid a priore et accipere renuerit, et si quis, dum pronuntiat psalmum aut lectionem, fefellerit, et qui pro aliqua arte extollitur. Secundus est de spiritalibus rebus, unde ipse dicit: *Si quis frater contumax aut inobediens aut superbus aut murmurans aut in aliquo, i. e. spiritali tantum contrarius existens sanctae regulae*, qui proficiendo usque ad septem gradus extenditur, occulte videlicet castigando, publice corripiendo, in levioribus culpis excommunicando, in jejuniis nimiis affligendo, verberibus coercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum de monasterio expellendo, quamvis hi gradus non in omnibus personis tenendi sint, sicuti sunt improbi et duri atque inobedientes, de quibus idem S. Benedictus in secundo capitulo loquitur hoc modo: *Improbos autem et duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: »Stultus verbis non corrigitur«.* Sed qualiter hoc intelligatur, inferius dicemus, ubi de contumacia dixerimus. Tertius de rebus exterioribus, hoc est: si quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monasterio. Quartus de criminalibus delictis. Denique per ordinem eosdem repetentes: de primo sciendum est, quod nullatenus aliter, nisi juxta quod regula jubet, fieri debent, h. e. non alienum, sed proprium est judicium ponendum. De secundo sollicite considerandum, quia non omnibus personis suprascripti gradus convenire poterunt, quia aliter corrigendi sunt honesti, aliter improbi. Si contumax fuerit, de monasterio expellatur. Necesse est ergo ut justo moderamine utrumque discernatur, qualiter secundum regulam contumax secreto moneri possit et de monasterio expelli. Ille namque secrete admonendus est, qui licet a priore aliquid imperatum refutans mox tamen increpatus emendationem promittens, qui et honestus jure dici poterit: et ille de monasterio expellendus est, qui contumax existit et nullo unquam pacto acquiescit suscipere disciplinam, quem

omnino contumacem regula vocat. Unde et merito improbus est dicendus, quamquam et improbum illum etiam vocat, qui licet frequenter corripiatur, disciplinae tamen regulari non contradicit, qui honestatem, quam prius [dum] se emendare profitens habere videbatur, relinquens ad improbam duramque mentem transit. Improbi enim ac duri atque inobedientes et superbi, de quibus, sicut diximus, in secundo capitulo regula dicit, hi intelliguntur, qui, postquam per sex gradus fuerint examinati, emendationem non receperint, quos si voluerit abbas ejicere in suo arbitrio erit. Si vero noluerit eos abjicere sed adhuc in monasterio retinere, tunc hi tales,[1]) si in ipsum peccatum, unde digni fuerant expelli, postea contigerit cadere, jam non per gradus sicut prius, sed statim, ut ipsum peccatum perpetraverint, verbere aut castigatione corporis, h. e. nimiis jejuniis [eosdem] coerceat. Ideo diximus *ipsum peccatum*, quia si aliud postmodum commiserint, per gradus sex ducendi sunt, eo quod de omnibus spiritalibus peccatis taliter cum eis agendum est. Unde ideo regula eos superbos inobedientes nominat, quia, sicut dictum est, de omnibus peccatis spiritalibus improbi fiunt, cum per sex gradus ducti non se emendaverint. Duri autem sunt, qui sive admoneantur sive excommunicentur, non emendantur neque etiam erubescunt, sed obstinata mente non timentes verecundiam atque excommunicationem impetum sui cordis sequuntur. Quodsi eos rejecerit de monasterio, et postea reversi sive ipsum, pro quo rejecti sunt, sive aliud eos spiritale contigerit committere, per sex gradus superiores ducendi sunt, ac si noviter ad monasterium venissent. Verumtamen sciendum est, quia si illud peccatum, pro quo in aliquo gradu est, tarde revertatur, h. e. post annum aut forte post medium perpetraverit, quasi nunquam admiserit, ad primum gradum revertatur, h. e. ad secretam admonitionem, si secrete commissum fuerit. Neque enim, ut supra dictum est, omnibus personis omnes gradus convenire poterunt, quia videlicet diversae sunt

[1]) hos tales (?).

qualitates mentium, ut unde unus medetur, inde alter perimitur. Quapropter quorundam verberibus sunt coercendae personae, minime vero quorundam, de quorum qualitatibus regula dicit: *Secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam omnibus se conformet et aptet;* itemque alibi: *ut viderit cuique expedire, prudenter et cum caritate studeat amputare vitia.* Et notandum est, tria inspicienda semper in judicio esse, personam videlicet, intentionem atque modum delicti: personam, utrum intellectu et modestia viget vel duritia et inquietudine mentis contradictor existat; intentionem, utrum studio an infirmitate deliquerit; modum, utrum graviter vel certe leviter erraverit, unde et regula dicit: *secundum modum culpae excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura.* Igitur omnis spiritaliter delinquens tamdiu secrete moneri debet, donec se ipsum ipse improbum reddendo ab occulto transeat ad publicum; in qua publica correptione si non emendaverit, ad excommunicationem levium culparum transibit; ubi cum diu tentus nequierit corrigi, nimiorum jejuniorum maceratione affligatur, per quam non correptus, si persona extiterit talis, flagellorum coerceatur acredine. Sin vero personae non admiserit consideratio, communiter ab omnibus misericordia imploretur Omnipotentis. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, praecidatur a corpore monasterii. Et si contigerit, ut per negligentiam, dum aut in occulto aut in publico admonetur, aliquid damni monasterio intulerit, excommunicetur in levioribus culpis secundum modum culpae, et peracta poenitentia iterum revertatur ad id, ubi prius tenebatur, et non solum dum verbis monetur, verum etiam si aliquo ex supradictis gradu detinebatur. Capitula quoque istius modi noscenda sunt, quibus ordinate intelligi valeant: Primum capitulum est vicesimum tertium, ubi omnes gradus inveniri valent; secundum vero capitulum est: *De pueris minori aetate, qualiter corripiantur.* tricesimum,[1]) ubi facile patet, quod in vicesimo tertio scriptum est: *sin autem im-*

[1]) scilicet tricesimum.

probus est, vindictae corporali subdatur — in fine videlicet capituli tricesimi, ubi dicit: *Hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.* Hoc vero sequitur vicesimum octavum: *De his, qui saepius correpti emendare noluerint*, ubi similiter septem praedicti gradus inserti sunt. De tertia autem modo judiciorum, sicut supra dispositum est, de damno cujuslibet rei exterioris est intelligendum — ubi solummodo animadvertendum est: si negligentia interveniente damnum extiterit factum — tunc secundum modum delicti et personam et intentionem levioris culpae judicio subjacebit. Capitulum vero, ubi de culpa damni exterioris rei narratur, est quadragesimum tertium (?):[1] *De his qui in aliquibus rebus delinquunt.* Quo modo continetur, quidquid in regula invenitur: sive *gravissimae vindictae subjaceat*, sive *graviori* seu *regulari*, seu *excommunicetur* seu *excommunicationi subjaceat*, praeter hoc, quod in quibusdam locis invenitur: *strictiori disciplinae subjaceat*, quod quidam ita intelligi volunt, ut si occulte aut publice verbis moneatur, in eodem gradu acrius corripiatur. — Quartus quoque modus, ut praedictum est, de capitalibus criminibus constat, fornicatione videlicet, adulterio atque ebrietate assidua ceterisque, quae nullo modo nisi poenitentia corporali secundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus modis necnon et persona atque intentio semper inspicienda sunt, ubi pariter quoque sanctorum patrum institutio sollicite est perpendenda. Istius enim quarti modi capitulum est vicesimum quintum de gravioribus culpis. Primi autem modi, quem primitus jam diximus, sunt capitula ista, i. e. undecimus: *Qualiter dominicis diebus vigiliae agantur*, ubi Pater Benedictus ideo, quia non omnis negligentia est aequalis, de tarde pulsato signo ad nocturnum dicit *digne inde in oratorio satisfaciat*; et idcirco, quia digne satisfacere dicit, debet prior pensare intentionem pulsantis, i. e. si nubilum eum impedivit, an somnulentia aut pigritia aut infirmitas aut certe superflua

---

[1]) quadragesimum sextum.

praeterita potatio, et cetera his similia, quae ad cognoscendam intentionem possunt subtilius pensari. Deinde pensanda est ipsa negligentia, quanta fuit, et ita secundum intentionem pulsantis et quantitatem, i. e. modum negligentiae reus judicari debet, si digne judicatur. Secundum capitulum quadragesimum tertium: *De his, qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt*, in quo capitulo continetur: *Sed et si cui aliquid offertur a priore et accipere renuerit.* Sed hoc capitulum valde prudenter discutiendum est cum intentione negligentis atque quantitate culpae. Tertium capitulum est istius praefati primi modi quadragesimum quintum: *De his, qui falluntur in oratorio*, et hoc pariter capitulum cum negligentiae magnitudine atque intentione peccantis valde prudenter investigandum est. Quartum istius jam dicti primi modi capitulum quinquagesimum septimum *De artificibus monasterii.* Igitur quia superius dictum est, secundum modum esse de spiritalibus rebus, dicenda sunt ipsa peccata, quae ad hunc modum attinere videntur, i. e. pro quibus monachus usque ad sex gradus protrahendus est, in septimo vero non emendatus de monasterio expellendus, h. e. occulte videlicet castigando, publice corripiendo, in levioribus culpis excommunicando, in jejuniis nimiis affligendo, verberibus coercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum de monasterio expellendo. Verum quia ipsa spiritalia peccata, quae alio nomine levia dicuntur, non sunt aequali lance trutinanda, eo quod in eis alia inveniuntur levia, alia gravia, alia graviora; ideo non aequaliter pro omnibus monachus in unoquoque gradu est tenendus. Nam pro aliis tarde, pro aliis vero cito de uno ad alium gradum est ducendus. Quantum enim culpa videtur esse levis, tantum diu in unoquoque gradu est morandus, quantum vero gravior, tantum cito ad alium gradum est transeundum, morem videlicet medici considerantes, qui quamvis diversa medicamina et diversas potiones infirmo tribuunt, non cito ad aliud medicamen dandum transeunt, quousque non cognoverint, primum medicamen non posse juvare, aut certe

ipsam infirmitatem periculosiorem esse cognoverint. Levioris culpae reus est, qui otiosus esse dilexerit, qui ad collationes vel ad missam tardius venerit, qui in choro riserit, qui fabulis vacaverit, qui relicto officio vel opere extra necessitatis causam foris recesserit, qui torporem aut somnum amaverit, qui juraverit, qui multiloquus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis injunctum sibi sine benedictione susceperit, qui peracto opere benedictionem minime postulaverit, qui opus injunctum negligenter vel tardius expleverit, qui codice negligenter usus fuerit, qui aliquibus ad momentum successerit,[1]) qui occulte ab aliquo literas vel quodlibet munus acceperit, qui epistolam suscipiens occultaverit aut sine consensu abbatis rescripserit, qui cum quolibet parentum saecularium aut non parentum sine jussione senioris locutus fuerit, qui seniori inobediens fuerit, qui contumaciter seniori responderit, qui erga seniorem linguam non represserit, qui lascivus in lingua fuerit, qui inhoneste incesserit, qui jocaverit, qui satis riserit, qui illusionem nocturnam patri spiritali non patefecerit, qui iracundus fuerit, qui altae et erectae cervicis fuerit, qui mente tumidus fuerit, qui jactanti incessu moderatus non fuerit,[2]) qui discors fuerit, qui discordiam seminaverit, qui detractor fuerit, qui susurro fuerit, qui invidus fuerit, qui per inobedientiam murmuraverit, qui rixari verbis amaverit, qui convitium fratri intulerit, qui contumaci animo seniorem despexerit, qui rancorem adversus fratrem tenuerit, qui alicubi extra consultum abbatis vel praepositi discesserit. Dicenda sunt similiter aliquanta peccata, quae regula graviores culpas nuncupat, quae ad quartum praefatum modum attinent. Sed necesse est prudenter pensare de his gravioribus culpis, quia quamvis omnes culpae graviores nomine gravioris nominentur, tamen si pondus pensaverimus, non omnes aequaliter inveniuntur graviores. Unde etiam pensanda est canonica auctoritas, quae prohibet illum, qui publicam

[1]) succensuerit (?).
[2]) qui jactanti incessu moderato fuerit. Cod. Mellicens.

poenitentiam gessit, ad ordinem presbyteratus sive diaconatus venire, si vero ordinatus presbyter publicam egerit poenitentiam, a suo jubet recedere ministerio. Unde eum, qui excommunicandi habet ministerium, necesse est pensare personam et culpam, quia quamvis pro omnibus culpis gravioribus videatur regula praecipere extra ecclesiam et refectorium atque consortium fratrum poenitendum esse eum, qui gravioris culpae obnoxius fuerit, tamen discretus et prudens doctor discernere debet personam, cui officit publica poenitentia, ad sacrum ordinem ascendere, et cui non officit. Si vero talis ac tanta fuerit gravior culpa, pro qua secundum canonicam auctoritatem ad ordinem clericatus non possit accedere, tunc omnis, sive literatus sive illiteratus, sive doctus sive indoctus fuerit, qui hujuscemodi culpae obnoxius est, in graviori culpa judicandus est. Si autem ipsa culpa gravior talis fuerit, unde eum canones non prohibeant, ad ordinem clericatus accedere, et ipsa persona sive ordinatus sit sive adhuc non sit, et tamen potest provehi[1]) — iste talis pro hujuscemodi peccato non debet publice poenitere pro dicta canonica auctoritate — eo quod canonica auctoritas est, quia, qui publicam poenitentiam egit, nec presbyter nec diaconus esse potest, si vero in presbyteratu vel diaconatu constitutus publicam poenitentiam egerit, ab ordine removeri debet; publica[2]) poenitentia est, in qua monachus separatus ab ecclesia et a refectorio vel a consortio omnium fratrum solus in poenitentiae luctu consistit — — sed in minoris et levioris culpae, de qua in secundo modo diximus, judicio tenendus est, quamvis gravius, quam si minor culpa fuisset, ne, cum possit proficere, pro tali incauto judicio proficiendi in sancta ecclesia impediatur. Quodsi talis fuerit persona, sive illiterata sive alia, quae nullo modo potest ad ordinem clericatus venire, pro qualicunque graviori culpa in graviori judicio judicandus est. Gravioris culpae reus est, qui temulentus fuerit, qui femi-

[1]) Anacoluthon (?).
[2]) publica enim (?).

narum familiaris fuit, qui fraudator rei acceptae aut commissae sibi aut minus commissae fuerit, inter haec si de rebus secum allatis extulerit, qui furatus fuerit, qui personam innocentem falso crimine maculaverit, qui cum parvulo jocaverit, qui cum eo riserit, qui illum osculatus fuerit, qui cum altero in uno lecto jacuerit, qui extra communem mensam privatim vel furtim quidpiam sumpserit, qui, ut otiosus sit, falsitatem praetenderit. Sed de his omnibus culpis, quas graviores dicimus, subtili investigatione pensandum est, quo animo aut qua intentione eas quilibet perpetraverit, ut secundum meritum judicari valeat. Nam et in ipsis gravioribus culpis non semper aequaliter graviores inveniuntur.

Cap. XXIV.

QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

Modus, i. e. qualitas vel quantitas. Sententiam suam exsequitur, quia superius dixit duo, i. e. *si intelligit, qualis poena sit, excommunicationi subjaceat; sin autem improbus fuerit, vindictae corporali subdatur*, hic autem dicit: *Secundum modum culpae et excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura* — ac si diceret: Juxta qualitatem vel quantitatem negligentiae, ita debet extendi mensura excommunicationis vel disciplinae. *Disciplina*, quanquam multis modis intelligatur, i. e. admonitio vel correptio et reliqua, tamen in hoc loco pro virga ponitur.

Sequitur: *qui culparum modus in abbatis pendeat judicio* — ac si diceret aliis verbis: Qualitas vel quantitas culpae ad abbatis judicium respicit, i. e. in ejus aestimatione consistit. Ille autem discernat, utrum levis sit culpa vel gravis. Attendendum est in hoc loco, quia non dixit, ut ille abbas det judicium de levibus culpis vel de gravibus, sed dixit solummodo: abbas discernat, utrum sit illa culpa levis an gravis, quia ipse S. Benedictus dat judicium de levibus et de gravibus — ac si diceret aliis verbis S. Benedictus: Abbas vero solummodo discernat utrum levis sit negligentia an gravis, quia ego judico de levi culpa et de gravi. In

hoc loco intuendum est, ut ille abbas culpam levem non aestimet esse gravem, et culpam gravem non judicet esse levem, quia, cum hoc fecerit, grave periculum sibi generare se credat. Sicut Dominus dicit in veteri testamento, h. e. in Exodo [1]) de leprosis, ut ille sacerdos judicet inter leprosum et non leprosum, et Dominus dicit: *Leprosi et non leprosi juxta qualitatem leprae judicio subjacere debent;* ita et S. Benedictus in hoc loco facere cognoscitur, cum dicit *qui culparum modus in abbatis judicio pendeat*, et ipse S. Benedictus constituit inferius legem de excommunicatis, i. e. de levibus culpis sive de gravibus. Et hoc intuendum est, quia si fuerit peccatum spiritale, debet levem culpam aestimare; si autem carnale fuerit, debet in gravi.

Sequitur: *Si quis autem frater in levioribus culpis invenitur, a mensae participatione privetur*, ac si diceret: Si judicaverit levem esse culpam, separetur a mensa, sicut Dominus in Levitico: *Si judicaverit sacerdos lepram esse* et rel. judicio ejus subjacere debet, sicut in ipso libro continetur.

Sequitur: *Privati autem a mensae consortio, ista erit ratio, ut in oratorio psalmum vel antiphonam non imponat neque lectionem recitet usque ad satisfactionem* — ac si diceret aliis verbis: rationabilis causa est, ut ille qui a mensa separatur, in oratorio neque lectionem recitare aut psalmum imponere aut antiphonas debeat. In hoc loco subintelligitur, ut etiam missam cantare non debeat, si presbyter est, nec offerre, si monachus est, eo quod dicit *lectionem non recitet.* — Nunc vero [quia] ille, qui separatur a mensa — exponit ipse S. Benedictus, quando debeat manducare vel etiam cum quo. Ait enim: *Refectionem cibi solus percipiat, ut si v. gr. fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona; si fratres nona, ille vespera, usquedum satisfactione congrua veniam consequatur.* In hoc loco intuendum est, quia non tollit illi locum in ordine vel cibum vel potum: praeter si ille jam ex hac excommunicatione non se emen-

[1]) Levitico (?).

daverit, tunc coerceatur, si improbus fuerit, verberibus, si vero talis fuerit persona, ut non sit dignus flagellari, tunc nimiis jejuniis castigandus est. Sciendum enim est, quia locum suum non debet tollere abbas, eo quod pro levibus culpis ita satisfacere debet, sicut ipse alibi dicit: *Tamdiu debet stare in loco suo, usquedum flectant se fratres ad supplicationem litaniae, post vero debet ire in loco, in quo deputaverit abbas, et ibi prostratus jacere, usquedum completur opus Dei. Satisfactio* enim intelligitur prostratio, *venia* autem indulgentia. Sive dicas *satisfactione congrua*, sive etiam *congrua venia*, utrumque potest dici. Et hoc animadvertendum est, quia semper considerare debet abbas intentionem peccantium atque modum delinquentium. Sed sciendum est, quia magna difficultas est in discernendo levia peccata a gravioribus et periculosa est, ne leve pro gravi aut grave deputet pro levi. Et iterum major difficultas est, ubi dicit *congrua satisfactione veniam consequatur*. Unde semper debet attendere abbas intentionem, quia non omnes una intentione faciunt illud peccatum, quamvis unum peccatum committant. Similiter non omnes aequaliter poenitent, quanquam aequaliter sit in poenitentia spatium tributum, quia forte iste studiose et diligenter poenitet, ille vero negligenter atque tepide. Ideo ille qui studiose poenitet. ante debet solvi, quam ille, qui negligenter. Unde dicit *congrua satisfactione veniam consequatur*. Tunc est congrua satisfactio, quando secundum modum delicti peracta est poenitentia. Et hic est magna difficultas ad cognoscendum. quando sit illa satisfactio congrua. Ponamus exemplum: Ecce duo fratres aequaliter acceperunt poenitentiam, et quamvis aequaliter judicandi sunt, non sunt tamen eo studio inventi aequaliter egisse poenitentiam; ac per hoc non aequaliter debent solvi, sed ille debet prius solvi, qui studiosius suam peregit poenitentiam et verecundius atque humilius. Nam si aequaliter voluerit solvere eos abbas, quia aequaliter judicati sunt, non agit secundum regulam, quia non solvit fratrem congrua satisfactione.

Cap. XXV.

DE GRAVIORIBUS CULPIS.

Is autem frater, qui gravioris culpae noxa tenetur, suspendatur simul a mensa et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio; solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in poenitentiae luctu. Noxa i. e. mortali delicto et criminali peccato tenetur. In hoc loco intuendum est, quia hoc capitulum generavit illa sententia Pauli apostoli, in qua dicit: *Tradite hujusmodi hominem satanae in interitum carnis.* Inde etiam sacri canones, qui hominem ab ecclesia separant, tracti sunt. In hoc loco intuendum est, quia, sicut sapientes intelligunt, perceptio cibi vel potus ante horam criminale peccatum est. Sed in isto loco discretio debet esse; v. gr. si quis frater unam phialam vini aut aliquid panis alicui dederit sine licentia, in levioribus culpis teneri debet, si autem ipsam phialam vini vel aliquid panis biberit vel manducaverit sine licentia, in graviori culpa teneri debet, quia Adam de uno pomo manducando, i. e. non meliori cibo edens, eo quod contra praeceptum Domini fecit, meruit expulsionem Paradisi — ita tamen, si illam phialam vel cibum absconse, i. e. furtim biberit vel manducaverit. Si autem aut cellerarius aut aliquis illi dederit, non est in noxa tenendus sed in levioribus culpis. Graviori culpa teneri debet, qui quocunque modo fornicationem fecerit, excepto solummodo in somnis. Si frater a quinto decimo anno adprehendit parvulum et facit cum illo infantulo fornicationem, ille infantulus virgis flagelletur et castigetur pro hoc. Deinde si talis ejus fuerit vita bona et amplius ipse in hoc peccatum non inciderit, potest venire ad presbyteratus honorem. Ipse autem, qui jam grandis est, si semel hoc pro ebrietate fecit, in leviori culpa excommunicetur; si autem bis vel ter in hoc peccatum inciderit, nunquam ad presbyteratus accedat honorem et mittatur in graviori culpa; si autem jam presbyter est et si inciderit in hoc peccatum semel et fortuito et pro ebrietate, non in gravi culpa excommunicetur, sed

solummodo diu agat poenitentiam usque ad annos duos et deinde cantet missam.

Sequitur: *sciens illam terribilem apostoli sententiam dicentis: Tradite hujusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* — Iste enim locus varius a variis doctoribus intelligitur. Sunt enim, qui intelligunt, quia Paulus illum hominem in carcerem includi jussit, eo quod *satan* contrarius sive adversarius interpretatur. Et bene per *satan* carcer intelligitur, eo quod carcer sive custodia contraria carni esse cognoscitur. Et sunt qui intelligunt, quia illum Paulus in potestatem diaboli tradidit, ut diabolus haberet potestatem illum vexandi. Et reddit causam, quare tradidit in potestatem satanae, h. e. diaboli, cum subdit: *ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Et in hoc loco datur intelligi, quia multi ideo in potestatem diaboli traduntur, ut purgationem delictorum suorum mereantur accipere. Et sunt alii, qui intelligunt, illum hominem jussisse Paulum apostolum occidi. Sed iste sensus convincitur propter illud, quod in secunda epistola ad Corinthios dicit: [*Si*] *cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego, quod donavi,*[1] *propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a satana; nec enim versutias ejus ignoramus* — ac si diceret aliis verbis: Cui vos indulsistis, et ego indulsi, nam et ego, si alicui parsi, propter vos peperci. Voluissem ego non parcere, sed quia vos indulsistis, non potui aliter facere, nisi parcerem propter vos. Et reddit causam, quare propter illos se indulsisse dicit, cum subdit *ne circumveniamur a satana:* ne nos diabolus pro occasione zeli Dei discordantes esse faciat. Et iterum latius exponit dicens, quare indulserit, cum dicit: *nec enim versutias ejus ignoramus* — ac si diceret aliis verbis: Non nos latet ejus cogitatio. Illius enim cogitatio est, ut homines discordantes sint. In hoc loco datur intelligi, ut, si ille abbas alicui indulserit, debeant etiam illi spiritales fratres parcere; et cui illi fratres spiritales indulserint,

[1]) si quid donavi. II. Cor. 2, 10.

debet etiam abbas parcere, ne ob hoc quasi causa zeli Dei discordia generetur inter illos. Nam melius est fallere in misericordiam faciendo, quam in severitatem tenendo.

Sequitur: *Cibi autem refectionem solus percipiat mensura vel hora, qua praeviderit abbas ei competere.* — *Competere*, i. e. convenire vel expedire. In hoc loco intuendum est, cum dicit *mensuram vel horam.* Debet discretionem habere abbas temporis et qualitatis personae: tempus debet cognoscere, utrum sit calor vel frigus, quia haec utraque tempora non aequaliter conveniunt jejunio. Debet etiam cognoscere qualitatem illius fratris, quem excommunicavit, utrum sit debilis an fortis, an alicujus infirmitatis vel fortitudinis. Nam intuendum est, quia, si multum quis jejunaverit, a calore hepatis contrahitur stomachus, post vero cum vult recipere cibum, ipse cibus ei nocebit. In quo loco datur intelligi, ut debeat etiam cognoscere medicinam; si enim non cognoscit per se, debet interrogare, qualiter? cum fratrem castigat jejuniis, ut moderate castiget.

Sequitur: *nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus, qui ei datur.* — Isti tali fratri nullus debet loqui, nec etiam ille, qui cibum ei tribuit. Verum in nostro monasterio cellerarius tribuit illi cibum; nam non quisquam debet loqui. Et hoc notandum est, quia ille, qui a graviori culpa teneri dignus est, non debet ante corrigi publice, sed mox ut inventus fuerit in graviori culpa, excommunicandus est. Sed sciendum est, quia istud capitulum de canonica auctoritate tractum est. Nam in veteri testamento ita praecipitur, ut si leprosus fuerit, maneat extra castra; si autem non fuerit, maneat in castris. Illa lepra significat illa peccata, pro quibus extra ecclesiam fit. Illa autem peccata, pro quibus Dominus sacrificium jussit offerri, significant illa peccata, pro quibus non judicantur extra ecclesiam fieri. Similiter et pollutio majorum peccatorum tenet figuram, sicut lepra; *castra*[1]) autem intelligitur ecclesia. Et hoc notandum est: si quis in tali culpa inventus fuerit,

[1]) per castra. Cod. Divion. ex Marten.

unde ad sacrum ordinem accedere non sit dignus, non debet in minori culpa teneri, sed in graviori. Hoc tamen animadvertendum est, quia si frater rem monasterii violaverit vel ab alio fratre furatus fuerit, in graviori culpa teneri debet; si autem superfluum habuerit, i. e. si ea quae debet reddere, [et] apud se detinuerit, minori culpa teneri debet. Sed sciendum est: [ut] si quis frater forte commiserit tale peccatum, quod videtur criminale et tamen non prohibet hominem, ad presbyteratus honorem accedere, si talis est persona, quae potest ad honorem presbyteratus pervenire, non debet in graviori, sed in minori culpa excommunicari, quia si in majori culpa excommunicatus fuerit, si presbyter est, non debet missam cantare, si autem non est presbyter, nec debet esse; et ideo debet illum, sicut dixi, in minori culpa teneri[1]) propter illud, quod scriptum est: *Secundum uniuscujusque qualitatem una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina.* Et hoc notandum est, quia gravis culpa habet unum gradum, i. e. publicam excommunicationem. Sed videndum est, quamdiu tolerandus est ille talis frater in monasterio. De hac re debet ista esse discretio: si enim ille studiosus abbas et placens Deo fuerit, potest illum retinere usque ad sextam correptionem et excommunicationem juxta aestimationem sex graduum spiritalium culparum — ita tamen, si viderit ille abbas, ejus peccatum aliis non nocere, quia tamdiu tolerandus est pro gravi culpa in monasterio, quamdiu viderit ejus peccatum alios non corrumpere; nam si viderit ejus peccatum alios celerius corrumpere, celeriter projiciendus est.

Cap. XXVI.

DE HIS, QUI SINE JUSSIONE ABBATIS JUNGUNT SE EXCOMMUNICATIS.

Si quis frater praesumpserit sine jussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere aut loqui cum eo vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam. -- Nunc videndum est, quae causa est, quare

[1]) tenere (?).

S. Benedictus tam absolute dicit: qui cum excommunicato fratri locutus fuerit, similem sortiatur vindictam, cum multi sunt, qui loquuntur cum excommunicato non eadem intentione nec eodem tenore? V. gr. sunt quinque fratres, qui loquuntur cum excommunicato: unus ex illis nescivit, illum esse excommunicatum, quia forte foris fuit; alter vero illorum, qui locutus est cum illo, ignoravit sensum regulae; alius autem locutus est cum illo non malo studio, sed causa provocationis ad humilitatis satisfactionem; quartus locutus est cum eo et exhortatus est illum, ne se humiliaret, sed esset durus et se contineret; quintus autem locutus est cum illo et dedit ei consilium fugiendi et dedit illi ingenium, quo possit ita agere, ut exire potuisset et fugere de ipsa custodia. Cui respondendum est: Non male fecit, cum tam absolute dixit, eo quod discretum doctorem requirit. Discretus enim doctor ita discernere debet et discernit, i. e. illum, qui ignoranter locutus est cum illo, judicat esse liberum a culpa, et ideo non permittit poenam ex hoc aliquam sustinere. Illum autem, qui ignoravit regulam, qualiter in isto capitulo dicit, judicat similiter liberum esse a culpa, sed tamen ejus magistrum, qui illum debuit docere tempore novitii, pro illo judicat similem excommunicationis vindictam sustinere, eo quod illum non docuit, sicut debuit, per omnia. Illum autem, qui non malo animo illi locutus est, sed solummodo causa exhortationis, judicat esse excommunicatum simili excommunicatione; verum quia bono studio locutus est illi, non diu illum permittit jacere in illa poenitentia, i. e. aut duobus vel tribus diebus. Illum autem, qui malo animo illi locutus est, i. e. exhortatus est illum, ut non se humiliaret, judicat talem poenitentiam habere et tantis diebus; verum etiam, si ille excommunicatus habebat XX dies transactos, quando illi locutus est iste, et dehinc debet jacere duobus diebus, iste talis, qui illi locutus est, tantis diebus debet jacere sub illa poena, quantis diebus jacuit ille vel debuit jacere; et cum hoc fit, ille excommunicatus exit, ille autem, qui ei locutus est, illo egresso jacet postmodum in ipsa poenitentia. Similiter

etiam de illo judicat, qui illum hortatus est fugere et dedit ingenium, quo potuisset se liberare. — De furto autem ista est discretio: aliud est, quod a fratre latenter, etiamsi acum, tuleris; aliud est, si tuam aliis dederis; aliud est, quod ab alio acceperis et tenes absconse. Sciendum est enim, quia de istis omnibus in graviori culpa, i. e. noxa tenendus est. Sed debet esse etiam in his furtis discretio, i. e. si grandis res est, quam furatus est, multis diebus, si parva, paucis diebus; et debet etiam intentio considerari. Et hoc notandum est, quia dupla poenitentia debet esse pro illo, quod ab aliis tulisti, quam quod tibi. Sed sciendum est, quia si ille infans[1]) talis fuerit, ut possit ad honorem presbyteratus venire, aut forte presbyter est, non debet in graviori culpa judicari, sed in minori. Similiter intelligi debet de illo fratre, qui bono studio locutus est cum excommunicato; si forte est presbyter aut potest fieri, tunc non debet in majori culpa teneri, sed in minori, eo quod S. Benedictus pro duabus causis jussit, ut nullus loqueretur cum excommunicato: una, ut timorem incuteret, nec quisquam audeat talia committere, alia vero, ne occasione bonorum mali loquerentur cum illo, qui solent peccatores magis pervertere, quam ad humilitatem protrahere.

Cap. XXVII.

QUALITER DEBEAT ESSE ABBAS SOLLICITUS CIRCA EXCOMMUNICATOS.

Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres. — Attendendum est, quia non dicit solummodo *sollicitudine curam gerat*, seu *sollicite curam gerat*, sed dicit *omni sollicitudine*, i. e. cum omni sollicitudine. Per hoc enim, quod dicit *omni sollicitudine*, nihil praetermisit, sed quidquid ad sollicitudinem salvationis animae attinet, cum illis totis debet abbas curam gerere circa delinquentes fratres. Non solummodo dicit *fratres*, sed praemisit *delinquentes*, i. e. peccantes. Et reddit causam, quare *circa*

[1]) si ille (puniendus) aut infans . . . (?).

delinquentes dixerit et non *circa fratres*, dicens: *quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Sed hoc [enim], quod dicit: *non est opus sanis medicus, sed male habentibus*, de Domino tulit. Nam Dominus, cum manducaret cum publicanis et peccatoribus, reprehendebatur a Pharisaeis, quare cum illis manducaret. Ipse vero respondens dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores; et non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Nunc videndum est, quid est, quod dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Varie intelligitur. Sunt, qui intelligunt: non veni vocare justos, sed peccatores, i. e. vos, qui dicitis esse vos justos et non peccatores, non veni vocare, sed peccatores illos, qui se fatentur esse peccatores. Sunt, qui intelligunt: non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam, i. e. ac si diceret: non veni vocare justos ad poenitentiam, quia illi non indigent, sed peccatores, qui poenitentia indigent; h. e. dicere: justos non despicio neque contemno, peccatores vero ad poenitentiam voco, quia non est opus sanis medicus, sed infirmis. Et secundum hunc sensum S. Benedictus etiam hoc dicit, ac si diceret: super infirmos et negligentes curam gerat et sollicitudinem abbas; studiosos et devotos, i. e. sanos non despiciat neque contemnat. Et hoc sciendum est, quia, cum dixit *curam suscepisse infirmarum animarum*, ostendit in ista cura multiplicem doctrinam. i. e. aliquando leniter, aliquando crudeliter, aliquando statim, aliquando post tempus et reliqua his similia, sicut superius dicit e contrario *dirum magistri, pium patris ostendat affectum.*

Sequitur: *Et ideo debet omnimodo uti ut sapiens medicus,*[1] *quasi occultos consolatores sempectas,*[2] i. e. *seniores sapientes fratres, qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem et provocent eum ad humilitatis satisfactionem.* Nunc vero. quia mentionem medici fecit, voluit exponere rationem medici latius. cum dicit: *Et ideo debet omnimodo uti, ut sapiens medicus.* Medicus enim sapiens ante languo-

[1] immittere [2] sempenctas. Cod. Mellicens.

rem custodit per consilium, ne incidat quis in infirmitatem; deinde infirmum, qui incidit in languorem, cum magna et omni sollicitudine curam gerit, ut sanet infirmum. Ita et abbas: quia medicus est animarum infirmarum, ideo debet cum omni sollicitudine agere curam, ut infirmam,[1]) quem recipit ad salvandum, sanare valeat. Nam quid fratri in infirmitate posito debeat facere, etiam ipse S. Benedictus subjunxit dicens: *Debet immittere*, i. e. occulte mittere, *occultos consolatores senpectas*, *i. e. seniores fratres*; nam superfluum est dicere: seniores sapientes, eo quod in eo, quod dixit *seniores*, sapientes comprehendit, quia de his senibus dicit, qui sapientes sunt. *Qui quasi secrete consolentur*, i. e. quasi non ab abbate, sed a se ipsis venissent, illi fratri excommunicato loquantur. [Quia] dixerat superius, nullum loqui cum eo, nec etiam illum, qui cibum illi ministrat — verumtamen si cellerarius talis est sapiens, qui possit hujuscemodi hominem consolari et ad satisfactionem provocare, permittente tamen et sciente abbate debet illi loqui, ut eum ad satisfactionem provocet humilitatis.

Sequitur: *ne abundantiori tristitia absorbeatur* — sicuti Judas absorptus est; ille enim cum debuerat agere poenitentiam de malo, quod fecit, oblitus est sui et absorptus est, prae nimia tristitia laqueo se suspendit. Hanc vero absorptionem i. e. desperationem voluit cavere S. Benedictus, cum praecipit, consolatores sapientes occulte ire ad illum, jubente tamen abbate, qui eum provocent ad poenitentiam, ne frater prae nimia tristitia desperet et sibi aliquid mali, sicut Judas fecit, inferat et in aeternum pereat, sed, sicut ait idem Apostolus: *confirmetur in eo caritas* — ac si diceret: habeatur et teneatur erga illum caritas, ne frangatur. Hoc vero quod dicit: *oretur pro eo ab omnibus*, ista oratio non est gradus, sicut illa oratio, quae pro illo fratre debet fieri, qui pro levioribus culpis excommunicatus est.

Sequitur: *Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas et omni sagacitate et industria curare*,[2]) *ne aliquam*

[1]) infirmum (?) [2]) currere. Cod. Tegerns.

de ovibus sibi creditis perdat. — *Magnopere* enim adverbium est, i. e. magno studio vel studiose et non negligenter. *Sagacitate*, i. e. velocitate; *industria*, i. e. ingenio. — In hoc enim, quod dicit *omni sagacitate et omni industria curare*, datur intelligi, ut etiam si talis est frater, cui non possit abbas credere, ne forte fugiat, mittatur in carcerem et in catenas et compedes vel in aliquod vinculum, ne effugiat. Quare? Quia non dixit solummodo *sagacitate et industria*, sine praemissione *omni*, sed quia *omni* dixit, ideo potest illum, sicut dixi, in vinculum mittere — ac si diceret: cum omnibus, quae excogitari possunt, ingeniis et velocitatibus currere erga illum debet, *ne perdat eum*, i. e. ne ille pereat. Et reddit causam, quare[1]) *ne perdat* aliquam animam, quam ille Dominus ad custodiendum commisit, cum subjungit: *Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum*, non super sanas tyrannidem exercere. *Noverit*, i. e. sciat, cognoscat — ac si diceret aliis verbis: Cognoscat, quia curam suscepit infirmarum animarum, non sanarum, sicut superius jam dixit: *Non est opus sanis medicus*, *sed male habentibus* — non super sanas tyrannidem exercere. *Tyrannidem*, i. e. crudelitatem vel severitatem, quia non super illas sanas animas debet exercere crudelitatem, eo quod non est illius officium super bonos monachos, sed super negligentes, i. e. super sanos non debet crudelitatem agere, super infirmos autem omnia, quae illis expediunt, ut ad salutem perveniant, agere debet.

Sequitur: *et metuat prophetae comminationem, per quem Dominus dicit*: »*Quod crassum videbatis, assumebatis, et quod debile erat, projiciebatis.*« Hoc enim testimonium latius dicit Ezechiel propheta, i. e.: *Quod fractum erat, non consolidastis* et rel. — Nunc videndum est, quid est, quod dicit: *Quod crassum videbatis, assumebatis, et quod debile erat projiciebatis?* Pastores enim crassum sumunt ad occidendum et ad manducandum; debile enim projiciunt — ac si diceret aliis verbis: Eos, qui boni erant, assumebatis invidendo

[1]) currere debeat (?).

et malo exemplo persequendo, i. e. bonis aut invidebatis aut per confabulationem vestram malo exemplo perdebatis, super malos autem curam et sollicitudinem ad salvandum non habebatis. Nam *assumere* in hoc loco pro duobus modis accipitur, i. e. aut exemplo aut invidia. Et hoc notandum est, quia sicut comminatur, eo quod malos et negligentes non curabant, ita etiam comminatur, quia bonos aut exemplo aut invidia persequebantur.

Sequitur: *et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus abiit, unam ovem quae erraverat quaerere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis imponeret et sic reportaret ad gregem.* Bene exemplum Domini illi proposuit, cujus vicem agere jam superius illi indicaverat. Sicut enim Dominus relictis angelicis potestatibus in montibus, i. e. in excelsis, et venit in terram, quaerere unam ovem, i. e. humanum genus, quod per primae culpae meritum ab illa celsitudine immortalitatis et a consortio angelorum erravit, ita et abbas debet curam bonorum monachorum deserere, qui per bonam conversationem in excelsis consistunt, sicut dicit apostolus Paulus: *Nostra autem conversatio in coelis est.* Et ideo debet abbas curam illius fratris infirmi habere et omnem sollicitudinem, donec revocetur ad illam conversationem celsitudinis, quam ceteri boni fratres habent. Forte dicit aliquis: Quomodo ponit abbas super humerum suum ovem, i. e. monachum errantem? Cognosco, quia tunc Christus errantem ovem quaesivit, i. e. humanum genus, cum carnem hominis suscipere dignatus est, et reportavit ad gregem, i. e. ad angelicas potestates, cum per incarnationis mysterium humanum genus redemit et ad coelos ascendit. Cui respondendum est: tunc abbas ovem morbidam i. e. monachum negligentem super humerum suum ponit, cum compatitur ejus infirmitati et pro eo affligitur, et eum studet admonere, et cetera, quae ad regularem ordinem attinent, circa salutem illius agere studet. Sciendum est enim, quia de hac separatione, qua ab eo, qui publice excommunicatur, ceteri separantur, etiam instituta

patrum bene docet dicens hoc modo: *Sane, si quis pro admisso quolibet delicto .... veni cogitare.*[1] Verum etiam magnum studium debet esse abbati de illo excommunicato, ne contingat ante mori quam reconcilietur, quia si ante, quod absit, mortuus fuerit, secundum canonicam auctoritatem pro eo sacrificium offerri non debet, sicut Leo papa in suis decretis loquitur dicens hoc modo capitulo vicesimo de communione privatis et ita defunctis:[2] *Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Et ideo dixi, ut magnum studium sit, quatenus, si cognoverit eum venire ad mortem, ante reconciliet eum, et corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi illi tradere studeat, quia nullus peccator sine illo viatico de hoc corpore exire debet.

Cap. XXVIII.

DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT.

Saepe enim de tertio gradu dici potest. —

Sequitur: *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, i. e. ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit aut forte, quod absit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat, sicut sapiens medicus.* — Rectum ordinem tenuit S. Benedictus in eo quod superius dixit de excommunicatione levis vel majoris culpae, et dixit sollicitudinem, quam debet abbas circa delinquentes fratres habere, et nunc dixit de expulsione, quia ille, qui tam diligenter excommunicatus est et non emendaverit, et tantam sollicitudinem habuerit factam, sicuti hic dicit, dignus est expulsione. In hoc enim, quod dicit *frequenter*, intelligitur secreta admonitio et publica correptio. Sed hoc intuendum est, quia non debet abbas

---

[1]) Cassian. de coenob. instit. lib. 2. c. 16.

[2]) Epist. 167. ad Rustic. inquis. 8. (Migne, tom. 54. col. 1205.)

statim post unum gradum ire ad alterum. Nam septem gradus sunt, quibus delinquens frater emendatur in spiritalibus culpis: primus gradus est, si secreta culpa fuerit, secreta admonitio semel et bis secrete facta; secundus est publica objurgatio; tertius est simplex excommunicatio; quartus est nimiis jejuniis (afflictio); quintus vero est flagellum, si talis est persona, quae possit aut debeat flagellari, si vero talis non est persona, castigetur iterum per nimium jejunium aut per aliquod aliud ingenium; sextus enim gradus est oratio ab omnibus pro ipso fratre incorrigibili facta; septimus vero gradus est expulsio de monasterio. Verumtamen sciendum est, quia non debet, cum admonitus fuerit frater semel et secundo, statim duci ad publicam objurgationem, si non emendaverit; et cum fuerit semel objurgatus, non statim debet duci ad excommunicationem, similiter si non emendaverit; et cum fuerit semel excommunicatus, non debet duci ad nimium jejunium, similiter si non emendaverit; et si in ipso jejunio semel frater fuerit detentus, non statim debet transire ad orationem, quae pro illo ab omnibus fuerit facta, similiter si non emendaverit; et post orationem semel factam, si non emendaverit, non statim de monasterio debet expelli, quia, si ita indiscrete et incaute factum fuerit, cito paene omnes de monasterio possunt expelli, eo quod, sicut dicit Apostolus: *in multis offendimus omnes.* Regula enim non dicit, cito duci per singulos gradus, nec dicit, in unoquoque gradu diu demorari atque detineri, sed dicit: *faciat, sicut sapiens medicus* et discretus doctor. Medicus enim sapiens cum uno medicamine vel una potione tamdiu laborat circa infirmum, quamdiu cognoverit ipsum medicamen vel ipsam potionem infirmo non posse proficere. Et cum cognoverit, non posse illi proficere, tunc adhibet ei aliud medicamen et aliam potionem. Et iterum similiter laborat, cum ista secunda potione vel medicamine, sicut de primo, et ita facit, usquedum ad sanitatem infirmus perveniat. Discretus autem doctor attendit quantitatem peccati, h. e. si magnum aut parvum peccatum est: attendit etiam qualitatem peccantis.

h. e. si voluntate aut fragilitate peccavit, ac per hoc quantum magnum et periculosum intellexit esse peccatum, tantum minus detinet peccantem in unoquoque gradu et transit per alterum gradum; et quantum intellexerit parvum esse peccatum et minus periculosum, tantum plus laborat cum illo in unoquoque gradu. Et qualiter agendum sit, melius viva voce, quam scriptis edocere[1]) quis potest. Et hoc sciendum est, quia in isto capitulo hi septem gradus possunt inveniri. Nam primus gradus potest esse, i. e. secreta admonitio, cum dicit: *si exhibuit fomenta sive unguenta adhortationum;* secundus gradus, i. e. publica objurgatio potest esse, cum dicit: *si medicamina divinarum scripturarum;* tertius autem gradus potest esse, i. e. excommunicatio, sive quartus vel quintus, cum dicit: *ad ultimum ultionem[2]) excommunicationis vel plagarum virgarum.* In ista enim excommunicatione possunt intelligi duo: i. e. excommunicatio, quae dicitur simplex, et excommunicatio, quae dicitur *nimiis jejuniis.* Quod vero dicitur *plagarum virgarum,* intelligitur unus. Ecce jam sunt quinque gradus. Sextus est, cum dicit: *et jam si viderit nihil suam praevalere industriam, adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium fratrum pro eo orationem.* Septimus gradus est expulsio, cum dicit: *tunc jam utatur abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus: »Auferte malum ex vobis«* et reliq. Ille enim, quia memoriam medici superius fecit, cum dicit *faciat, quod sapiens medicus,* ideo etiam ipsa verba medicinae interposuit, cum ait: *fomenta, unguenta,* et *ferro abscissionis,* quia sic facit medicus. Prius [enim] adhibet fomentum, deinde unguentum, postea vero, si viderit, ipsum vulnus nec per fomentum nec per diversa unguenta sanari, tunc utitur ferro incisionis. Fomentum enim est, quod infusionem nos nominamus. Facimus enim illud cum aqua calida et oleo aut alia aliqua re ad ossum, cum de suo loco excutitur; deinde etiam, ut auferatur dolor, ad-

---

[1]) edoceri. Codd. Tegerns. et Fürstz.

[2]) ustionem (?).

hibemus diversa unguenta. Abbas autem quasi fomentum et unguentum adhibet, cum peccatori dicit: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino,* et cum adhibet illi exemplum David, qui per poenitentiam meruit salvari, et cetera alia verba, quae lenia et dulcia esse videntur, de regno Dei, quatenus revertatur peccator ad locum suum, unde sicut os lapsus est. *Medicamina divinarum scripturarum* bene dicit. Quid enim est aliud scriptura divina, nisi medicamenta infirmarum animarum, quae hortantur peccatores, ne desperent, ne desperando pereant, sed sumant vires in poenitendo, plangendo, orando, vigilando, et semper illorum exempla attendant, qui post lapsum per poenitentiam meruerunt etiam melius Domino placere, quam ante lapsum placebant. Iste locus, in quo dicit *auferte malum ex vobis*, necessaria discretio est. Nam non est rectum, ut ita expellatur ille, qui in monasterio fuit nutritus ab infantia in bona vita, et eat ad pejorem, i. e. ad saecularem vitam, sicuti expellitur ille, qui de saeculo veniens et in bona vita ante non vixit. Ac per hoc ita debet fieri ista expulsio: i. e. si saecularis fuerit, qui expellendus est, expellatur ad saeculum, unde venit; si autem ille, qui expellendus est, fuit ab infantia in monasterio, sicut diximus, nutritus, non debet expelli, sed magis in carcerem mitti, quoadusque malum suum emendet et bonum etiam facere velit. Istud enim quod dicit *Auferte malum ex vobis*, de Paulo apostolo sumpsit. Paulus apostolus enim dixit hoc Corinthiis de illo, qui cum uxore patris sui moechatus est, quem in carcerem, sicut multi intelligunt, jussit mitti. Nostri autem magistri intelligunt ita discrete. sicut superius diximus. Hoc autem quod dicit *Infidelis, si discedit, discedat*, Paulus apostolus dicit Corinthiis de matrimonio, quod constat ex fideli et infideli persona. ut quamvis una persona sit fidelis et altera infidelis, ob hoc non dividatur — ita tamen, si consenserint, in simul habitare: si vero non sibi invicem consenserint, et infidelis vult discedere, non detineatur. Ait enim: *Infidelis, si discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi. In pace autem voca-*

vit nos Deus. Sed in hoc loco videtur istud exemplum contrarium. Quid enim attinet hoc exemplum monacho, si discere vult, ut discedat, cum Paulus apostolus de matrimonio dicat, quod constat ex fideli et infideli persona? Non est contrarium, quia sicut ille conjunctus est mulieri vel viro, ita et iste monachus quasi mulieri et viro conjunctus est, cum corpori monasterii se sociavit; deinde, sicut ille discedit, quia infidelis est, ita et iste monachus infidelis est, cum professionis suae transgressor existit. Et reddit causam, quare, cum dicit: *ne una ovis morbida totum gregem contagiet,* i. e. contaminet. Istud exemplum notum est, quia talis est infirmitas in una ove, quae totum gregem coinquinat et ad perniciem ducit — ac si diceret aliis verbis: Ideo dico discedere a corpore monasterii illum, qui ita infirmus est, ut istis modis sanari non valeat, ne ejus miseria alii pereant capiendo ab eo malum exemplum, sicut grex solet perire ex contagione morbidae ovis. De hac ove morbida, quae totum gregem suo tactu contaminat, ut ante occidatur, etiam Virgilius dicit in tertio libro (v. 464—473) Georgicon: *Quam procul .... ab origine gentem.*

Verumtamen sciendum est, quia istud, quod dicit *Infidelis, si discedit, discedat*, duobus modis intelligitur, sive ad illum, qui vult exire et ductus est per sex gradus, sive etiam ad illum, qui per sex gradus ductus non emendaverit et [tamen] quamvis nolens voluntarie exire, projicitur, eo quod iste talis, quamvis corpore non discessit, tamen mente discessit; unde sicut discessit mente, discedat etiam et corpore.

Cap. XXIX.

SI DEBEANT ITERUM RECIPI FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO.

Frater, qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit usque tertio ita recipiatur, jam vero postea sciens,[1])

[1]) sciat (?)

omnem sibi reversionis aditum denegari. Egregium ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, quando prius dixit de expulsione fratrum, et postmodum subjunxit legem revertentium, quasi interrogasset quis S. Benedictum dicens: Ecce pater Benedicte! jussisti expelli fratrem vitiosum de monasterio. Si ergo reverti voluerit, quid faciemus? utrum recipi debet an non? Ille autem quasi respondens dicit: *Frater, qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, et sic in ultimo gradu recipiatur* et reliq. Sciendum est enim, quia istud capitulum varie intelligitur. Sunt enim, qui intelligunt profundius et diligentius dicentes: Non enim S. Benedictus pro vitio sed proprio vitio jussit expelli fratrem, quia aliud est vitium, cum absolute dicitur, et aliud est illud vitium, cum dicitur cum adjectione *proprium.* Tunc enim non est proprium vitium, quando homo ita peccat, ut alter se ibi intermisceat, v. gr. sicut est in graviori culpa immunditia vel sodomiticum, quod non unus, sed duo solent peragere; hoc enim quia cum alio fit, ideo non est proprium, i. e. tantum unius hominis, sed duorum, et eo amplius peccatum. Similiter etiam in levioribus culpis non proprium vitium intelligitur discordia et detractio, in quo vitio etiam non tantum unus, sed etiam alii commoventur, sicut dicit Salomon: *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias.* Quia in eo vitio discordiae alii intermiscentur, ideo ipsa discordia non est proprium vitium. Et propterea B. Benedictus non dixit solummodo *pro vitio*, sine adjectione *proprio*, ut ostenderet, se non jussisse, pro hoc peccato, quod non est proprium, fratrem recipi. Quare? Ne una ovis morbida totum gregem contaminet. Proprium vero vitium est illud, ubi, cum perpetratur, alius non intermiscetur, solus unus illud malum peragit, v. gr. sicut est in leviori culpa risus, superbia.

jactantia, invidia, odium et reliqua alia his similia; et in majore culpa, sicut est furtum, gula et his similia. Et ideo, quia proprium vitium est, i. e. quia alios non corrumpit, S. Benedictus fratrem recipi jussit. Nam pro illis, quae non sunt propria, de quibus superius diximus, i. e. immunditia, sodomiticum, quia valde Deo detestabilia sunt, sicut de discordia, ut dictum est, Salomon dicit. — Sed intuendum est, quia in hoc loco, ubi dicit *egreditur vel projicitur*, excluditur, i. e. separatur ille, qui pro melioratione conversationis egreditur, quia ideo egreditur, eo quod cognoscit, malam eorum esse vitam. Iste talis, qui pro hoc egreditur, non est in ultimo gradu recipiendus, sed magis rogari et honorari debet. Intuendum est etiam, quid est, quod dicit: *spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est* — ac si diceret: in ipsa poenitentia suscipiatur, quam dignus erat habere, quando projectus vel egressus est; v. gr. si fecerit furtum et debuerat in gravioris culpae excommunicatione detineri, et fugerit, tunc, cum recipitur, in ipsa poenitentia debet iterum recipi sive gravis sit culpa sive levioris;[1]) eo quod istud spondere ad emendationem in hoc loco magis attinet, quia ille veraciter emendat vitium, qui poenitentiam veraciter agit. Poenitentiam vero veraciter agere est, et perpetrata mala plangere, et iterum plangenda non committere. Forte dicit aliquis: Non debet poenitentiam agere, sed solummodo in ultimo gradu eum debere recipere. Iste enim sensus valde stultus est; v. gr. peccant duo unum peccatum, et unus ex illis fugit, antequam poenitentiam agat, alter vero, qui remansit, agit suam poenitentiam. Et ideo magna stultitia est, si is, qui fugit, cum revertitur, sine poenitentia recipiatur, quasi ipsa fuga sit ejus poenitentia, cum ad pejorem vitam i. e. saecularem egressus est, et ibi forte aliud peccatum pro fragilitate commiserit. Quomodo enim potest suum peccatum solummodo per ultimum gradum delere? Et ideo rectum est, ut, cum revertitur, in ipsa poenitentia

[1]) levis (?).

recipiatur, qua dignus ante fugam fuerat. Bene diximus, quia prius poenitentiam debet agere, deinde in ultimo gradu consistere, ut per poenitentiam satisfaciat Deo, et per ultimum gradum humilitatis satisfaciat fratribus, ut ex hoc, sicut ipse dicit, ejus humilitas comprobetur. Sic enim alibi B. Benedictus de graviori culpa extra oratorium et extra mensam praecipit esse. Deinde post poenitentiam jubet illum suscipi in choro, sed tamen non in ordine suo, sed ubi voluntas abbatis fuerit. Vide modo, sicut illic judicavit illum poenitentiam habere et post in ordine suo non debere stare, ita etiam in hoc loco sentiendum est. Similiter si in secunda vice pro peccato exierit, in poenitentia debet suscipi et postea in ultimo gradu recipi. Ita etiam in tertia vice faciendum est. Si autem non pro peccato in secunda vel in tertia vice exierit, sed pro verecundia solummodo, eo quod in ultimo gradu receptus est, tunc non debet poenitentiam habere, quia non fuit peccatum, pro quo egrederetur, sed in ultimo solummodo gradu recipiatur. — Nunc vero quasi interrogasset quis S. Benedictum dicens: Ecce pater Benedicte! jussisti in prima vice fratrem exeuntem recipi; si denuo exierit, quid faciendum est? Ille [vero] quasi respondens dicit: *Si denuo exierit, usque tertio recipiatur, jam vero postea sciat, sibi omnem reversionis aditum denegari.* In hoc loco sciendum est, quia S. Benedictus non abbati vel alicui interroganti respondet, sed fugienti, cum dicit *sciat* — ac si diceret aliis verbis: Fugientem constringo et illi pono legem et terminum, usque quot vices se cognoscat recipi; abbatem vero non constringo tali lege nec illi terminum constituo, sed illum liberum in misericordia relinquo, eo quod vicem Christi agere debet. Illum fugientem ideo constringo, ut cum post tertiam vicem non fuerit receptus, non possit querelari contra abbatem, quare post tertiam vicem non recipiatur. Ideo illi jubeo, ut sciat, sibi omnem aditum reversionis denegari, ne suo frequenti exitu aut ingressu monasterium inquietet. Nam abbatem in misericordia constituo liberum, ut, quot vicibus voluerit venire ille frater, tot vicibus recipere possit pro misericordia.

Quia Deus, cujus vicem agit, non judicat secundum praescientiam nec secundum praeterita, sed sicut est unusquisque; et propterea elegit Judam et dedit illi loculum, eo quod Judas in illo tempore bonus videbatur. Unde quamquam illum cognovit Dominus esse malum secundum praescientiam suam, tamen secundum quod erat, remuneravit illum Dominus in praesenti saeculo. Et propterea non constrinxit abbatem in (non) recipiendo fratrem, sed ut recipiat, ut si forte fratrem non lucratus fuerit in secunda vice, lucretur in tertia; et si non in tertia, lucretur etiam in quarta vice; et si non in quarta, lucretur saltem in quinta vice; et si non in quinta vice, lucretur vero in sexta, et similiter in reliquum tempus. Veruntamen sicut illum, qui pro proprio vitio egressus est, constrinxit et ei legem posuit, ut post tertiam vicem non possit querelari et contra abbatem agere de non recipiendo, ita etiam subintelligendum est de illis, quamvis S. Benedictus non dixerit, qui egrediuntur pro non proprio vitio, ut post primam vicem non recipiantur, pro causa, quam supra diximus, i. e. pro periculo aliorum — non posse querelari[1]) et agere contra abbatem, eos constrinxisse et eis legem posuisse. Nam si abbas motus misericordia illos, qui non proprio vitio egressi fuerint, forte voluerit aut potuerit suscipere, ita illis dicere debet: Nos vos voluissemus suscipere, sed tamen non audemus, ne per vos alios perdamus. Nunc autem optamus salutem vestram: pro misericordia vos recipimus, ut habitetis aut sitis in tali loco, h. e. aut in monte aut in secretis locis, i. e. ut non possitis alios ad illud peccatum trahere et eos maculare, sicut papa Gregorius docet in moralibus libris; ait enim: *Per iram gratia vitae socialis ammittitur, sicut scriptum est: »Noli esse assiduus cum homine iracundo nec discas semitas ejus et sumas scandalum animae tuae,« quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat.* Si enim ita voluerint agere, ut supradiximus, recipiantur tamdiu, donec possit illos cognoscere

[1]) subintelligendum est, non posse querelari . . . .

et eis credere sine difficultate. Si autem illi noluerint talem abbatis, sicut jam diximus, susceptionem, non recipiantur, ne per illos similiter alios perdat. Et hoc notandum est, quia illud peccatum, quod dixi esse commune, ita intelligendum est: i. e. si aliquis in illud vitium immunditiae aut sodomiticum casu cecidit et verecundatur et alium fratrem non corruperit, ex hoc tunc non est projiciendus, quamvis commune sit. Si autem in consuetudine illud vitium habuerit et alios perdiderit per hoc et emendare noluerit, tunc est projiciendus. Similiter pro vitio discordiae aut detractionis vel furti ita faciendum est. — Insuper etiam sciendum est, quia sunt alii, qui non sic acute nec sic studiose atque subtiliter, sicut diximus, intelligunt nec discernunt inter proprium et commune vitium, sed tantum simpliciter, ut si pro qualicunque vitio frater egreditur, usque ad tertiam vicem recipiant fratrem exeuntem, et post tertiam vicem nolunt eum recipere; et cum receperint eum in secunda et tertia vice, nolunt eum in ipsa poenitentia detinere, qua dignus fuit, quando fugit. Et hoc maxima multitudo monasteriorum per Franciam facit. Sed tamen illi faciunt melius, qui secundum priorem sensum faciunt, eo quod sapientiores et acutiores sunt, qui ita intelligunt. Nam et ego facio ita in nostro monasterio, et ita hortor, ut ceteri similiter faciant, sicuti sapientiores intelligunt et faciunt.

Cap. XXX.

DE PUERIS MINORI AETATE, QUALITER CORRIPIANTUR.

»*Omnis actas vel intellectus proprias debet habere mensuras; ideoque quotiens pueri vel adolescentiores aetate, aut qui minus intelligere possunt, quanta poena sit excommunicationis: hi tales dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.* Rectum ordinem tenuit S. Benedictus, cum in isto loco dicit de pueris minori aetate, eo quod superius dixit de leviorum atque graviorum culparum excommunicatione et de sollicitudine abbatis erga excommunicatos agenda et gradibus leviorum culparum, et postea de ferro abscisionis atque etiam

de susceptione fratris revertentis; et nunc suo loco subjunxit de pueris minori aetate; i. e. ne isti, qui non ita intelligunt, sicut et illi, qui per gradus vadunt, tali modo projiciantur, ideo subjunxit legem eorum quasi specialiter dicens: *quotiens delinquunt, aut nimiis jejuniis aut acris verberibus coerceantur.* Cum dicit *aetas*, aetatem comprehendit, et cum dicit *intellectum*, intelligentiam comprehendit. Ille enim non intelligit, qui non verecundatur nec turpitudinem habet pro excommunicatione. Istud vero, quod dicit *jejunium nimium*, duobus modis potest intelligi: uno modo dicitur jejunium nimium, i. e. subtractio de cibis et potu — et tamen eadem hora, qua ceteri fratres manducant, potest edere; altero modo dicitur jejunium nimium, manducare ea, quae alii comedunt — tamen prolongari in altero vel tertio die debent. Illud tamen ita debet esse jejunium nimium, ut stultus sentiat. *Acris verberibus* propterea dicit, quia plus debent isti acriter flagellari, quam illi, qui per gradus ducuntur. Superius enim dixerat de sententia judiciorum, etiam et modos judiciorum distinxerat; nunc vero dicit de aetatibus atque sensu conspiciendo — ac si diceret S. Benedictus aliis verbis: Supra disposui, quomodo debeas judicare, et distinxi tibi, o abbas, modos, qualiter agere debeas ipsa judicia; nunc vero, ne tu ipsa judicia confunderes, h. e. ut aequaliter velis judicare stultum et sapientem, infantem et senem, aut etiam ipsos minus intelligentes, ideo tibi dispono et dico: *Omnis actas vel intellectus proprias debet habere mensuras.* Pulchre dicit: *Omnis actas et intellectus proprias debet habere mensuras*, quia juxta quod unusquisque intelligit et ejus aetas est, ita debet mensuram habere in excommunicatione vel in flagello vel etiam in nimiis jejuniis. Sed attendendum est, quia non dicit *De pueris, qualiter corripiantur*, sed *De pueris minori aetate.* Istud *minori aetate* dixit ideo, ne tu tantum illos pueros intelligeres, qui quatuordecim annos habent, sed illos, qui octo vel decem i. e. minus quam quatuordecim annos habent, nec non et illos etiam, qui plus quam quatuordecim habent annos, h. e. viginti et reliquos usque

ad illos annos, in quibus legitima aetas constat. Nam quod ad illos annos, i. e. viginti attineat, et reliquos, in quibus adolescentia cognoscitur, manifestat inferius cum dicit: *quoties pueri vel adolescentiores aetate, aut qui minus intelligere possunt* et rel. Nam ad utrumque attinet, i. e. ad minus quatuordecim et ad plus de quatuordecim, eo quod utrumque tempus aetatis et de majori et de minori potest intelligi. Cum dicit *pueri et adolescentiores*, duas aetates comprehendit, i. e. pueritiam et adolescentiam. Cum autem dicit *aut qui minus intelligere possunt*, omnem aetatem comprehendit, i. e. infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, senectutem et rel. Pueri autem sunt a septimo anno usque ad quartum decimum; adolescentiores vero sunt a quarto decimo anno usque ad vigesimum octavum. In hoc enim loco notandum est: Cum dicit: *hi tales*, — i. e. *pueri vel adolescentiores aut qui minus intelligunt, quanta poena sit excommunicationis, dum delinquunt, aut nimiis jejuniis affligantur aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur* — patet, quid sit, quod superius in vicesimo tertio capitulo loquitur ita dicens: *Si autem improbus est, vindictae corporali subdatur*, quia vindicta corporalis, sicut in flagellis intelligitur, ita etiam in jejuniis nimiis. Et bene dixit: *aut jejuniis nimiis affligantur aut acris verberibus coerceantur*, quia sicut non convenit omnibus flagellum, ita etiam non omnibus convenit nimium jejunium. Istud enim *aut* separationem facit. Sicut enim superius, i. e. in vicesimo tertio capitulo divisit inter honestam et inprobam personam, cum dicit: *Si intelligit, qualis poena sit, excommunicationi subjaceat, si autem improbus est, vindictae corporali subdatur*, ita etiam hic distinguit inter probam et improbam personam, i. e. qui minus intelligunt, quanta poena sit excommunicationis. Ille enim non intelligit, quanta poena sit excommunicationis, qui per simplicem excommunicationem non emendat se; v. gr. sunt duae personae, qui minus intelligunt, quanta poena sit excommunicationis: isti tales, quamvis aequaliter minus intelligant, quanta poena sit excommunicationis, tamen non illis aequaliter convenit flagellum

aut nimium jejunium, quia sicut jejunium uni nocet et alterum juvat, ita etiam flagellum. Et propterea B. Benedictus distinguendo dixit, cum dixit *aut nimiis jejuniis aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.* In arbitrio abbatis constituit, quatenus ille cognoscat personam; si ei proficit flagellum, adhibeat ei flagellum, si vero cognoverit, non proficere ei flagellum, adhibeat ei jejunium, eo quod multi sunt, qui per flagellum pejores fiunt. In hoc enim loco, ubi dicit *nimiis jejuniis,* varie intelligitur. Sunt enim multi, qui *nimium jejunium* intelligunt mediam libram panis solummodo et unum stauppones aquae in hieme, in aestivo vero tempore duos. Et sunt iterum alii, qui intelligunt quartam partem librae panis et aquam sicut superiores. Sed isti, qui quartam partem librae panis dicunt, non bene discernunt.[1]) — Et hoc intuendum est, quia sunt aliae regulae, quae habent: *nimis affligantur jejuniis.* Istud *nimis* adverbium est. Et sunt iterum multae, quae habent *nimiis,* et istud *nimiis* nomen est. Sed sive per nomen sive etiam adverbialiter habeant, nil nocet. — Videndum est etiam iterum, qua ratione nominatim duas aetates, i. e. infantiam et adolescentiam expressit? Ideo illas duas specialiter nominavit, eo quod istae duae aetates procliviores sunt ad negligentiam faciendam quam ceterae aliae.

Cap. XXXI.

DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT.

Cellararius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater. Egre-

[1]) Mabillonius in Annalibus (tom. II. p. 434 ad ann. 817) dicit, in Hildemari commentario ad cap. XXX s. regulae hunc locum esse: *libra viginti duos solidos habet. quando crudus est panis, ut cum coctus fuerit, habeat solummodo viginti.* At jam in Martenii commentario (cap. XXXIX. p. 522. ad marg.) istum locum non inveniri in codice S. Benigni Divion. asseritur. qui idem locus etiam in codicibus in Germania extantibus deest.

gium ordinem tenuit S. Benedictus in hoc loco, cum prius dixit, qualis debeat esse abbas, et postea subjunxit de officiis divinis, deinde de decanis, postea de sententiis judiciorum, et nunc subjunxit de cellarario monasterii, eo quod per cellararium multa vitia in monasterio possunt nutriri, et multa resecari. Et bene de cellarario disponit, qualis debeat esse, quia cognovit, non parvum profectum nec mediocrem bonitatem esse, si cellararius sapiens esset, sicut e contrario grave periculum, si stultus esset. Nam alieno genere loquitur nunc, cum dicit de cellarario monasterii. Ait enim quasi interrogando: *Cellararius monasterii qualis sit*, et post dicit: *Cellararius monasterii eligatur de congregatione sapiens* et rel. Cellararius dictus est a cella, cella vero dicta a celando, eo quod ibi celantur ea, quae ad sustentationem vitae praesentis attinent. Attendendum est, quia non dixit solummodo *cellararius*, sed cum adjectione *monasterii* — quasi diceret: Si aliarum domorum cellararius sapiens debet esse, quanto magis monasterii. Cum enim dicit *eligatur*, attendendum est, quia non dixit *ponatur*, h. e. ut non ad libitum suum abbas illum ordinet; sed dixit *eligatur*, i. e. *ut omni congregationi sit sicut pater*. Ideo enim dixit *eligatur*, ut ostenderet, quia abbas non secundum quod sibi libitum est, illum ordinet, sed, quem meliorem reppererit, qui illud ministerium recte et rationabiliter explere valeat, eligere debeat. Nam sunt multi, qui eligunt sibi cellararium, sed tamen non qui juste et rationabiliter illud ministerium expleat, sed qui sibi placere studeat. Hi tales si videntur eligere, non eligunt, quia meliorem non eligunt, eo quod illa est electio, qua melior semper eligitur. Nos enim, cum aliquid eligere volumus, in quantum cognoscere possumus, meliorem[1]) eligimus. Quid est enim electio nisi separatio optimi a meliore vel melioris a bono aut boni a malo? — Et bene dixit *de congregatione*, quia non aliunde debet eligi nisi de congregatione. Bene prius dixit *sapiens* ante alias virtutes, quia primum donum Spiritus S. sapientia

[1]) melius (?).

est, sicut dicit propheta: *Spiritus sapientiae et intellectus.* Intuendum est, quia cum dicit *sapiens*, non de sapientia terrena dicit, sed de philosophia coelesti. Philosophia coelestis est, discernere inter vitia et virtutes, deinde amare virtutes et odire vitia; ac deinceps ipsas virtutes, quas cognoscit, operibus exercere studeat, eo quod nil valet sapere et cognoscere bonum, et illud non diligere atque amando non operari. Talis est enim, qui sapit bonum et illud non diligendo operatur, qualis est ille, qui portat vinum et panem et exinde nec manducat nec bibit. Et bene sapientia a sapore dicta est, eo quod saporem, i. e. intelligentiam omnium bonorum doctoribus tribuat. Pulchre, cum dixit *sapiens*, subjunxit *maturis moribus*, quia ex sapientia celesti descendunt maturi mores. Maturi enim mores sunt dulces et amabiles. Sicut enim dicitur maturum pomum, eo quod abjecta asperitate et acerbitate tempore suo efficitur dulce et aptum ad manducandum, ita et maturis moribus dicitur ille, qui abjecta omni acerbitate et asperitate saeculari, quam in saeculo habuit, efficitur amore Dei aptus et dulcis et amabilis atque affabilis. Apte et congrue, postquam dixit *sapiens et maturis moribus*, subjunxit *sobrius*, eo quod sobrietas ex sapientia et maturis moribus procedit. Sobrietas enim intelligitur temperantia. Ille autem dicitur sobrius, qui temperatus est, i. e. qui nec plus nec minus quam oportet agit; nam ille, qui sapiens Dei est et maturos mores, i. e. dulces et amabiles habet, sobrius statim efficitur, quia nil plus nil minus agit.

Sequitur: *non multum edax.* Hactenus B. Benedictus dixit, qualis debeat esse cellararius in interiore homine, cum dicit *sapiens*, *maturis moribus*, *sobrius.* Nunc vero narrat, qualis sit in exteriore homine, cum dicit *non multum edax.* Deinde postquam dixit *non multum edax*, congrue subjunxit suo loco *non elatus*, eo quod ex multa edacitate solet effici homo elatus. Veluti equus ex multa edacitate incrassatur et efficitur superbus, ita et homo ex multa edacitate efficitur elatus. *Elatus* ad elationem pertinet; sciendum est enim, quia elatio fit in spiri-

talibus rebus, superbia autem in spiritalibus et in temporalibus. Elatus enim dicitur eo, quod se ipsum super mensuram suam elevet, dum magnus sibi videtur de his, quae agit.

Sequitur: *non turbulentus.* Nunc vero alio genere locutionis loquitur. Turbulentus enim dicitur obscurus, non sincerus, non hilaris, furibundus. Veluti aër dicitur turbulentus, cum non est serenus, i. e. lucidus, sive aqua dicitur turbulenta, cum non est limpida et lucida, ita et homo dicitur turbulentus, cujus vultus obscurus est, i. e. non hilaris et suavis. Iste talis iracundiam, quam in corde gestat, in vultu suo manifestat, eo quod hilaritas et tristitia cordis in vultu solet manifestari. Bene postquam dixit *non turbulentus*, subjunxit *non injuriosus*, quia iste turbulentus, qui iram prius in vultu ostendit, tempore suo fratrem, cui se jungit, exasperat. Iterum ordinem congruum etiam servavit in hoc, cum prius dixit *non turbulentus et injuriosus*, et subjunxit *non tardus*, eo quod tarditas ex turbulentia et injuria solet procedere, quia illi, cui irascimur vel injuriamur, cum aliquid facere debemus, cum tarditate facimus.

Sequitur: *non prodigus.* In hoc enim loco videtur alio genere locutionis loqui, cum prius dixit *non turbulentus*, *non injuriosus*, *non tardus*, et subjunxit *non prodigus*, quia prodigus non ex iracundia descendit, sed ex hilaritate, eo quod prodigus dicitur quasi *porrigens*. Sed quamquam ex hilaritate procedit prodigus, tamen etiam ex iracundia. Sed iste, qui hilaris est, potest dare simulate, i. e. corde irato et vultu hilari, qui autem turbulentus est, non potest dare laeto vultu et tristi animo, eo quod non potest occultare iracundiam cordis. Ideo enim dixi, etiam ex iracundia posse procedere prodigum, quia multi iracundi per indignationem tribuunt causa commotionis animi prioris. Unde animadvertendum est: neque per indignationem dare debet, cui opportet, neque etiam per hilaritatem debet dare, cui non opportet: sed cum dat, sine ulla simulatione aut indig-

natione illi, cui convenit dari, debet,[1]) neque etiam illi tribuat, cui non convenit dari, sive etiam ut Isidorus dicit: *Reprehensibilis est superflua effusio largitatis; nam qui modum servat, avarus nulli est, sed omnibus largus est. Dispensator non debet esse prodigus, sed discretus; largiri enim debet, quantum opportet, ut tenendo in uno mensuram sufficiat plurimis.*[2])

Sequitur: *sed timens Deum.* Bene, postquam indicaverat bona, quae cellararius debet habere, subjunxit *timens Deum*, quia tunc illa poterit custodire et retinere, si Deum timuerit. Notandum est, quia timorem castum indicat illum habere.

Sequitur: *qui omni congregationi sit sicut pater.* Pater enim familias omnes secundum qualitatem uniuscujusque diligit, et unicuique juxta meritum suum tribuit. Nam quid sit pater omni congregationi, idem S. Benedictus indicat, cum subjungit, ait enim: *Curam gerat de omnibus.*

Sequitur: *sine jussione abbatis nihil faciat.* Hactenus B. Benedictus quasi sine freno illum constituere videtur, in eo, quod illi illa superiora dixerat habere et agere. Sed nunc, cum dixit *sine jussione abbatis nihil faciat*, quasi frenum illi in ore posuit, ne libere agat ea, quae superius dixerat agere. Veluti cum quis sternit equum et eidem desuper sedit sine freno, ita B. Benedictus illi facere videtur, cum illa superiora illum jusserat agere. Sed nunc freno illum constringit, cum illi dicit *Nihil sine jussione abbatis faciat.* Nunc vero intuendum est, quae sunt, quae abbas illi debet committere. Idem Pater Benedictus inferius manifestat, quorum curam agere debeat cellararius. Sed valde necessarium est abbati, ne aut plus aut minus, quam oportet, cellarario committat, quia si minus, quam constitutum est, commiserit, uno e duobus modis peccandi occasionem cellarario praebet: aut enim peccabit cellararius, si minus, quam oportet, commissum habuerit, i. e. aut pecca-

---

[1]) scil. dare.

[2]) Sententiar. lib. 3. cap. 60. n. 20. 21.

bit, si secundum suum ministerium agere voluerit, in abbatem, aut certe, si minus quam suum ministerium egerit in dando vel retinendo, peccabit in regulam, i. e. in Deum. Si vero majorem potestatem habuerit, quam justum est, dandi vel retinendi, peccabit in regulam, i. e. in Deum. Debet enim illi abbas constituere isto modo: v. gr. sub cura tua sint infantes, hospites, infirmi, pauperes, servi, etiam qui ad usum horti vel coquinae sunt deputati, fleuthomati et illa generalitas monachorum. Deinde debet illi constituere, quid infantibus det, qua hora, vel etiam quam magna mensura: *et infra ista omnia in tuo arbitrio constituo:* [*ut*] *juxta quod melius intelligere vales, curam infantum habeto. Si vero evenerit tibi dubietas, quid agendum sit, me interroga.* Deinde debet illi constituere hospitum curam isto modo: v. gr. si venerint episcopi aut abbates aut comites, tali modo illis servire stude: si autem venerint clerici, canonici, tali modo servitium eis exhibe; si certe venerint monachi, tali tenore illos recollige. Et postremo debet illi dicere: Si in his tibi dubietas venerit, me interroga. Similiter de pauperibus agere procuret. *Item de infirmis tibi constituo isto modo*: i. e. qualitatem ciborum et horam; et admonere cellararium propter infirmos debet, ut ille cellararius admoneat suos manipulos, ut illi servitores non negligant, infirmorum servitium praebere, necnon ut ipse cellararius domum infirmorum visitare et negligentias emendare frequenter studeat. Si autem per se emendare non potuerit, tunc principi, i. e. abbati suggerere debet. Deinde simili modo de fleuthomatis illi constituere modum debet, necnon etiam de famulis praedictis tam sanis quam infirmis. Similiter etiam de fratribus, qui subitanea infirmitate infirmantur, si eundem cibum manducare non praevalent, abbati nuntiare debet. Similiter etiam de omnibus praedictis, si illi dubietas evenerit, dicere abbati et manifestare debet. De illa autem tota congregatione debet illum docere, nil aliud illis apponendum, nisi hoc, quod regula dicit, aut ego constituero juxta tempus. Fratri vero laboranti non est tibi concessum dare quidquam cibi vel potus

sine jussione abbatis. Sed de illis, qui laborant, ita agendum est: Ille autem princeps, qui cum illis laboravit, debet providere, utrum necessitas sit necne, illis aliquid augere remota in omnibus crapula.

Sequitur: *quae jubentur, custodiat, fratres non contristet*, i. e., quae abbas illi jusserit, faciat et sine jussione abbatis nil agat. Quod vero dicit *fratres non contristet*, i. e. nulli debet acrius responsum dare, sed eis bonum sermonem in omnibus tribuere, sicut inferius idem Pater subjungit: *et cui substantia non est quae tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, sicut scriptum est: »Sermo bonus super datum optimum.«* Breviter enim dico: si talis est cellararius, sicut ista regula dicit, potest abbas in suo arbitrio omnia constituere, et eum sicut se potest constituere. Si autem talis est, qui habet bonam opinionem, debet constituere illum cellararium. Deinde si inventus est malus, post aliquantos dies, et habuerit meliorem, melius est, ut istum talem ejiciat et alium in loco ejus constituat, quam illud officium minoretur, ut depravatum sit. Si autem non potuerit talem invenire, sicut istud capitulum dicit, tunc debet illi manifestare, quae et quanta sub cura sua habeat — cetera vero cum facere volueris, me interroga. Sunt enim quidam, qui omnia scribunt et traditionem uniuscujusque capituli, quod ad illud officium àttinet, sic unicuique tradunt: postea vero si peccat, non habet excusationem; et in omni obedientia sic faciunt.

Sequitur: *Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter male petenti deneget.* Propterea dixi superius, illum esse sapientem, ut sciat rationabiliter denegare, verbi gratia debet illi dicere: Frater hoc quod petis, si dedero, et me et te reum facio, eo quod tu contra legem petis et ego contra legem do. Si autem ille frater ex hoc iratus vel commotus fuerit, debet illi dicere: Ne irascaris, frater, quia peccatum agis. Si autem denuo fecerit ille frater, per septem gradus debet duci.

Sequitur: *Animam suam custodiat, memor semper illius apostolici praecepti, quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit.* Hoc Paulus apostolus dicit Corinthiis de ministris Ecclesiae — ac si diceret: Qui bene ministerium suum peregerit, bonam gratiam sibi a Deo acquirit, i. e. bonum locum, hoc est, a Deo remunerabitur.

Sequitur: *Infirmorum, infantum, hospitum pauperumque curam cum omni sollicitudine gerat.* In hoc enim loco indicat, quae sunt, quorum curam habere debeat cellararius et qualiter eorum curam gerat. Sed hoc intuendum est, quia cum dicit *hospitum*, mos erat apud antiquos, ut cellararius curam haberet hospitum. Sed nunc propter multitudinem hospitum, qui paene omni hora ad monasterium veniunt, [ideo] alii constituti sunt ad suscipiendos hospites. Illorum hospitum nunc curam agere intelligere debemus. qui in refectorium ad manducandum ducuntur.

Sequitur: *sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est. Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Nunc videndum est, qualiter haec intelligere debeamus. Si enim sicut vasa altaris sacrata debent conspici vasa coquinae i. e. lapidea et scutellae, non ibi pulmenti aliquid mittere audebimus. Sed ita intelligi debent. ac si diceret aliis verbis: ita debet cellararius vasa monasterii juxta meritum vasculi conspicere, sicut conspiciuntur vasa altaris secundum meritum suum, hoc est non pejus debent vasa coquinae secundum meritum tractari, sed munde et caute juxta meritum suum tractanda sunt. Quod vero dicit *ac si altaris vasa sacrata conspiciat*, i. e. tractet et ordinet atque disponat.

Sequitur: *nihil ducat negligendum neque avaritiae studeat neque prodigus sit et stirpator substantiae monasterii, sed omnia mensurate faciat et secundum jussionem abbatis.* Istud vero, quod dicit *Nihil ducat negligendum*, i. e. nihil aestimet negligendum vel putet. Cum enim dicit *neque avaritiae studeat* — ac si diceret: illum quod constitutum est dare tam ab regula quam ab abbate, non teneat. Ava-

ritia namque est nimia divitiarum acquirendi, habendi vel tenendi cupiditas. Unde Gregorius dicit: *Avaritia enim non solum pecuniae est, sed etiam altitudinis, quae pestis insaturabilis est. Sicut morbus hydropici eo quod in bibendo non sitim extinguit sed potando succrescit, sic avaritia quanto magis habet, tanto plus desiderat, ut dum modus non est illi in habendo, modus illi non est in desiderando. Ex qua oriuntur invidiae, furta, latrocinia, homicidium et reliqua his similia.* Cum autem dicit *neque prodigus sit* — ac si diceret: *cui non debet dare, non det. Prodigus* dicitur quasi »*porrigens*«. Quod vero dicit *stirpator substantiae monasterii*, unum significat, hoc est quia prodigus, quod stirpator substantiae. *Sed omnia mensurate debet facere et secundum jussionem abbatis.* Quod dicit *secundum jussionem abbatis*, hoc ipsum repetivit, superius quod dixerat *sine jussione abbatis nihil faciat*, quia nos rem, quam volumus arctius inculcari in cordibus auditorum nostrorum, frequenti iteratione repetimus.

Sequitur: *Humilitatem ante omnia habeat.* Bene dixit *Humilitatem ante omnia habeat*, eo quod Dei sapientia non potest esse sine humilitate. Ideo enim superius illum dixerat sapientem esse, ut sapiens possit ante omnia et super omnia humilitatem habere.

Sequitur: *et cui substantia non est, cui tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, sicut scriptum est:* »*Sermo bonus super datum optimum*« — quasi diceret: Si non est substantia, quae tribuatur alicui, porrigatur sermo bonus; v. gr. quaeritur ab illo piscis aut ovum ab aliquo, ille vero non habet id, quod quaesitum est; — debet saltem sermonem bonum porrigere, quia scriptum est: »*Sermo bonus super datum optimum.*« Nunc vero intuendum est, quomodo intelligi debet hoc quod dicit: *Sermo bonus super datum optimum.* Si enim quis dat optimum datum cum sermone bono, numquid melius est solus sermo bonus super datum illud optimum cum sermone bono? Non, sed illo dato optimo est melior sermo bonus, quod cum mala voluntate datur. Nam si melior est solus sermo bonus

super datum optimum, quod cum mala voluntate datur, multo melius est datum optimum cum sermone bono. Et talis est iste sensus in hoc loco, cum dicit: *Sermo bonus super datum optimum*, qualis sensus est in illo loco, ubi Dominus dicit: *Majus gaudium est super uno peccatore poenitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia.* Numquid de omnibus justis dixit Dominus, ut majus sit gaudium peccatoris poenitentiam agentis, quam de omnibus justis? Non, sed sciendum est, quia duo sunt genera justorum, i. e. unum ferventium et studiosissime viventium, alterum vero non ferventium nec studiosissime viventium. V. g. sunt enim multi boni homines, qui habent sua propria sive etiam honores et dignitates saeculi, et tamen vivunt recte, i. e. dant suas decimas, faciunt eleemosynas, non rapiunt aliena, suscipiunt hospites, visitant infirmos, et cetera his similia, sicut faciunt boni saeculares homines. Deinde sunt alii justi, qui non committunt graviora peccata, sed tamen amore Dei ducti, vendunt omnia, quae possident, et dant pauperibus et intrant in monasteria et praeponunt sibi abbates, fugiunt honores, orant et plangunt assidue et jejunant et gaudent opprobriis et despectionibus et cetera his similia bona faciunt. Deinde est peccator, qui forte commisit adulterium aut homicidium et cetera his similia graviora peccata. Et cum haec se cognoverit omnia fecisse, relinquit omnia et dat pauperibus et intrat in monasterium et praeponit sibi abbatem, gaudet opprobrio, fugit honores, orat assidue, ut Domini misericordiam indulta venia peccatorum suorum invenire possit. Numquid iste peccator, qui talia agit, majus gaudium facit in coelo de illis justis, quos superius diximus, qui sine perpetratione malorum intrant in monasterium, fugiunt honores et gaudent opprobriis, jejunant et orant? Non, sed de illis justis iste peccator majus gaudium facit, quos supra jam diximus, qui habent sua propria et honores, quamvis non rapiunt aliena et faciunt eleemosynas. Quia si iste peccator, qui poenitens plangit malum, quod fecit, facit majus gaudium in coelo, utique multo

magis majus gaudium faciunt illi justi in coelo, qui sine perpetratione malorum operum plangunt malas cogitationes. Lector meus, si plenius vis hoc cognoscere, lege homiliam beati Gregorii, ubi dicitur de pastore, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit quaerere unam ovem, quae erraverat. Ita de isto, qui solo sermone bono dato[1]) super datum optimum, intelligendum est. V. gr. sunt enim tres homines, qui tribunt: unus ex illis dat cum dulci animo et bono atque affabili bonitate; alter vero dat cum mala voluntate et murmuratione atque ira; tertius vero illorum, qui non dat aliquid, quod petitur, tamen dat bonum sermonem et dulcem atque affabilem. Numquid iste, qui tantummodo sermonem bonum dat sine illo, quod petitur, melior est de illo, qui non solum dat quod petitur, sed etiam bonum sermonem et dulcem atque affabilem tribuit? Non, sed de illo est melior, qui licet det, quod petitur, tamen dat cum murmuratione et ira. Ac per hoc si iste bonus est, qui solummodo sermonem bonum dat sine illo, quod petitur, utique multo melior est ille, qui et dat quod petitur et sermonem bonum tribuit.

Sequitur: *Omnia, quae ei injunxerit abbas, ipse habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non praesumat.* Cum dicit *omnia*, subaudiendum est: ministeria; et cum dicit *a quibus*, subaudiendum est: ministeriis. Cum vero dicit *non praesumat*, subaudiendum est: aggredi vel agere — ac si diceret: illa ministeria habeat sub cura sua, quae illi commisit abbas, ad illa autem, quae non sunt illi commissa, non praesumat accedere.

Sequitur: *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo (typho) vel mora offerat.* In hoc quod dicit *fratribus constitutam annonam*, omnes comprehendit illos, quibus abbas constituerat annonam tribuere. *Annona* ideo dicta est, quia mos fuit apud veteres, ut ad horam nonam comederent; et inde tractum est annona:[2]) nunc vero dicitur

[1]) dat (?).

[2]) cf. S. Isidori etymol. lib. 20 c. 2. n. 13.

omnis cibus vel potus, quae ad victum attinent. *Typho* interpretatur tumor vel figura — ac si diceret: Annonam, id est cibum et potum sine aliquo tumore superbiae vel mora tribuat, i. e. sine tarditate, ut non scandalizentur, hoc est ut non contristentur vel irascantur. Sive typhus (typus) dicitur lanugo, i. e. herba viridis, aquae quae supernatat, quae neque in radicibus neque in cremento aliquid habet, sed tantummodo aspectum habere dignoscitur. Ex quo ostenditur, qui typho deditus est, nulla virtute esse subnixum.

Sequitur: *memor divini eloquii, quid mercatur, qui scandalizaverit unum de pusillis istis* — subaudiendum est: *expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* In hoc loco intuendum est, quia cellararius memor debet esse hujus divini eloquii. Si autem memor non fuerit, praevaricator hujus praecepti est. Sed in hoc loco videtur quasi tacite dixisse, ut coram omnibus debeat dare abbas unicuique obedientiam, et coram omnibus potestas[1]) illius obedientiae, quae et quantum debeat agere, et sensum capituli, quod ad illam obedientiam attinet, tradere debet.[2]) Per molam enim intelligitur cura saeculi. Bene per molam cura saeculi intelligitur, quia sicut mola in gyro volvitur et efficit minutissimas farinas, ita et cura saeculi semper in gyro volvitur et efficit minutissimas atque subtilissimas cogitationes. Per collum vero ordinatio seu dispositio intelligitur. Per mare intelligitur praesens vita — ac si diceret Dominus: Expedit, i. e. levius est ei, in saeculo permanere et de saeculo descendere in profundum maris, hoc est saeculi, quam habere formam sanctitatis, et sub forma sanctitatis contristent[3]) pusillos et exinde descendere ad infernum. Quamquam alii sunt, qui aliter hunc locum intelligunt, tamen S. Benedictus sub hoc sensu dixit illud, ac si diceret: Melius et levius fuisset

---

[1]) potestatem (?).
[2]) debeat (?).
[3]) contristare (?)

cellarario, ut esset in saeculo et inde descendisset ad infernum, quam sub forma sanctitatis aliis facere[1]) contra rationem malam voluntatem. Mola asinaria ideo dicitur, quia asinus molit cum illa. »*Scandalizaverit,*« i. e. contristaverit. De hac sententia Beda ita loquitur dicens: *Bonum est ei magis . . . . veritas relinquatur.*[2]) Item Ambrosius: »*Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris.*« *Pusillus hic non de aetate pueros, sed malitia parvulos dicit, sicut Apostolus ait:* »*Malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis.*« *Qui sunt isti, nisi clerici idonei et monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur his irreverens aut contumeliosus extiterit, hac velut poena plectetur, ut informi saxo religato illi ad collum praecipitetur in mare.*

Sequitur: *Si congregatio major fuerit, solatia ei dentur, a quibus adjutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum.* Ferunt, quia apud antiquos mos fuerit, quia cellararius in cathedra in loco noto sedebat et habebat discipulos, quos dirigebat ad singulis aliquid dandum. Ideo enim in uno loco sedebat, ut omnes, qui necesse habebant aliquid ab illo petere, semper praesentem invenirent. *Aequo animo*, i. e. tranquillo animo, bono animo, i. e. patienti animo, unde dicitur caeco: *aequioris animi esto*, i. e. patientis animi vel tranquilli animi.

Sequitur: *Horis competentibus dentur, quae danda sunt, et petantur, quae petenda sunt, ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei. Horis competentibus*, i. e. horis aptis et congruis. Istud *horis competentibus* duobus modis intelligitur, i. e. non debet aliis horis petere, quae petenda sunt, nisi illis horis, quibus debent loqui, sicuti est in diurnis

[1]) faceret (?).

[2]) Homiliar. lib. 3. hom. 67. (Migne. tom. 94. col. 442.) Quod ista homilia nostris temporibus a compluribus scriptoribus spuria habetur. non videtur congruere ad id, quod Hildemarus eam tanquam verum Bedae opus affert, cum Hildemarus forte XL annis post Bedae obitum natus sit

horis, in quibus non debet legi nec silentium teneri; altero modo intelligitur ita: si autem talis est necessitas, quae non potest differri, tunc quando illa necessitas exigit, ut petantur, hora competens est, sive sit nocte aut in illis horis, quibus lectioni vacandum est; si autem necessitas non est, aut si talis est necessitas, quae potest differri, non aliis horis debent peti nisi in illis, in quibus licet loqui; nam si aliis horis petita fuerint, non *horis competentibus* petunt, quia incompetens hora est, quando lectioni vel psalmis vacant. In hoc loco intuendum est, quia cum dicit *dentur, quae danda sunt*, cellararium constringit, ut si horis competentibus petitus fuerit dare, det, ut fratres non contristet. Cum autem dicit *et petantur, quae petenda sunt*, congregationem constringit, ut fratres non incongrua et incompetenti hora petant, ut illum cellararium non contristent. Et reddit causam, quare, cum dicit: *ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei*, i. e. ne cellerarius contristetur aut conturbetur male petente congregatione; similiter ne fratres conturbentur aut contristentur non dante cellarario, quod suo tempore petitus fuerat. Et hoc sciendum est, quia melius est, ut illa persona, si non est talis, ut huic ministerio sufficiat, evellatur ab illo ministerio, quam illud ministerium violet, hoc est corrumpat, ut *ita* non detur fratribus, ut duo possit implere, hoc est et curam de omnibus gerere, et sine jussione abbatis nihil facere; aut certe si talis non est persona, i. e. ita apta omnibus, ut hoc officium bene possit implere, nullo modo cellararium debet illum abbas constituere.

Cap. XXXII.

DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII.

Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus — praevideat abbas fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Apte et congrue dicit nunc de ceteris ministris monasterii, quia jam dixit de cellarario, qui major esse noscitur. In sua enim

sententia perseverat, eo quod superius dixit, vasa monasterii munda et sana custodire, et nunc subjunxit de vasis monasterii, cum de ferramentis vel rebus dixit. Ferramenta autem attinent ad sappam et ad securim, sive ad dolatoria et reliqua his similia. Vestes vero attinent ad vestimenta illa, quae debent in operam habere, quando operantur aliquid, quod eis a priore injunctum fuerit. Quod autem dicit *seu quibuslibet rebus*, subaudiendum est: utensilium. Utensilia dicuntur, quae ad usum utilitatis ad manum veniunt. Videndum est etiam, quare dicitur *vita et moribus; vita* enim attinet ad conversationem, *moribus* vero ad affabilitatem, sicut jam de cellarario et de decano dictum est. Tanto enim erit abbas securus de illis, quantum ipsi fratres fuerint studiosi in bene vivendo et affabiles in mores dulces et amabiles atque convenientes aliis habendo.

Sequitur: *et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ut* enim in hoc loco pro *sicut* ponitur, *utile* vero pro *aptum* intelligitur. Quod vero dicit *consignet custodienda atque recolligenda* abbas singula sicut aptum judicaverit, hoc est secundum quod ipse judicaverit, i. e. disposuerit atque ordinaverit custodienda atque recolligenda.

Sequitur: *ex quibus abbas brevem teneat, ut, dum sibi in ipsa adsignata fratres vicissim succedunt, sciat, quid dat aut quid recipit. Si quis autem sordide aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur. Si non emendaverit, disciplinae regulari subjaceat.* — In omnibus officiis per brevem debet dare et per brevem debet recipere, ut sciat, quid dat aut quid recipit. In hoc loco intuendum est, cum dicit *vicibus succedunt*, [eo] quod fratres per vices debent agere obedientiam, tamen si est alius, qui melius vel ita potest agere illud ministerium, aut certe si illud ministerium animae suae contrarium fuerit, tunc debet alter succedere sibi per vicem. Cellararius autem et decanus non dicit, ut per vicem sibi succedant; sed usque dum non potest meliorem invenire, semper ille debet esse in decania sua aut ille in cellararia sua, etiamsi per decem annos, si meliorem non

potest invenire, ille solus agat illud ministerium. Et hoc notandum est: quia inferius dicturus est: *Si quis frater fregerit vel perdiderit, debet veniam postulare*, ideo nunc dicit brevem facere, ut si forsitan noluerit manifestare damnum, cognoscatur per brevem. *Sordide* autem ad immunditiam, *negligenter* enim attinet ad fracturam et sorditiam. *Disciplinae regulari subjaceat* duobus modis debet intelligi; uno modo: si fregerit, debet excommunicari, sicut in tertio modo dicit; si vero non munde et non recte atque studiose tractaverit, quae[1]) non est ad fracturam, sed ad immunditiam, debet etiam per sex gradus duci.

Cap. XXXIII.

SI QUID DEBEAT MONACHUS PROPRIUM HABERE.

Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, cum postquam dixit, ut cellararius omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa conspicere deberet, et subjunxit suo ordine de ferramentis vel rebus monasterii brevem esse faciendum et diligenter esse tractanda, [et] subjunxit statim: *Si quid debeat monachus proprium habere*, i. e. ne aliquis velit se subtrahere aut auferre se ab illa generalitate. Ideo rectum fuit, ut statim diceret, ut nullus auderet proprium habere, sed omnia sint communia. Reddit causam, quare, cum dicit: *quibus nec corpora nec voluntates licet habere in propria voluntate* — ac si diceret aliis verbis: nam si corpora et voluntatem in propria non licet habere potestate, multo minus aliquid rei habere proprium debent, quod extra corpus est. Quod autem dicit: *non liceat dare vel accipere sine jussione abbatis*, non ad praestitum attinet, sed ad proprium possidendum; nam licet sibi praestare invicem acus vel cultellum aut tabulas aut aliquid tale sine jussione, quia caritas est, et ejus intentio non fuit, ut caritas evellatur, sed magis, ut confirmetur, h. e. ut nullus proprium habeat. eo quod jam non est caritas, si aliquid vult unus habere, quod non vult, ut alius habeat illud.

[1]) quod (?).

Quod vero liceat, sibi invicem praestare, h. e. commodare, ipse S. Benedictus alibi jubet, cum dicit: *Obedientiae bonum non solum abbati exhibenda est, sed etiam sibi invicem obediant fratres.* Caritas autem non est, nec etiam bonum obedientiae, si sedet frater ad mensam, cum alii sedent fratres, et contigerit, ut ibi non habeat cultellum suum, et ille qui juxta sederit, suum ei cultellum non praestiterit — sicut diximus, caritas non est. Ita de ceteris necessitatibus intelligendum est.

Sequitur: *Praecipue hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio: ne quis praesumat aliquid dare aut accipere sine jussione abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria voluntate. Omnia vero necessaria a patre sperare monasterii, nec quidquam liceat habere, quod abbas non dederit aut permiserit. — Praecipue,* i. e. maxime, ante omnia. — Hoc enim intuendum est, quia scriptura divina de illo vitio,[1]) radicitus amputandum esse, quod valde detestabile est, sicut in hoc loco dicit unde, quia hoc vitium valde est detestabile et abominabile, noluit aliqua poena illos constringere, sed celeri morte finire. Cum dicit *ne quis praesumat*, i. e. audeat. Istud enim, quod dicit *nullam omnino rem* — quasi diceret: *nullam rem omnino;* quod autem dicit *omnibus modis*, h. e. per nullum modum. Hoc intuendum est: *quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria voluntate;* si jam voluntatem non debet habere in sua potestate, quanto minus aliquam rem. *Quippe.* i. e. certe. Quia monachus nihil debet habere proprium neque rem neque voluntatem, tunc talis debet esse sicut mortuus. Quare non graphium vel tabulas debet proprium habere, cum ille S. Benedictus inferius jubet tribuere. Bene dicit *non proprium habere*, quia si tribuitur illi, non ad proprietatem

[1]) dicit (?).

tribuit, [1]) sed ad suam utilitatem habere. Si autem abbas aut praepositus aut decanus postea quaerit illi [2]) suas tabulas vel graphium, non debet illa sua sicut [3]) propria defendere, sed statim dare. Si vero non dederit, jam ad proprium vult defendere. Cum autem dicit *Omnia vero necessaria a patre sperare monasterii*, subaudiendum est: oportet, vel debet. Intuere, quia non dicit *a parentibus* vel *ab amicis*, sed *a patre monasterii*. Et ideo necesse est, sicut B. Gregorius dicit, si vult pastor suis discipulis proficere, magnum studium debet habere de temporalibus necessitatibus praebendis. *Qui cum curare corporalia . . . . est infideli deterior.* [4]) Quod vero dicit *quod abbas non dederit vel permiserit — dare* attinet, quod abbas dat de rebus monasterii; quod autem dicit *permiserit*, attinet ad illud, quod abbas concedit, i. e. quod a parentibus vel ab aliquo monacho tribuitur.

Sequitur: *Omniaque omnibus sint communia*, i. e. et omnia sint communia omnibus. Bene dicit: *communia sint omnibus*, quia bos aut ager vel equus et cetera omnibus communia debent esse. Nullus enim debet habere aut equum aut aliquid, quod non sit commune. *Ut scriptum est: neque quisquam suum aliquid esse dicat vel praesumat* — quasi dicat: non debet aliquis dicere *meum* aliquid, sicut scriptum est: quia non dicebat vel praesumebat.

Sequitur: *Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum; si non emendaverit, correptioni subjaceat.* Sunt enim alii, qui istud *nequissimum vitium* referunt ad id. quod supra dicitur: *neque aliquid habere proprium.* Sunt iterum alii, qui hoc *nequissimum vitium*, referunt ad id. quod paulo supra dicitur: *ne quisquam suum dicat.* Sed melius est, [5]) ad *neque aliquid habere proprium* referatur quam ad *meum dicere*,

[1]) tribuitur (?).
[2]) ab illo (?).
[3]) ille sicut sua (?).
[4]) Lib regul. pastor. part. II. c. 7. (cf. Migne. T. 77. col. 41.)
[5]) melius est, ut . . .

eo quod sunt multi, qui quamvis dicant in sermone *meum*, tamen nolunt habere suum in proprietate, sed in communi hoc, quod meum dicunt, quia non mala intentione dicunt. Et iterum sunt alii, qui dicunt in sermone *nostrum*, tamen in habendo *suum* est, non commune, quia nolunt, ut alii illam rem habeant aut etiam utantur aut tangant, non sicut illi superiores, qui quamvis dicant non sponte *meum*, tamen, in quantum illis licitum est, volunt, ut illam rem ceteri habeant in commune, sicuti est graphium, cappam, melotam, tabulam et reliqua. Et sunt iterum alii, qui et sermone et opere *suum* dicunt: isti sunt nequiores omnibus. Et sunt alii, qui et sermone et opere *nostrum* dicunt: isti sunt meliores omnibus. Ubi animadvertendum est, quia illi, qui dicunt solummodo sermone et non opere, de quibus in primis diximus, non sunt culpabiles, nec illis congruit, quod dicit *nequissimum vitium*, sed tantum pro honestate monasterii admonendi sunt, ut sicut nolunt opere suum dicere, ita etiam verbis non dicant. Illi autem, qui dicunt *nostrum* in sermone, et opere *suum*, culpabiles sunt, et istis congruit hoc, quod dicit *nequissimum vitium*. Illi autem, qui et sermone et opere *suum* dicunt, isti pejores sunt omnibus, sicut diximus, et ideo omnimodo illis convenit hoc, quod dicit *nequissimum vitium*. Nunc videndum est, ubi debet ista correptio esse, utrum in leviori culpa, quia nequissimum dixit esse illud, an in graviori? Forte dicit aliquis: in graviori, eo quod nequissimum dixit esse. Non est verum, sed in leviori, quia spiritale est. Ideo est spiritalis, eo quod in delectatione est et non in opere. Sed tamen ideo dicitur nequissimum, quia ad comparationem aliorum vitiorum spiritalium istud vitium nequissimum est. Qui vero dicit *meum*, quamquam vitium sit, tamen pejus est, habere proprium et non dicere *meum*, quam dicere *meum* et non habere. Et hoc notandum est, quia iste, qui dicit *meum*, considerari debet, utrum sponte an negligenter vel simpliciter dicat *meum*. Sciendum est enim, quia ista delectatio in significatione aliqua ostenditur. *Delectari* pro *habere* ponitur, quia, quando dicitur *admoneatur semel et secundo*,

in *habere* constat. Forte dicit aliquis: Causa necessitatis habeo et non delector. Cui respondendum est: Unde habes illud? Ille respondit: a parentibus aut ab amicis. Quibus respondendum est: Tu non debuisti illud accipere sine licentia. Si tibi necessarium fuit, debuisti cum licentia abbatis illud habere. Ille respondit: Abbatis quaesivi licentiam, sed noluit concedere. Quibus respondendum est: Melius est in penuria et necessitate mori, quam praevaricator tuae professionis existere.

Cap. XXXIV.

SI OMNES AEQUALITER DEBEANT NECESSARIA ACCIPERE.

Sicut scriptum est: Dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Quasi interrogasse videtur aliquis S. Benedictum, utrum debeant omnes aequaliter accipere; ipse vero quasi respondisset[1]) dicens: *Non, sicut scriptum est.* Et dicit: Quomodo? *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Hoc autem scriptum est in historia Actuum apostolorum. Ordo enim, qui in illa primitiva ecclesia erat, in monachis remansit. Nam omnes, quotquot tunc credebant, omnia sua in commune tradebant. Unde oportet doctorem, sicut admonet, propriis abrenuntiare, ita etiam debet sicut illa primitiva ecclesia unicuique, ut opus est, dividere. Attendendum est, quia egregium ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, in eo quod prius dixerat, non habere proprium et postmodum dixit: Dividat unicuique, prout opus est, quia, sicut dixi, sicut admonet doctor et abbas, principium sanctae primitivae observare ecclesiae, i. e. propriis abrenuntiare, ita etiam congruum est, ejusdem sanctae ecclesiae ordinem observare.

Sequitur: *ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi,* i. e. in qua distributione non debet abbas aliam causam considerare, sed solummodo infirmitatem.

---

[1]) respondisse videtur (?).

Sequitur: *Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur, qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia.* Usque huc, i. e. *ubi qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur,* admonuit datorem, nunc admonet susceptorem. Datorem, i. e. abbatem admonet, ne accipiat personam, sed consideret infirmitatem. Susceptorem admonet unum, cum dicit *qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur* et reliqua. In loco murmurationis constituit atque docuit, referre Deo gratiarum actiones — ac si diceret: Qui minus indiget, i. e. qui non indiget accipere sicut alius, dicat: Gratias ago tibi, Deus, quia dedisti confortationem mihi, ut non indigeam ita, sicut ille frater. *Et non contristetur*, i. e. non murmuret dicendo: quia non dedisti mihi tantas vestes sicut illi et reliqua. Alterum vero admonuit dicens: *qui vero plus indiget, humilietur pro misericordia*, ac si diceret: ille, cui plus necesse est accipere, humilietur pro misericordia et dicat: Domine, justum et rectum est judicium tuum; scio quia indignus fui et sum, et ideo non dedisti mihi hujuscemodi confortationem et fortitudinem, ut sic parum indiguissem, sicut ille frater, qui te confortante parum indiget.

Sequitur: *et non extollatur pro misericordia* — ac si diceret: Qui plus accipit quam alii, non debet dicere: quia pro meo merito, i. e. aut scientia, aut arte vel fortitudine mihi plus, quam aliis tribuuntur haec tanta necessaria.

Sequitur: *et ita omnia membra erunt in pace*, i. e. si sic factum fuerit, omnia membra erunt in pace — ac si diceret: si illud caput ita sanum fuerit, i. e. si abbas non consideraverit personam, sed infirmitatem, et ille qui minus accipit, eo quod minus indiget, non murmuraverit, quia non accipit sicut alius, et ille alter non se reddiderit priorem aliis, eo quod plus quam alii accipit, tunc omnia membra erunt in pace, i. e. omnes in concordia erunt et in caritate.

Sequitur: *Ante omnia ne murmurationis malum pro causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat.*

Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinae subdatur. Nunc videndum est, qua ratione S. Benedictus murmurationis fecit mentionem in hoc capitulo? Eo, quod ille dixerat, non omnes aequaliter debere accipere necessaria, sed secundum infirmitates suas. Cognovit etiam quasi causas murmurationis inesse infirmis, ideo vigilanter dixit: *Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat.* Quod vero dicit *ante omnia*, subaudiendum est: inspiciendum vel attendendum. Et hoc nosse debemus, quia istud, quod dicit *ante omnia*, duobus modis solet ponere scriptura divina; nam et in bono et in malo ponitur. In bono, cum dicit: *Ante omnia caritatem habete*; in malo: *ante omnia superbiae malum veluti venenum fugite.* Sed cum in bono ponitur, sicut dixi, intelligitur, ut omnimodo fiat et non praetermittatur. In malo cum ponitur, intelligitur, ut nullo modo fiat. Sed dicendum est, ad quid attineat hoc, quod dicit *ante omnia?* videlicet ad minores — quasi diceret: Valde solliciti sint monachi, ne aliquando verbis murmurent aut in aliquo signo videantur murmurare et rel., sicut in regula dicit. Potest, si subtilius attendatur, etiam ad majores attinere, quatenus ipsi solliciti sint ita distribuendo necessaria, ut minores non habeant, unde juste possint murmurare, sicut inferius ipsa regula dicit: *Sic omnia temperet atque disponat, quatenus et animae salventur, et quod faciunt fratres, absque justa murmuratione faciant.* Hoc autem, quod dicit: *Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinae subdatur*, duobus modis intelligi potest: uno enim modo intelligitur, ubi invenitur *districtiori* vel *districtius* aut *gravissime* — in ipsa correptione, ubi est, i. e. in occulto aut in palam debet plus exaggerare illam correptionem in verbis secretis vel in correptione publica, quam pro aliis culpis; altero vero modo intelligitur, i. e. *districtiori vel districtius* aut *gravissime* unam admonitionem transcendere. V. gr. inventus est frater, qui illud peccatum secrete fecit: pro hoc non duabus vicibus est admonendus secrete, sed solummodo post unam vicem secretam

transire ad publicum. Et hoc intuendum est: sive secundum sensum primum, sive secundum, in modo levioris culpae est faciendum. Egregius ordo est iste in eo, quod prius dixit, proprium non habere, et statim subjunxit: sed omnia necessaria a patre monasterii sperare debere, et nunc dicit, ut, secundum quod habet, ita dividat ille abbas. Et hoc sciendum est, quia duae intentiones reperiuntur in hoc capitulo: una, qua admonet priorem, ut unicuique secundum indigentiam tribuat; altera, qua admonetur discipulus, ut plus non accipiat, sed secundum suam necessitatem, i. e. si plus indiget, plus accipiat, et si minus indiget, minus accipiat; et nec ille debet frater superbire, si plus accipit, et nec ille debet murmurare, si minus accipit, sed magis gratias referre Deo. Et quia ille cognovit, murmurare illum, qui minus accipit, et illum superbire, qui plus, ideo subjunxit legem, cum dicit: *Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat*, et dixit *districtiori disciplinae subdatur. Significatio* enim attinet ad vultum et incessum. Et bene ille de significatione dedit legem, quia Deus occultorum est omnium cognitor: ideo dixit significationem, ut coram Deo malus non reperiatur.

Cap. XXXV.

DE SEPTIMANARIIS COQUINAE.

Fratres sibi invicem serviant, et nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudine aut causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde major merces et caritas acquiritur. Jubet enim B. Benedictus, ut omnes coquinae officium exerceant, et reddit causam, quare, cum dicit *quia exinde major merces et caritas acquiritur. Merces* attinet ad remunerationem, *caritas* vero ad concordiam et ad fraternam dilectionem. Bene merces ad remunerationem refertur, quia istud officium coquinae laborem habet. Nam sunt nonnulli, qui magis cupiant aliam obedientiam exercere, quam in coquina servire propter laborem. Et ideo [unde] ille, quantum majorem laborem habet, tantum majorem remunerationem apud Deum consequetur. Et in hoc etiam

illud officium caritatis impletur, quod dicitur: *Quaecunque vultis, ut vobis faciant homines, vos eadem facite illis.* Verum cum dixit: *ut nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudine aut causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit*, causa discretionis dixit, quia confusum dereliquisset, nisi ipse decrevisset. De aegritudine nulla est dubitatio, quia ille, qui in lecto a valetudine detentus jacet, cognoscitur non posse coquinae officium implere. De causa autem gravis utilitatis videtur esse dubitatio, quia solet esse causa gravis utilitatis, et tamen illa congregatio non cognoscit, illam esse gravis utilitatis, et per hoc deputat, esse minoris. Et iterum solet esse causa minoris utilitatis, et tamen illam congregatio non cognoscit minoris, et per hoc etiam hortatur fratrem, ibidem praeoccupari in ipsa obedientia, quam exercet, excusatus[1]) a coquinae officio. Unde animadvertendum est: si potest abbas ita manifestare illam causam gravis utilitatis omnibus, quatenus cum concordia et caritate fratrum ille frater excusetur a coquina pro illa causa gravis utilitatis, tunc excusandus est frater. Si autem non potest fratribus abbas manifestare istam causam gravis utilitatis, ut excusetur a coquina, sed magis inde discordiam inter fratres ortam[2]) viderit, melius est, ut illa causa dimittatur, et coquinae officium exerceat, quam caritatem fratrum parvipendat, et illam causam gravis utilitatis in majori loco habeat, eo quod caritas major est quam terrena actio.

Sequitur: *Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant.* Imbecillis est ille, qui delicatus est, quamvis non proprie, cui quasi per naturam est, tale officium non posse manibus exercere, eo quod nunquam tale opus exercuit; sive imbecillis est ille, qui ex infirmitate surgit, et ob hoc, quia vires in infirmitate perdidit, non potest illud officium implere. Imbecillis est etiam claudus, vel etiam hujuscemodi homo, qui non potest sine baculi adjutorio ire, eo quod imbecillis est dictus quasi sine baculo

[1]) excusatum (?).
[2]) orituram (?).

fragilis et inconstans. Nunc videndum est, qualiter solatia imbecillibus procuranda sunt. Aut enim si inveniuntur duo vel tres qui possint illud officium implere, insimul debent facere, et illis in una hebdomada reputetur solummodo, aut certe unus sanus debet conjungi cum imbecilli per diem; et tamen ille sanus pro hoc non potest dicere excusando: quia jam in coquina servivi, ut suam hebdomadam in coquina non faciat. V. gr. debet dicere uni fratri decanus: Uno die, frater, debuisti obedientiam hodie agere: vade, adjuva illum fratrem imbecillem. Deinde altero die jubeat alteri fratri et similiter in reliquis diebus. Quod vero dicit *imbecillibus procurentur solatia* — quasi diceret: imbecillibus subministrentur adjutoria, *ut non cum tristitia hoc faciant.* Tunc enim tristatur frater, cum pro sua imbecillitate non potest praeparata habere omnia, sicut ipse desiderat, et ideo debent illi dari adjutoria duo vel tres fratres, qui non magnae virtutis sunt, aut certae unus magnae virtutis, eo quod uterque modus intelligi debet.

Sequitur: *sed et omnes habeant solatia secundum modum congregationis et positionem loci. Modus congregationis* intelligitur quantitas fratrum. *Positio vero loci* intelligitur: sicut positus est locus. Est talis locus, qui prope non habet aquam aut hortum aut ligna et reliqua necessaria ibi pertinentia — ac si diceret: juxta quantitatem fratrum, et sicut positus est ille locus et indigentiam habet, ita sibi vicissim serviant in coquina. Si necesse est, ut duo fratres ministrent sive tres sive quatuor et reliqua, ipsi vicissim cum caritate faciant.

Sequitur: *Si major fuerit congregatio, cellararius excusetur a coquina.* Si decem fratres sunt, non est major congregatio; si autem viginti fratres sunt, jam potest esse major congregatio, sicut diximus superius in decani capitulo. Unde si ille cellararius tale sibi commissum ministerium habet, sicut superius dixi, debet excusari, eo quod non potest manibus suis exercere in coquina et iterum curam infantum aut hospitum vel infirmorum et reliqua habere,

quia regula non praecipit, ut canonici in coquina sint, sed solos monachos praecipit illud obsequium agere.

Sequitur: *Egressurus de septimana sabbato munditias faciat, lintea, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet.* Intentio vero S. Benedicti fuit, ut omnia in ipsa hebdomada faciat. Sed nunc quia labor grandis est, eo quod non possunt in coquina servire et iterum porticus scopare et ceteras munditias facere, idcirco dividitur isto modo: i. e. in die sabbati scopatur coquina et lavantur lapidea, et scutellas sive etiam scamna lavant. In altera vero sequenti hebdomada scopant totas porticus, i. e. ante coquinam et ante refectorium; capitulum vero et dormitorium ante vestiarium debet (camerarius) camberarius scopare. et ante basilicam basilicanus. Refectorium vero cellararius debet scopare; si labor illi fuerit, debet petere a decano adjutorem. Nam hebdomadarius illud debet scopare, quod omnibus est. Superius enim dixit: *Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat*, et reliqua. Illa sententia generavit hoc capitulum, quamquam et ad superiorem sensum murmurationis malum possit referri; tamen et hoc capitulum generavit — quasi diceret aliis verbis S. Benedictus: murmurationis malum prohibeo, tamen video, unde possit generari, hoc est ab obsequio fugiendo, et ideo jubeo, ut nullus excusetur a coquinae officio, quia solent multi esse, qui se excusant ab obsequio fugiendi;[1]) et ex hoc occasio murmurandi datur. Deinde ut hoc malum vitetur, ideo nullus excusetur ab obsequio coquinae. Reddit causam, quare: *quia exinde major merces et caritas acquiritur* — sive subaudiendum est: propter murmurationis malum. quod superius dixit esse cavendum, ne generetur. Hoc sciendum est, quia illam gravem utilitatem. pro qua non potest quis in coquina servire, si potest abbas omnibus manifestare, debet. sicut diximus. ut gravem esse intelligant ipsam utilitatem, et cum caritate omnes consentiant: tunc

[1]) fugiendo, (?) fugientes (?).

dimittendum est officium coquinae propter illam utilitatem. Si autem non potest ita manifestare, ut omnes consentiant, dimittenda est pro ista caritate, et facienda est coquina. Nam nec etiam propter aurum vel ceteras res temporales speciosas rumpenda est illa caritas generalis, i. e. ubi generaliter omnes scandalizantur. Et hoc sciendum est, quia forte, si sunt duo vel tres vel quatuor aut quinque indiscreti et non bonae voluntatis, qui nolunt consentire, et omnes discreti consentiunt, pro ipsis non debet dimitti illa gravis utilitas. Quod vero dicit *lintea, cum quibus sibi fratres manus et pedes tergunt, lavet:* illa lintea intelligenda sunt, cum quibus sibi fratres manus et pedes tergunt in sabbato lavanda. Isto modo debent abluere: i. e. postquam laverint manus et pedes et terserint, statim in eadem aqua lavamus, quae remanet post lotionem pedum. Forte dicit aliquis: Non jubet, manus lavari sed pedes. Cui respondendum est: Non fuit intentio S. Benedicti de aliis horis manus tergere, quia, ubi dicit, pedes tergere lotos, ibi etiam manus lavandae sunt, propterea dicit: *quia, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet.* Nam valde inhonesta est, si pedes, etiam non manus lavandae sint statim.

Sequitur: *pedes vero tam ipse, qui intrat, quam ille, qui egreditur, omnibus lavent.* Forte dicit aliquis: quia et ille qui intrat, et qui exit pariter lavare debent. Cui respondendum est: Non; sed ille, qui exit, debet lavare pedes, et qui intrat, tergere, quia quando pedes lotos tergunt, quid aliud faciunt, nisi lavant? eo quod officium lavandi faciunt. Nec etiam ipsa honestas docet, ut aequaliter utrique debeant pedes abluere.

Sequitur: *Vasa ministerii sui munda et sana cellarario reconsignet, qui cellararius item intranti consignet, ut sciat, quid dat aut quid recipit.* In hoc loco intuendum est, quia cellararius tria debet inquirere in vasculis, hoc est: munditiam, integritatem atque numerum. Munditiam, si munda sunt; integritatem, si sana sunt; numerum, si tota sunt. Nam debet cellararius brevem habere, quot vascula intranti

coquinario tribuit. Deinde cum exit ille coquinarius, debet ei dicere: Numera frater et ostende isti fratri, qui intrat, ut videat, utrum munda an sana vel tota sunt. Ille vero frater, qui exit, debet numerare coram cellarario illi fratri, qui intrat. Deinde si fuerint tota et munda et sana, securus erit. Debet autem dicere cellararius fratri intranti: Ecce frater, tu vidisti, quia et sana et munda atque integra sunt: ita redde et tu tempore tuo. Et postea debet scribere similiter numerum vasculorum in tabulis. Si autem non fuerint tota, datur spatium unus dies, ut quaerat diligenter. Jam si in uno die spatium[1]) non potuerit invenire, tunc in tertio die petit veniam pro damno. Notandum est enim, quia non dicit solummodo *munda* aut solummodo *sana*, sed *sana et munda*. Ubi manifestatur, quia cum grandi diligentia sunt vasa monasterii tractanda.

Sequitur: *Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes et panem, ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis.* Cum dicit *ante unam horam*, non dicit propter terminum horae, sed propter congruum intervallum, ut possint rationabiliter accipere hoc, quod jussum est, quia sic alibi dicit de lectore: *accipiat mixtum, priusquam incipiat legere.* V. gr. si tempus est, quando ad nonam reficiunt fratres, cum canitur missa ad octavam, post missam omnes vadunt, qui debent accipere mixtum, i. e. hebdomadarii coquinae, lector, hospitalarii, et qui infirmis serviunt, pariter et inveniunt quartam librae panis praeparatam et singulos biberes, sicut superius jam diximus: ille vero, qui signum debet tangere ad nonam, exspectat sacerdotes interim, ut parant vestimenta sua et sacrificia reponunt, et illi accipiunt in refectorio hoc, quod regula jussit. Deinde hoc facto tangit nonam. Si autem tempus Quadragesimae est, sicut in istis diebus agitur, quando ad nonam manducamus, inter missam et nonam, ita etiam agendum inter missam et vesperum. V. gr. canitur nona, datur

[1]) in unius diei spatio (?).

intervallum, ut presbyteri canant binas missas, deinde canitur missa publica; et ita faciendum est in Quadragesima. Intervallo autem facto inter missam et vesperum accipiant mixtum. Si autem tempus aestatis est, quando ad sextam manducamus, tertia cantata, deinde missa finita, post [vero] ille, qui signum tangere debet, jam praevidet horam, ut parvissimum intervallum sit, quando sextam tangit bis vel ter signum; et tunc vadunt omnes in refectorium et inveniunt praeparatum solummodo panem et vinum, sicut regula solummodo de pane et vino dicit. Post vero ille, qui signum tangere debet ad sextam, videt, quia jam possunt omnia supradicta consummata esse, tunc tangit sextam. Deinde cum incipimus *Miserere mei Deus*, ad officium tunc vadunt in refectorium hebdomadarii coquinae cum cellarario. Et illi ponunt unum pulmentum calidum et cellararius ponit vinum. Interim cum completur nona et lavantur manus, ordinant omnia. Et hoc sciendum est, quia cantor pro cantare, quod cantat in intervallo, et quando lectioni vacatur, non debet pro hoc mixtum accipere, quia nullum vidi hoc facere. Verumtamen sciendum est, quia illi, qui mixtum accipiunt, non est opus, ut dicant versum.

Sequitur: *In diebus tamen sollemnibus usque ad missas sustineant.* Consuetudo namque fuit in illa terra, sicut hodie faciunt canonici, post missam statim incipere sextam. Voluit itaque B. Benedictus tollere hanc consuetudinem; ideo dixit *usque ad missam sustineant*, ut, dum ante missam non auderet lector manducare, facto intervallo propter illum, illa consuetudo rumperetur. Forte dicit aliquis: Quae sunt sollemnes, cum superius dixit: *festivitates sanctorum et sollemnitates Domini?* Superius enim distinxerat per adjectionem *sanctorum*, nunc vero et festivitates et sollemnitates nomine sollemnitatis comprehendit. Nam psalmista te docet, cum dicit: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris*, eo quod de omnibus dicit diebus tam sanctorum quam Domini, quia sollemnitas et festivitas unum est, si sine adjectione aliqua aut *sanctorum* vel *Domini*, sicut superius dictum est, non dividitur.

Sequitur: *Omnium genibus provolvantur postulantes pro se orare.* Bene dixit *genibus* et non *in terra*, eo quod non est auctoritas canonica, genua flectere in die dominica. Forte dicit aliquis: Quare B. Benedictus sic variavit vocem suam, i. e. superius dixit *intrantes et exeuntes*, et hic dicit *ingrediens* et *egrediens?* Bene dixit, eo quod sicut varia sunt monasteria, ita variavit vocem. *Intrantes* et *exeuntes* pluraliter dixit propter monasteria, quae multitudinem fratrum habet;[1]) et *ingrediens* et *egrediens* ideo dixit singulariter propter illa monasteria, quae paucitatem fratrum habent, sicut superius dixit *secundum modum congregationis et positionem loci.*

Sequitur: *egrediens autem de septimana dicat hunc versum: »Benedictus es Domine Deus, qui adjuvasti*[2]) *me et consolatus es me,« quo dicto tertio accipiat benedictionem egrediens.* Debemus ergo intelligere hunc etiam versiculum, ut melius intendere in illum valeamus, cum dicimus illum. Iste versiculus ex superioribus pendet — quasi diceret: Postulavi te, Domine, praeterita dominica, ut me adjuvares implere officium hujus hebdomadae; ideo benedico tibi et laudo te dicens, quia adjuvasti[2]) me et consolatus es me. *Adjuvisti* ad virium subministrationem attinet; et *consolatus es me* ad voluntatem et delectationem — quasi diceret: Et adjuvisti, i. e. adjutorium tribuisti, ut potuissem perficere; et consolatus es me, h. e. dedisti etiam bonam voluntatem, quatenus cum amore et delectatione ipsum opus perfecissem. Nam sunt multi, qui vires habent bona agendi, tamen delectationem non habent, nisi eis desuper sit datum; et ideo debent dicere: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me.*

Sequitur: *Subsequatur ingrediens et dicat: »Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina,« et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, et accepta benedictione ingrediatur.* Consuetudo fuit namque monachorum, ut in omnibus operibus tam spiritalibus quam temporalibus, cum aliquid incipiunt, tertia vice hunc versiculum

[1]) habent (?). [2]) adjuvisti (?).

dicere; et ideo dixit, ter repetere. Sed attendenda est vis hujus versiculi, quatenus melius possimus intendere in illum, cum illum dicimus. Bene dixit inprimis *Deus*, et postmodum *in adjutorium*, quia primitus Dei nomen vocandum et invocandum est, et postmodum adjutorium petendum. Quis petit adjutorium? Ille [vero] petit adjutorium, qui in aliquo opere vel certamine seu tribulatione constitutus est, eo quod indiget adjutorio perficiendi vel exeundi; et ideo petit se adjuvari. *Intende*; Deus enim multis modis intendit: aliquando intendit ad puniendum, aliquando ad adjuvandum, aliquando vero ad remunerandum. Sed quia iste adjuvari indigebat, ideo adjutorium petiit.

Sequitur: *Domine, ad adjuvandum me festina.* Mos est prophetarum, aliquando eadem verba et eundem sensum repetere, aliquando vero eadem verba et eundem sensum cum aliis verbis, sicut in hoc loco facit. Et est sensus, cum dicit: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina*, i. e.: Domine Deus, adjuva me respiciendo in me. Nam unum est hoc, quod dixit in primis *Deus*, et postmodum *Domine*; et hoc quod dixit *in adjutorium meum intende* et illud, quod subjunxit *ad adjuvandum me festina*, unum significat. Hoc sciendum est, quia, sicut diximus, in privatis diebus tangere debere signum ad mixtum, ita etiam in dominica et in sanctorum, quando ad sextam manducant. Verumtamen sciendum est, quia illi, qui pedes lavant in sabbato, possunt etiam sibi ipsis pedes lavare, non unusquisque suos, sed ipsi duo aut tres hebdomadarii invicem; aut certe innuat prior juvenibus, ut eis lavent. Ad exeuntes autem nos hanc orationem dicimus: *Concede quaesumus omnipotens Deus, ut huic famulo tuo pro hujus hebdomadae expleto officio merces tribuatur aeterna. Per Dominum.* Ad intrantes vero: *Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut famulus tuus istius hebdomadae susceptum servitium mente devota perficiat. Per Dominum.* Non ab re existimo, si etiam qualiter antiqui monachi et cum quanto studio sibi invicem per singulas hebdomadas serviebant, de quarto libro Institutae Patrum hic subjungamus.

Capitulum XIX. Quemadmodum per Palaestinam vel Mesopotamiam . . . . summa voluptas est.[1])

Cap. XXXVI.

DE INFIRMIS FRATRIBUS.

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: »Infirmus fui et visitastis me«, et: »quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.« Egregium ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod, cum dixit de sanorum coquinae officio deputatis, [et] subjunxit statim de servitio infirmorum deputatis. In illa enim dixit per hebdomadas singulas qualiter sint, et non elegit quosdam, sed omnes. In hoc capitulo elegit servitorem, qui timens Deum sit et diligens. Quaeri potest, quare dicit *ante omnia*, cum jam superius ita dicit *ante omnia ne murmurationis malum* et cet. Et similiter non debet videri ambiguum, quia mos est scripturae dicere *ante omnia*, eo quod ejus intentio est ita dicere *ante omnia* de una re facienda, et iterum dicere *ante omnia*, eo quod ejus intentio est ita dicere, quatenus illud, quod dicit agi, nullo modo oblivioni tradatur. Sed sciendum est, quia in aliis locis inferius dicturus est: *ante omnia sane deputentur, unus vel duo seniores, qui circumeant monasterium.* Quamquam dicat S. Benedictus *ante omnia*, tamen in nullo loco dixit *super omnia*, sicut hic dixit, eo quod nulla res ita agenda est, cum tanto studio, quomodo obsequium infirmorum. Nec etiam ipsa ecclesia agenda est cum tanto studio, quanto domus infirmorum. Reddit enim causam, quare, cum subjunxit: *quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me.* Sciendum est, quia *ante omnia* attinet ad tempus, *super omnia* ad studium. Sed de quibus minimis vel pauperibus Dominus dicat, cum dicit: *Quod uni de his minimis meis fecistis, mihi fecistis*, B. Hieronymus exponit dicens:[2]) *»Amen dico vobis, quamdiu non fecistis*

[1]) Cassiani de coenobior. instit. lib. 4. cap. 19—22. (Migne, tom. 49. col. 178—183.)

[2]) Commentar. in evangel. Matth. lib. 4. c. 26.

uni de minoribus his, nec mihi fecistis.« *Libera nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur, hospes induceretur in tectum, nudus vestiretur, infirmus visitaretur, clausus carcere haberet solatium colloquentis. Sed ex hoc, quod sequitur: »Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis«, non mihi videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his, qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum dixerat: »Fratres mei et mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.«* [1]) In hac vero sententia admouet B. Benedictus generaliter principes et subjectos, maxime tamen subjectos. Ait enim: *Ante omnia et super omnia infirmorum cura adhibenda est.* Attendendum est: cum non reperitur in regula, ita conjunctum dixisse, sed solummodo aut *ante omnia*, aut *super omnia*, hic vero conjunctim dicitur *ante omnia et super omnia*, datur de infirmorum cura intelligi, ut ante omnia debet esse et major quam omnia, quia in his duobus maxime continetur regula, i. e. in custodia infantum et in cura infirmorum. Nam possunt esse *ante omnia* et non *super omnia*, et *super omnia* possunt esse et non *ante omnia.* Et possunt etiam esse *ante omnia*, eo quod possunt alii incipere aliquid operis, et tamen intermittitur illud opus inprimis coeptum et incipit aliud et perficitur. Illud vero quod in primis coeptum est, perficitur postea aut certe non perficitur. Et possunt esse *super omnia* et non *ante omnia,* v. gr. sicut diximus superius. Et iterum, sicut diximus, possunt esse *super omnia* et *ante omnia*; v. gr. incipit aliquid operis homo agere et [tamen] non incipit aliud agere, quam[2]) illud primum perficiat, eo quod plus quam omnia diligitur. Per hoc quod dicit duo, i. e. *ante omnia* et *super omnia*, vult S. Benedictus, ut antequam cetera, cura infirmorum fiat, et *super omnia*, i. e. cum majore dilectione et diligentia atque studio, quam cetera. Istud

---

[1]) cf. Migne, tom. 26. col. 190.

[2]) priusquam (?).

ante omnia et *super omnia* attinet ad domum, ad focum, ad victum atque potum et cibum et omnia necessaria infirmorum. Voluit enim B. Benedictus similitudinem donare, cui serviat, ut firmius confirmetur. Propterea subjunxit dicens: *si revera Christo ita eis serviatur. Revera*: re certa; est enim affirmativa sententia. Quasi interrogasses: Unde scio, quia Christo servio, si infirmis serviero? quasi respondens dicit: *quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me*, et: *quod uni de his minimis meis fecistis*, *mihi fecistis.* Cum dixit *ipse dixit*, subaudiendum est, dicturum se esse in futuro judicio. Inspiciendum est: si Christo servit, qui infirmis servit, ergo cum magna diligentia atque studio serviendum est infirmis. Nam si Christus fuisset nunc in carne sicut in tempore apostolorum fuit, qualem illi domum praeparassemus vel quale obsequium illi praebuissemus? Ergo si Christo servimus, si infirmis servierimus, magna sollicitudine illis infirmis serviendum est.

Sequitur: *Sed et ipsi infirmi considerent*, *in honore Dei sibi serviri*, *et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi.* Hactenus B. Benedictus admonuit praelatos, qualiter curam gerant erga infirmos fratres; nunc admonet infirmos fratres, ut non pro superfluitate sua, i. e. per inconditos mores fratres suos sibi servientes contristent, ut frater, qui illis pro amore Dei vult servire, illorum malis moribus facientibus provocetur ad iracundiam.

Sequitur: *qui tamen patienter portandi sunt.* Usque nunc B. Benedictus admonuit infirmos, ut non per suos malos mores contristent servientes sibi; nunc vero admonet iterum servientes dicens: *qui tamen patienter portandi sunt* — ac si diceret aliis verbis: quamquam illi infirmi iracundia aut aliqua causa sint furibundi, tamen patienter portandi sunt — quasi diceret: Forte non sponte faciunt, nam sunt multae infirmitates, quae homines iracundos faciunt. Reddit causam, quare, cum subjungit: *quia de talibus copiosior merces acquiritur.*

Sequitur: *Ergo cura maxima sit abbati*, *ne aliquam negligentiam patiantur.* Iterum admonet abbatem, ut mag-

nopere studeat agere, ne aliquam negligentiam patiantur — subaudiendum est: ipsi infirmi. Nam sunt tales, qui sunt servi Dei et multis annis laborant in servitio Dei. Deinde rectius est, ut isti tales non negligantur in infirmitate sua, ut nec per iram aut murmurationem perdant suum laborem, si in fine vitae effecti fuerint murmuratores. Ergo cura maxima sit abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Istud *ergo* superius respicit, i. e. ubi dicit: *ut sicut revera Christo, ita eis serviatur*, et ubi dicit: *qui tamen patienter portandi sunt* — ac si diceret: si ita est, ergo maxima cura debet esse abbati, ne aliquam negligentiam patiantur.

Sequitur: *Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata et servitor timens Deum et diligens ac sollicitus. Cella*, quam dicit, non dicit de una mansione, sed de claustra dicit. Quomodo enim possunt esse simul in una mansione quatuor fratres, cum unus moritur ex illis, alter vero vomit, tertius vult manducare, quartus etiam sedet ad exitum? Absque dubio, cum ita sint, non sufficit unum cubiculum omnibus, quia non sibi convenit ille, qui manducat, cum illo, qui in sua praesentia vomit, et cum illo, qui sedet ad exitum aut etiam cum illo, qui moritur. Ergo cum ita sint, necessariae sunt diversae mansiones pro diversis et variis infirmitatibus. Et ideo cum S. Benedictus dicit: *sit cella super se deputata*, non est intelligenda de una tantummodo mansione, sed de claustra, sicut diximus, h. e. domo, ubi diversae sint mansiones, quatenus, qui manducat, sine fastidio sit vomentis aut ad exitum sedentis vel etiam morientis. Quae domus infirmorum oratorium debet prope habere, in quo infirmi missam saltem jacendo possint audire et communionem accipere. Ante infirmos enim semper omnia officia canenda sunt, qui etiam, si sex infirmi fuerint, lectorem debent habere, eo quod regula dicit *mensis fratrum edentium lectio deesse non debet;* non enim dicit sanorum, sed fratrum, ac per hoc cum dicit *mensis fratrum*, omnes comprehendit, i. e. sanos et infirmos, si ipsi infirmi sicut diximus, plures sint. Quam cellam debet abbas facere,

talem, ubi et ipse in infirmitate sua jaceat, quatenus et hospitibus et ad se venientibus possit loqui, si tanta necessitas fuerit, sine impedimento infirmorum, et cum ipsis infirmis, qui jam de lecto possunt surgere, manducare valeat. Nihil enim S. Benedictus plus potuit dicere de infirmis, quam dixit: *ante omnia et super omnia cura infirmorum adhibenda est, et sicut revera Christo ita eis serviatur.* Ergo si sicut Christo debet infirmis serviri, tunc magnopere studendum est, ut nullo modo in aliqua causa negligantur.

Sequitur: *et servitor timens Deum et diligens ac sollicitus.* Istum enim timorem non dicit servilem sed castum, eo quod servilis timor non convenit huic, quod dicitur *diligens* — ac si diceret, cum dicit *timens Deum ac diligens*, intelligitur: amans Deum et diligens. In isto enim *sollicito* tria inspicienda sunt, i. e. sapientia, possibilitas seu zelus proximi; sapientia, ut sapiens sit, quatenus intelligat, quam caute et sapienter infirmis valeat servire, ne ipsi infirmi pro sua incautela ad iracundiam provocentur; possibilitas autem, ut fortis robore sit, quatenus valeat infirmum de lecto levare, et ubi infirmus voluerit, eum portare. Zelus etiam debet esse in illo, i. e. amor proximi, quatenus amando infirmum ei diligenter pro amore Dei studiose deserviat. Attendendum est, quia S. Benedictus, cum dicit *servitor* non dicit, ut canonicus aut laicus sit, sed monachus. Non enim ille legem laicis aut canonicis constituit, sed monachis. Vide modo, quomodo potest manus vel pes aut oculus corpori servire, si non fuerit in corpore? et ita quomodo potest canonicus aut laicus, qui non est membrum monasterii, monacho, i. e. alieno membro servire? Verum si necessitas fuerit, ut vestimenta infirmorum propter immunditiam, sicut solet infirmo contingere, lavanda sint, potest laicus vel canonicus lavare vestimenta sordida. Similiter si necesse fuerit, carnes afferri, laicus vel canonicus afferre debent.

Sequitur: *Balnearum usus, quoties expedit, offeratur; sanis autem et maxime juvenibus tardius concedatur.* Hoc enim notandum est, quia tres distinctiones facit in hoc

loco B. Benedictus de usu balnearum; prima infirmorum, secunda sanorum, tertia juvenum. Quod enim dicit: *infirmis, quoties expedit, offeratur*, intelligi debet, etiam si duabus vicibus in die vel certe tota die, si necessitas fuerit, debet balneum praeparari, veluti illi, qui patitur istum dolorem. De sanis autem et de juvenibus duobus modis intelligitur: aut generaliter dicit: omnibus praeparari debeant, sed tardius. Alii sunt, qui istud *tardius* tribus vicibus in anno intelligunt debere fieri praeparata, i. e. in Nativitate Domini, in Pascha atque Pentecosten. Alii sunt, qui intelligunt duabus vicibus, i. e. in Nativitate Domini et in Pascha, quod rectius est. Alio enim modo intelligitur: sanis et maxime juvenibus tardius concedatur; forte enim non generaliter dixit, sed de illis, qui propter laborem aliquem, i. e. cum casam aedificant aut aliquid laborant, unde inquinantur, istis talibus praeparandum est balneum, sed tamen tardius; similiter etiam de juvenibus intelligendum est, sed tamen plus tardius illis debet praeparari, quam ceteris aliis, qui sani videntur esse. Verumtamen illis specialiter, qui per aliquod opus se inquinant, frequentius balneum debet praeparari quam illis, qui nulla opera manuum se exercere student. Nunc videndum est, de quo balneo dicat sanis praeparari praeter infirmorum balneum, quia illis sicut necessitas infirmitatis exposcit, et quando exposcit, debet praeparari. Nam sanorum et juvenum balneum intelligendum est tale, ubi unus tantum balneari queat, sicuti est tina, ubi non possit ab aliis plenius videri; et ita etiam ordinari debet, ut per omnia nudus non possit videri. Forte dicit aliquis, quare non sit et petrinum balneum, ubi tres vel duo aut etiam quatuor balneari possint. Cui respondendum est: eo quod ille propter cautionem nefandissimi sceleris praecipit, solum jacere et custodiam esse, [et] ideo non est ratio, ut intelligamus S. Benedictum praecepisse, duos vel tres in simul lavari, in quo loco illius sceleris nefandissimi occasio potest esse. Nihil enim adjuvat, sicut dicit B. Gregorius, totam civitatem esse munitam et unum foramen habere, unde hostis intret; ita et haec ratio nihil adjuvat,

toto anno custodire die et nocte, et uno die dare occasionem peccandi. Nec enim ipsa religio monachorum docet vel permittit, absque necessitate nudum videri. Verum illum balneum intelligi ratio exposcit, in quo solummodo unus lavari queat. Et hoc notandum est, quia, sicut diximus, si abbas infirmus fuerit, in domo infirmorum debet jacere. Si autem talis fuerit perpetua infirmitas, debet habere caminatam juxta domum infirmorum, ne pro sua dispositione impedimentum infirmis generetur. Si autem potuerit ambulare, debet manducare in domo infirmorum; quod si non potuerit ipse ire, tunc infirmi debent ad eum venire et cum illo manducare.

Sequitur: *sed et carnium esus infirmis omnino debilibusque pro reparatione concedatur.* Sciendum est enim, quia non sunt attendenda verba, sed intentio. Ecce hic si verba solummodo velimus attendere, non aliis videtur S. Benedictus infirmis esus carnium concessisse, nisi illis, qui meliorari videntur. Quid faciendum est de illis infirmis, qui jam desperati sunt non vivere, sed mori, et non possunt alium cibum comedere nisi forte carnes quadrupedum? Numquid negandae sunt illis carnes quadrupedum pro sustentatione vitae? Vere non sunt negandae, quia si S. Benedicti intentionem attenderimus, non est fas intelligere, solummodo concessisse illis comedere, quibus necessitas existit pro reparatione vitae, sed et similiter illis concessisse, carnes quadrupedum etiam pro sustentatione vitae edere. Nunc videndum est, si debeant sani monachi carnes volatilium comedere. Haec ratio conquirendo melius investigari potest; v. gr. dicis tu: Cur dicis mihi, ut abstineam a volatilium carnibus, cum S. Benedictus in sua regula non vetuit carnes volatilium comedere, sed solummodo quadrupedum? Ego tibi respondeo: quia non debes volatilium comedere carnes eo quod vetuit. Tu dicis: Proba mihi, ubi S. Benedictus vetuit. Vis scire? Tu dicis: Volo. Audi rationem attentius. Constat enim, in volatilibus carnes dulciores esse, quam in quadrupedibus. Jam si ille carnes quadrupedum tibi vetuit, in quibus minor dulcedo est, quanto magis

vetuit tibi volatilium carnes, in quibus major dulcedo est? Tu dicis: Unde cognoscis, quia per illam minorem dulcedinem carnium quadrupedum vetuisset tibi etiam majorem dulcedinem carnium volatilium? Ego tibi dico: quia mos est sanctorum doctorum, in minore comprehendere majorem, sicut legitur dixisse Dominus ad Jerusalem: *Haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae, quia panem suum in saturitate comedit.* Ecce per panem intelliguntur diversitates epularum. Et quod ita sit, manifestatur in illo loco, ubi dicitur: *Vidit Loth Sodomam quasi paradisum.* Si Sodoma quasi paradisus erat, ergo non est consequens, ut solummodo illos intelligamus panem manducasse sine aliis deliciis. Item habes, ubi dicitur de Laban: *Et appositus est panis.* Numquid solummodo panis est appositus sine aliquo pulmento? Non. Sed nunc ad superiorem sensum revertamur. Iterum dicis tu, quia non est verum, ut ita S. Benedictus in hoc loco fecisset, i. e. per carnes quadrupedum vetuisset et volatilium. Ego dico, quia, sicut dico, ita verum est. Ecce tu non potes probare, quia non est secutus S. Benedictus doctores, qui in minore comprehendunt majora, nec ego possum probare, quia secutus est, sed sumus dubii, i. e. non certi. Nunc autem incertus es tu, eo quod non potes probare, utrum S. Benedictus non est secutus doctores, similiter et ego non possum probare, quia veraciter est secutus in isto modo sanctos doctores. In ista dubietate mea et tua eligendum est certum et dimittere incertum. Dic mihi, si S. Benedictus concessisset manducare carnem volatilium, et ego pro amore Dei noluissem manducare, esset peccatum, annon? Tu respondes: non, quia ipse dixit: *si omni vilitate et extremitate contentus sit monachus,* et iterum: *cui autem Deus dederit tolerantiam propriam, se mercedem habiturum sciat.* Et iterum, si non concessisset carnes volatilium manducare, et ego manducassem, fuisset peccatum annon? Tu respondes: peccatum. Ergo et melius et ratio est, ut dimittamus hanc incertitudinem et teneamus certitudinem. Si enim manducaverimus, nescimus, utrum sit peccatum annon. Propterea igitur tene-

amus certum et dimittamus incertum, eo quod omnino scimus, non esse peccatum, si non manducamus. Sciendum est enim, quia sunt multi monachi, qui dicunt: Debeo manducare pinguedinem, et utuntur in adjutorium illud, quod dicunt canones: *Si quis jus carnium profanaverit, anathema sit.* Quibus respondendum est, quia ideo hoc dicunt canones propter illos, qui carnes abominantur. Et ideo isti tales, ne abominentur carnes, debent manducare olera, ubi carnes coquuntur. Nam illi qui non abominantur carnes, sed causa continentiae student non manducare, non tenentur anathemate. Ergo si ita volunt illi intelligere, qui ita dicunt, ut jus, ubi carnes coquuntur, manducent abstinentes, qui non abominantur carnes, dicant, ut accipiant mulieres, eo quod in eodem concilio dicitur de conjugio, quod si quis profanaverit, anathema sit. De pinguedine vero scimus, quia caro quadrupedum est. Manifestum est, quia non est manducanda. Forte dicit aliquis: Non est caro quadrupedum in commoditate, sed flos. Interrogabo te: Unde est ille flos? Ille respondens dicit: de quadrupedibus. Et ille: ergo si quadrupedum est caro ipse flos, tunc non est manducanda. Et iterum dicit aliquis: quia pingue non est caro; nam si pingue caro est, ergo et caseus et lac caro est, eo quod de carne exit. Similiter ergo etiam et vinum et oleum ligna sunt, quia de lignis exeunt. Cui etiam respondendum est: Lac et caseus non est caro, quamquam de carne exeant, eo quod caro non in lac vertitur, sed ipse cibus vertitur in lac Dei dispositione ad filios Christi nutriendum. Oleum autem et vinum non est lignum, sed succus terrae, eo quod ipse succus terrae vertitur in oleum et vinum, sicut dicit B. Augustinus: quotidie Dominus aquam in vinum convertit, cum ipsum succum, qui ex terra nascitur, in vinum vertitur. Nam in veris tempore hoc manifestatur, cum incisa vitis[1]) aqua profluit. Pinguedo autem caro est, eo quod ingenio humano ipsa caro, cum tunditur, efficitur pinguedo, ut pene nil ex ea remaneat, ac per hoc caro esse ostenditur.

---

[1]) vite (?).

Sequitur: *Carnium vero esus infirmis omnino debilibusque pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat abbas, ne a cellarariis aut servitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quidquid a discipulis delinquitur.* Nunc videndum est, quia alii sunt debiles, alii aegroti, qui carnem quadrupedum debent comedere. Debiles tribus modis possunt intelligi: uno infantes, qui quo minores sunt, eo magis sunt debiles; secundo modo senes, qui quo magis sunt senes, eo magis sunt debiles; tertio etiam modo sunt debiles etiam majores juvenes, qui pro aliqua incommoditate corporis, qui aut pro nimio calore aut pro spasmo vel pro aliqua, sicut dixi, incommoditate fiunt a semetipsis debiles. Ideo isti tales,[1]) quos dixi debiles, intelligunt doctores carnes quadrupedum comedendas esse, ne pro ipsa infirmitate ipsorum invaletudinem nimiam acquirant, v. gr. veluti tisicus est; sciendum est enim, quia in Francia consuetudo est tantum, ut non detur infirmo manducare carnem, antequam incipiat ex aegritudine sua levari, et postea tantum illi tribuit, i. e. administrat, usque dum perveniat ad pristinas vires. Deinde cum recipit ille infirmus vires et revertitur de domo infirmorum in refectorium manducare, tunc praeparat ei cellararius melius, quam aliis, manducare, hoc est, aut pisces aut aliqua meliora cibaria per duos vel tres dies, eo quod non est bonum, ut statim post carnem dimissam descendat ad illum cibum manducandi,[2]) quia valde nocet subitanea mutatio ciborum; sed tamen gradatim debet illum cellararius descendere[3]) ad communem cibum, ut ille frater, qui infirmus fuit, magis diligere valeat amorem paternum et firmius in eo fortitudo corporis acceleret. Hoc etiam animadvertendum est, quia illi infirmi debent carnem manducare, qui pro infirmitate jacent sex aut octo dies. Et si est aliquis forsitan talis, quem abbas

---

[1]) istis talibus (?).
[2]) manducandum (?).
[3]) deducere (?).

viderit pro ipsa infirmitate ad debilitatem veniendum[1]) posse, tunc debet illi carnem dare manducare. Si autem dixerit ille infirmus: quia nolo[2]) de fastu manducare, debet dicere: Frater, noli ita facere, melius enim est, ut manduces carnem et surgas ab infirmitate et facias obedientiam, quam non manducare carnem et in infirmitatem maximam venire; nam si modo non manducaveris, manducabis postea tunc majori temporis spatio. Denique et damnum tunc erit majus, eo quod servitium debuisti facere aliis fratribus et non fecisti, ac per hoc offendiculum maximum pro hoc accipiendum tibi procul dubio assumetur.

Sequitur: *at ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant.* Sunt enim multi, qui hunc locum ita intelligunt: In hoc etiam loco animadvertendum est, quia non tantum dicit *a carnibus omnes abstineant*, sed intermiscuit *more solito.* Ideo dixit *more solito*, quia consuetudo erat monachis a carnibus abstinere non tantum quadrupedum sed etiam volatilium, sicut faciebat primitiva ecclesia, cujus morem monachi omnimodo sequi debent. Erant etiam ex ipsis quidam separati, sicut narrat ecclesiastica historia, a conjugibus et parentibus viventes in remotioribus locis. Et ipsi quidem qui separati erant, vocabantur monachi sive monazontes, et habitacula eorum vocabantur monasteria, et nemo ex illis habebat proprium, sed omnia erant illis communia. Carnem autem nec quamlibet quisquam eorum comedebat, quos omnimodo sequi monachi debent, eo quod ex ipsis ortum est genus monachorum et ab ipsis similiter vocati sunt monachi; nam ipsi prius monachi fuerunt. Et ideo pro consuetudine illorum mos erat monachis, ne quamlibet comederent carnem excepta infirmitatis necessitate. Et propter hanc consuetudinem dicit B. Benedictus: *more solito a carnibus omnes abstineant.* Unde secundum illorum morem habitacula monachorum, i. e. monasteria, in remotioribus locis constituuntur, quatenus

---

[1]) venire (?)

[2]) volo. Codd. Tegerns. et Fürstz.

ipsi separati a conjugibus inibi Deo quietius deserviant vivendo scilicet ad exemplum eorum in jejuniis et orationibus atque vigiliis seu etiam in aliis bonis operibus. Et ideo non dixit specialiter, quibus carnibus, sed generali nomine *carnibus*, in quibus carnibus intelligendum est non tantum de quadrupedibus, sed etiam de volatilibus accipiendum, sicut S. Augustinus[1]) in tractatu psalmi centesimi quarti (v. 40.), ubi dicitur: *Petierunt carnes, et venit coturnix;* nam volatilium carnes carnes dicuntur.[2]) Et ideo, cum dicit *more solito*, non tantum de quadrupedum carnibus, sed de volatilium intelligunt eum multi dixisse, eo quod, sicut supra diximus, mos erat tunc monachis, sicut abstinebant a carnibus quadrupedum, ita etiam a carnibus volatilium. Nam non facile inveniuntur monachi in scripturis divinis a carnibus quadrupedum abstinuisse et volatilia comedisse excepta necessitate infirmitatis, eo quod Cassiodorus dicit, dulciores carnes esse in volatilibus quam in quadrupedibus, et congruum non erat, [ut] ab his carnibus, quae non sunt dulces, h. e. quadrupedum abstinere et comedere eas carnes, quae dulciores existunt, sicut sunt in volatilibus. Sic enim Cassiodorus in tractatu psalmi centesimi quarti loquitur: *Petierunt carnes, et venit coturnix: Intuere, quemadmodum superata sunt vota desiderantium. Carnes petit populus Hebraeorum et coturnices accepit. Constat enim tam in volatilibus, quam in quadrupedibus carnes esse sine dubio dulciores.* Insuper et B. Hieronymus ad Salvinam dicit hoc modo: *Procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen jonicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes, si suum, leporum atque cervorum et quadrupedum animantium esculentias reprobes; non enim haec pedum numero, sed suavitate gustus judicantur.*[3]) Ergo quia ita est sicut

---

[1]) dicit (?).

[2]) S. August. l. c. Non coturnicem concupiverunt, sed carnes quia vero et coturnix caro est . . . .

[3]) epistol. 79. ap. Migne, Tom. 22. col. 729.

isti duo, i. e. Hieronymus et Cassiodorus testantur, in volatilibus dulciores esse carnes quam in quadrupedibus, et non propter numerum pedum, sed propter suavitatem gustus a carnibus est abstinendum, quomodo recte possumus intelligere, S. Benedictum praecepisse monachis ab aliis carnibus esse abstinendum, quae non sunt ita dulces, sicut est in quadrupedibus, carnes autem dulciores, sicut sunt in volatilibus, non praecepisse esse abstinendum? Dulciores carnes sunt in volatilibus quam in quadrupedibus; possumus etiam utcunque cognoscere in divitibus hominibus, qui in epulis viventes in conviviis suis post carnes quadrupedum sibi adlatas ministrari sibi volatilium carnes praecipiunt causa suavitatis atque delectationis. Et forte dicit aliquis, hoc non esse verum, ut volatilia nobis prohibuisset edere S. Benedictus, tantum quadrupedum vetuisset,[1]) eo quod inferius manifestat, a quibus carnibus abstinendum esset dicens: *carnium quadrupedum omnimodo abstineatur comestio.* Cui respondendum est: Non ideo hoc dixit S. Benedictus, ut tibi concessisset volatilia edere, sed tantum quadrupedibus abstinere, quod omnimodo non videtur congruus esse sensus, quia, sicut S. Hieronymum manifestavimus superius dixisse, non propter numerum pedum a carnibus abstinetur, sed propter suavitatem gustus, eo quod, sicut praefatus sum, Cassiodorum testatum esse, dulciores carnes esse[2]) in volatilibus, quam in quadrupedibus. Sed intelligendum est, propterea S. Benedictum dixisse a carnibus quadrupedum esse abstinendum, ne quilibet monachus diceret: Volo quadrupedum carnes comedere, quia mihi Pater Benedictus non vetuit eas carnes, quae non sunt dulciores, ut sunt quadrupedum, sed eas mihi vetuit, quae dulciores sunt, sicut sunt volatilia, eo quod scriptura divina ea, quae ad delectationes attinent, inhibeat, non ea, quae ad sustentationem humanae imbecillitatis atque infirmitatis attinent, sicut habes: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Vide modo, cum dicit

---

[1]) vetuisse (?).
[2]) sunt (?).

in concupiscentiis, intelligitur, concessisse in necessitatibus curam carnis esse habendam, quia mos est sanctorum praedicatorum, illam causam specialiter manifestare, de qua potest aliqua dubitatio nasci, sicut facit S. Matthaeus evangelista, qui de B. Joseph dicit: *Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum;* quem sensum B. Gregorius in moralibus libris ita exponit dicens: *Non quod hanc post nativitatem Dei cognoverit, sed nequaquam illam contigit, etiam cum conditori suo matrem esse nescivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, postquam redemptionis nostrae ex ejus utero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat, ut evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam dubitari potuisset.* Sic itaque S. Benedictus intelligitur in hoc loco fecisse, cum de illis carnibus dicit specialiter, esse abstinendum, hoc est, quadrupedum, unde poterat dubitatio nasci, utrum debuissent propter non suam magnam dulcedinem, annon debuissent comedi. Ceterum de volatilium carnibus non erat ei opus dicere specialiter, non esse comedendas, quia certus erat, non debere eas comedi, eo quod dulciores sunt, et cognoverat, etiam Dominum superasse vota desiderantium in deserto, sicut Cassiodorus dicit, non ministrando carnes quadrupedum, sed carnes volatilium tribuendo, quae dulciores videlicet carnes sunt, quam in quadrupedibus existunt.

Cap. XXXVII.

DE SENIBUS VEL INFANTIBUS.

Congruum ordinem tenuit S. Benedictus in eo, quod prius dixit de infirmis, qualiter eorum debeat esse cura, et nunc subjunxit de senibus vel infantibus, quia quamvis non pleniter ita, sicut infirmi, tamen adjuvamine indigent. Nunc videndum est, quare S. Benedictus dixit prius de senibus et postmodum de infantibus, cum infantia prior est, quam senectus. Ideo enim prius dixit de senibus quam de infantibus, eo quod plus est debilior senectus quam infantia. Senectus enim deficiendo minuitur robore, infantia autem crescendo adsumit; et senectus plus est fragilis

quam infantia, quia et infans, si non habeat necessaria, nescit murmurare, senectus vero scit murmurare. Bene ergo prius dicit senes et postea infantes, ut majus studium sit de senibus quam de infantibus, ut si deficiunt virtute, accipiant etiam virtutem per cibum, et ne ille, qui multis annis Domino servivit, post per culpam alienam murmurator existat et perdat, quod ante labore acquisivit. Sciendum est enim, quia in Francia consuetudo est, ut infirmo manducare carnem abbás licentiam non largitur, antequam incipiat expasare,[1]) et postea, cum illi dat, tamdiu dat, usque dum perveniat ad pristinas vires. Deinde cum ille infirmus revertitur de domo infirmorum in refectorium manducare, tunc praeparat ei cellerarius quamvis non de carne, tamen melius quam aliis sanis manducare, hoc est aut pisces aut aliquód pulmentum per duos vel tres dies aut quatuor vel quinque, quia non esse bonum dicunt, ut statim post carnem dimissam descendat ad illum cibum, qui sit corpori nocivus, sed gradatim descendat, eo quod nocet subitanea ciborum mutatio, et ille frater, qui infirmus fuit, postea magis diligat priorem, si ita ei diligenter atque studiose ministratum fuerit. Iterum videndum est, quare S. Benedictus junxit senes cum infantibus? Quia, sicut dicunt physici, convenit sibi aetas infantum et senum, eo quod sicut infantes crescunt, ita senes decrescunt. Hoc etiam animadvertendum est, quia non habent unam qualitatem infirmi et senes atque infantes. Ideo necesse fuit, ut sicut de infirmis, ita etiam de illis legem constitueret. Dicit enim: *Licet ipsa natura, senum videlicet et infantum* et rel. — ac si diceret: Quamvis ipsa natura provocemur ad misericordiam, tamen et auctoritas regulae a me expositae in eis prospiciat, i. e. consideret, et imbecillitatem amborum intendat. Et bene dixit has duas aetates in simul, quia sicut physici dicunt, in infantibus sanguis crescit et in senibus minuitur. Et sicut in infantibus vivacitas sensus crescit propter augmentationem sanguinis, ita et in seni-

[1]) expausare. Cod. Fürstz.

bus minuitur sensus propter minutionem sanguinis. In infantibus consideretur auctoritas regulae pro augmentatione vitae, in senibus vero propter sustentationem vitae. Sciendum est enim, quia infantibus usque ad annos septem vel octo et eo amplius [illis] licentiam jocandi abbas debet dare. Pulchre enim B. Benedictus junxit senes cum infantibus, quia honestum est, cum senes manducant, infantes stare et ceteris ministrare. Nunc videndum est, qualiter docendi sunt infantes: Debent enim decem infantes tres vel quatuor magistros, sicut diximus superius, habere propter illud, quod dicit S. Benedictus *ubi et ubi ab omnibus custodia teneatur*, quia nullatenus sine suo magistro quoquam ire debent, sed quidquid agunt, in omnibus semper cum illis magistri eorum debent esse et custodiam illis impendere, eo quod si sic non fuerit illis custodia exhibita, nequaquam *ubi et ubi* custodiam habebunt. Infantes vero antequam vadant in refectorium, debent doceri sollicite, ut cum silentio intrent et rationabiliter se inclinent adversum intrandum et exeundum. Et nullus ex eis foras exire debet, usquequo omnes pariter collaudent Dominum, qui dat escam omni carni et replet omnes sperantes in se benedictione coelesti. Deinde cum venerint hospites sapientes in monasterio, debet abbas unum vocare ex illis et probare isto modo: Vade et loquere cum hospite de cantu aut de compoto vel de grammatica seu etiam de aliqua arte rationabiliter atque honestissime. Postea vero debet ipse prior quasi non videns diligenter attendere et videre, utrum honeste aut verecunde locutus fuerit cum hospite, et qualiter aspicit in conspectu hospitis, ne passim aspiciat, sed solummodo hospitem. Post discessum vero hospitis debet illum prior admonere, ubi negligenter interrogavit vel respondit aut negligenter aut nimis timide vel cum laetitia locutus est, ut possit postmodum ad potentes reddere responsum. Magister vero infantum debet esse bonus atque religiosus et timens Deum, qui sollicite agat et temperate erga illos. Non illos nimium flagellare aut male tractare eos debet, sed debet magnam custodiam habere super illos atque sol-

licitudinem, eo quod nil valet flagellum vel excommunicatio, nisi fuerit illis custodia in omnibus, quia post flagellum vel disciplinam statim reverti solent ad negligentiam, si non viderint super se magistrum habere. Et hoc notandum est, quia illi, qui sub custodia sunt, cum negligunt, aut nimiis jejuniis aut flagellis coerceantur. Et si sic factum fuerit, non inveniet tempus, ut illi flagellari debeant aut nimiis affligantur jejuniis. Si vero cum magistro noluerint esse, tunc debent valde flagellari. Et hoc notandum est: propter naturam humanam, ne frangatur, per hebdomadam vel per mensem, prout viderit magister, debent illi infantes in pratum vel in aliquem locum ire et magister illorum cum illis, ut dimittat illos jocari usque unam horam. Deinde debet iterum habere custodiam super illos magnam. Debet etiam bona vestimenta illis dare abbas et pisces ad manducandum vel lac aut butyrum; carnes vero per tempus quadrupedum, i. e. in Nativitate Domini vel in Pascha aut Pentecosten vel in sollemnitatibus sanctorum, aut prout viderit, esse infantem debilem, propter debilitatem illius frequentius illi debet dare carnes. Illis autem infantibus, sicut diximus, omnia necessaria tribuere debet, ut nullam indigentiam habeant, quia si in abundantia fuerint nutriti, cum fuerint majores, non illam requirunt. Hoc notandum est, quia juxta tempus aetatis suae debet illis tribuere carnes quadrupedum, eo quod plus indiget et opus est, cum in tertio anno est, carnes manducare, deinde in quarto minus, et in quinto plus minus; deinde usque decimum vel undecimum carnes quadrupedum minus manducare debent. In infirmitate autem vel debilitate debet illis carnes quadrupedum dare, quantum necesse est. Deinde usque ad quintum decimum annum alium cibum debet illis dare. Post quintum decimum vero annum non praeveniant majores. Cum vero non praeveniunt horas canonicas, sicuti unus de majoribus de tali mensura contenti debent esse. Hoc notandum est, quia debet etiam abbas, si viderit jam infantem, qui religiose se continet atque bonam vitam habet, de illo sermonem dicere in capitulo, ut ille, cum hoc audierit, sciat

postmodum amare sanctitatis viam. Debet etiam illi in refectorio porrigere aliquando de cibo hospitis, ut ille sciat amare normam rectitudinis et quasi suasus isto modo in melius proficiat. Illi autem infanti, quem vanitati viderit esse deditum, cum bono porrexerit de cibo hospitis, subtrahere etiam de cibo debet, ut ille, cum viderit alium honorare et se quasi contemnere, erubescat de sua vanitate et quasi suasus amet continentiam, sicuti et alium viderit amare. Sed sciendum est, quia aestivo tempore non debent infantes ita praevenire coenam, sicut sextam praeveniunt generaliter, nisi forte tales sunt ita parvi, ut debeant praevenire. Nunc autem inspicienda sunt verba.

Sequitur: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his aetatibus, senum videlicet et infantum, tamen et regulae auctoritas eis prospiciat. Consideretur in eis semper imbecillitas, et nullatenus eis districtio regulae teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, et praeveniant horas canonicas. Licet,* i. e. quamvis — ac si diceret aliis verbis: Quamvis ipsa natura humana trahat ad misericordiam in his aetatibus, senum videlicet et infantum, tamen et ego de illis legem constituo, ut forte, si aliquis durus non tractus fuerit ad misericordiam, constrictus a lege mollescat et compulsus revocetur ad misericordiam. *Trahatur*, i. e. provocetur. Infantia etenim est usque ad septem annos, pueritia vero usque ad quatuordecim, adolescentia quippe viginti octo, juventus namque quinquaginta sex, senectus septuaginta sex; postea decrepita aetas dicitur. Et hoc notandum est, quia non solum de illis infantibus dicit regula, qui usque septem sunt annos, sed etiam post septem, i. e. usque septem debet esse maximum studium et augmentatio in alimentis, post septem vero minus, et prout videtur robur in illis esse. Ita etiam de senibus intelligendum est. In decrepita vero aetate, sicut in infantia; in senectute minus, in decrepita maxime prospiciat, i. e. longe aspiciat. *Imbecillitas*, i. e. teneritudo vel pusillanimitas. *Districtio regulae* attinet ad qualitatem ciborum, i. e. sive carnium quadrupedum seu etiam volatilium et ceterorum ciborum.

Sequitur: *sed sit in eis pia consideratio, et praeveniant horas canonicas.* Non est enim pia consideratio, si aliquis infans vadit retro cellararium quaerendo panem et vinum. Et hoc sciendum est, quia ille cibus dari debet pueris, qui aetati suae convenit. *Praeveniant horas canonicas*, i. e. anticipent horas regulares. Canon enim graece latine regula interpretatur, ac si diceret aliis verbis: antequam alii fratres manducent, comedant prius, infantes videlicet et senes. Forte dicit aliquis: Contrarium est huic capitulo illud, quod inferius dicit: *Pueris vero minore aetate non eadem quantitas reservetur, quae majoribus, sed minor.* Cui respondendum est: Non est contrarium, eo quod illi infantes quia jam antea manducaverunt, bonum est, ut non illis sicut ceteris tantum pulmentum tribuatur, eo quod pene jam saturati sunt. Sciendum est enim, quia, quamvis infans dicatur septem annorum, tamen S. Benedictus non dicit solum de illis infantibus, qui septem annos habent, sed etiam de illis dicit infantibus, qui octo vel novem aut decem annorum sunt, sicut diximus superius, juxta vires et propter vires indigentes adjutorio, quia ille non solum de infantibus hoc facit, sed etiam de horis, cum hora secunda dicit agere tertiam; similiter et de temporibus fecit. Ille enim dicit: hiemis tempus a kalendis novembris, cum hiemis tempus non a kalendis novembris inchoatur, sed postea.

Cap. XXXVIII.

DE HEBDOMADARIO LECTORE.

Rectum ordinem tenuit etiam in hoc loco S. Benedictus in eo, quod dicturus erat de cibo et potu corporali et praedixit de lectore mensae, h. e. de cibo spiritali, quia cibus spiritalis praecedit corporalem, ideo etiam debuit praeferri in ordine. Et in hoc claret et manifestatur, quia monachus ad mensam non ante debet capere cibum corporalem, quam interior ejus homo capiat spiritalem. Nunc videndum est, unde orta est haec consuetudo, ut lectio sit in refectorio. Sicut narrat Cassianus in libro quarto institutionum (cap. 17), [quia] Cappadociae monachi imprimis coeperunt

legere in refectorio manducantibus fratribus causa vitandi fabulas et lites, quae in conviviis oriri solent. Nam aegyptii monachi tantam districtionem in silentio habebant, ut, dum manducabant, opertis de cucullis oculis manducarent; sic enim dicit Cassianus: *Illud autem, ut reficientibus fratribus sacrae lectiones in coenobiis recitentur, non de aegyptiorum typo processisse, sed de Cappadocum noverimus, quos nulli dubium est non tam spiritalis exercitationis causa, quam compescendae superfluae otiosaeque confabulationis gratia, et maxime contentionum, quae plerumque solent in conviviis generari, hoc statuere voluisse, videntes eas aliter apud se non posse cohiberi. Apud Aegyptios enim vel maxime Tabennensiotas tantum silentium ab omnibus exhibetur, ut, cum in unum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat praeter eum, qui suae decaniae praeest. Qui tamen, si quid mensae inferri vel auferri necessarium esse perviderit, sonitu potius quam voce significat. Tantaque vescentibus eis silentii hujus disciplina servatur, ut cucullis ultra oculorum palpebras demissis, ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam evagandi, nihil amplius intueantur, quam mensam et appositos in ea, vel quos ex ea capiunt cibos, ita ut quemadmodum vel quantum reficiat alius, nullus invicem notet.*

Unde quia inspicienda est intentio, cum manducat monachus, usquedum totum manducaverint, semper legere debent; nunc autem non solum debet esse lectio causa vitandi fabulas vel scandalum, verum etiam causa aedificationis.

Sequitur: *mensis fratrum edentium lectio deesse non debet.* Adtendendum est enim, quia non dicit de sanorum mensis, vel ubi generalitas fratrum manducat, et ideo, sicut de sanis in unum comedentibus intelligitur, lectionem fieri debere, ita etiam debet intelligi de infirmis vel fleuthomatis (fleubothomatis), de senibus vel de infantibus et reliquis aliis fratribus. Hoc tamen sciendum est, si sex fuerint infirmi aut fleuthomati aut senes cum infantibus aut reliqui alii, cum manducant, lectio illis debet esse manducantibus,

verumtamen leniter; si autem fuerint viginti infirmi, tunc in voce legendum est.

Sequitur: *Ne fortuito casu quis*[1] *arripuerit codicem ibi legere audeat.* Fortuito casu, i. e. subito aut repente, ac si diceret aliis verbis: nullus ibi legat, nisi jussus. Nam qualiter debeat legere lector, inferius manifestat, cum subdit *sed lecturus tota hebdomada dominica ingrediatur*, subaudiendum est: *ad legendum.*

Sequitur: *Qui ingrediens post missas et communionem petat ab omnibus obsecrans pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis, et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus ipso tamen incipiente: »Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam«; et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum.* Quamquam etenim missa et communio unum sit, tamen missa attinet ad illud, quod dicitur *Te igitur*, *clementissime Pater*, et reliq., eo quod illud dicitur proprie missa, quia ibi fit missio, cum dicit sacerdos: *jube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum* et reliq. Et propterea dicit diaconus in fine: *Ite*, *missa est*, ac si diceret: Ite, quia vestra oblatio Deo oblata est, i. e. transmissa est. Missa enim ordinem tenet illius, quod apostolus dicit: *orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones.* Oratio est ab ingressu missae usque ad evangelium; ab evangelio usque ad Sanctus, Sanctus, Sanctus, est obsecratio; deinde illa missa secreta usque ad communionem est postulatio; post communionem vero est gratiarum actio. Et quia proprie missa ad illa secreta attinet, quamquam et de communione missa dicatur, ideo B. Benedictus secundum proprietatem missam dixit et communionem. Quod vero dicit *dicatur hic versus in oratorio ab omnibus, ipso tamen incipiente*, non dicit, ut ille incipiat tantum illum versum et alii subsequantur, sed ille totum debet dicere, et alii similiter repetere totum debent, quia, ubi dicit *ab omnibus*, subaudiendum est: *repetentibus*, sicut superius de coqui-

---

[1]) qui. Cod Tegernseens.

nariis fratribus dicit: et idem tertio repetatur ab omnibus. Quod vero dicit *accepta benedictione*, subaudiendum est: a sacerdote. Capitula vero haec sunt, quae debent dici: *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.* Aliud: *Convertere Domine usquequo, et deprecare super servos tuos.*[1] Item tertio: *Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.* Item oratio: *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum et auferat a te spiritum elationis, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

Quia cognovit B. Benedictus, spiritum elationis inesse non solum in terrenis operibus, verum etiam in spiritalibus, [et] propterea, ut avertat Deus ab ipso spiritum elationis, jubet dicere: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Quam pulchre B. Benedictus digessit, animadvertendum est. Sicut enim aptum versiculum invenit ad coquinam intrandum, i. e. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina,* et ad exeundum de coquina: *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me*, ita etiam aptum versiculum invenit ad legendum, cum dicit: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*, ac si diceret propheta: Domine, aperies labia mea, ut os meum possit annuntiare laudem tuam, quia, si ego aperuero labia mea, os meum non annuntiabit laudem tuam, eo quod omnis, qui os suum aperit, non laudem tuam pronuntiat.

Sequitur: *summumque silentium fiat ad mensam.* Hoc enim notandum est, quia, ubi B. Benedictus dicit silentium cum adjectione *summum*, sicuti in hoc loco facit, et ubi dicit *maxime nocturnis horis*, et iterum *nulla sit denique cuiquam loqui licentia,* et ubi dicit *cum omni silentio*, vult, ut nullatenus loquatur; ubi vero dicit solummodo *silentio* sine adjectione aliqua, de suppressa voce dicit, sicut legitur in evangelio, ubi legitur mortuo Lazaro Martha silentio dixisse Mariae sorori suae: *Magister adest et vocat te;* ibi enim, sicut dicit B. Augustinus, *silentio* de suppressa voce intelligendum est.

---

[1]) servo tuo. Cod. Divion. ex Marten.

Sequitur: *ut nullius musitatio vel vox, nisi solius legentis audiatur. Musitatio* vero attinet ad id, quod dicimus *stcis* vel ad aliquod signum vocis, quo aliquid significatur, quamquam *musitare* etiam caute loqui, i. e. silenter vel leniter dicere potest intelligi. Nam *musitatio* derivatur a verbo frequentativo *musito,* quod verbum frequentativum nascitur de alio verbo, quod est *musso, mussas* primae conjugationis. Deinde quem sensum habeat istud verbum, quod est *musso,* docet Servius in libro undecimo Aeneidos, ubi Virgilius de judice Drances dicit: *non futulis auctor .... mussant (i. e. modo verentur, alias dubitant); mussat rex ipse latinus, quos generos vocet.*[1]) *Interdum »susurrant«, ut de apibus dicit.* Et proprie *mussare* est, obmurmurare, et muto esse vicinum. *Mutire* vero onomatopeja est, *ne*[2]) *mutum facere,* i. e. quod fit, cum leniter percussis labris sonum reddimus leniorem vel lentiorem, unde et muti dicuntur. Id autem in hoc loco est, ut ne murmuret aut sibilo innuat aliquid, vel musitanter, i. e. leniter sive mussim, i. e. lente. *Vox* vero attinet ad verba, quamquam etiam intelligatur articulata, sive inarticulata, vel litterata seu illitterata. Sunt etiam, qui intelligunt, ut non debeat quisquam ad mensam loqui, i. e. nec prior nec minor, sed cum opus fuerit alicui aliquid petere, litteris exprimere debeat, quod vult, quod sonitu alicujus signi non potest manifestari. Iterum sunt alii, qui intelligunt hoc, quod dicit S. Benedictus *audiatur,* ut subaudiendum sit: *ab omnibus,* quatenus possit prior suppressa voce loqui, ita tamen, ut non audiatur ab omnibus, eo quod illam vocem prohibet fieri, quae ab omnibus auditur, non illam, quae ab uno auditur. Verumtamen illi, qui intelligunt, nec priorem nec minorem debere ibi loqui, attendunt verba, quibus dicitur *nullius vox vel musitatio,*

---

[1]) Virgilii aeneide lib. 11. v. 339–345. *Drances .... consiliis habitus non futulis auctor .... cuncti se scire fatentur, sed dicere mussant.* lib. 11. v. 454. *flent maesti mussantque patres.* lib. 12. v. 657. *mussat rex ipse latinus, quos generos vocet.* Georg. IV. 260. *Tum sonus auditur gravior tractimque susurrant.*

[2]) ut (?).

et attendunt illud, quia dicit *summum silentium*, dicentes, summum silentium esse, ubi nec magna nec parva vox, ubi nec ab omnibus nec a paucis, nec etiam ab uno auditur. Sed isti dicunt melius, qui dicunt, nullo modo loqui debere nec priorem nec minorem.

Sequitur: *Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce*, ac si diceret aliis verbis: dixi superius, ita vicissim sibi debere ministrare fratres, ut nullus indigeat petere aliquid; sed quia non potest hoc mortalis infirmitas pleniter peragere, ideo nunc jubeo, si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce.

Sequitur: *nec praesumat aliquis ibi de ipsa lectione aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio.* Cum dicit *ne detur occasio*, subaudiendum est: loquendi.

Sequitur: *nisi forte prior pro aedificatione voluerit aliquid breviter dicere.* Non enim jubet, ut nimis dicat de lectione, nec etiam semper, sed breviter debet dicere, si invenitur in libro talis occasionis locus. Hoc notandum est, si forte male legit lector, debet abbas cum consilio fratrum constituere fratrem, qui possit reprehendere et corrigere rationabiliter, isto modo: Ecce fratres mei boni, volo per vestrum consilium eligere talem fratrem, qui sit doctus et bonus et possit reprehendere lectorem nostrum in refectorio, necnon etiam volo, ut sedeat prope lectorem et sic reprehendat illum isto modo, i. e. erigat se et aspiciat in libro, et sic reprehendat illum leniter. Deinde si abbas cognoverit tale testimonium, aut innuat lectorem, ut ponat signum ibi, aut certe, si potest intelligere, illud testimonium exponat inibi. Nam non est bonum, ut frater longe sedeat et sic reprehendat, eo quod datur occasio loquendi. Et hoc sciendum est, quia, cum abbas foras ambulat, debet legi ad mensam ejus, verumtamen breviter, i. e. parva lectio, non sicut in refectorio semper usque ad finem mensae, sed ante debet finiri lectio. Si vero fratres in labore sunt et ibi manent, debet pleniter sicut in refectorio illis legi lectio; si autem non fuerit generalitas et non man-

seriut, debet parum legi. Similiter si tantum momorderint, parum legendum est. Similiter si hospes ante horam in refectorio manducaverit; si autem tanti et tales hospites fuerint, i. e. duo vel tres, parum legendum est, i. e. leniter; si plures, tantum usquedum prior innuat lectori, finem facere.

Sequitur: *Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum, priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam et ne forte grave sit ei, jejunium sustinere.* Mixtum enim intelligitur panis et vinum, sicut superius dicit: singulos biberes et panem; nam illius terrae consuetudo fuit [dicere], unde nos dicimus mordere, mixtum vocare. Hoc autem, quod dicit *priusquam incipiat legere*, unum est cum illo, quod supra dicit: *ante unam horam* et *usque ad missam*, ac si diceret: congruo intervallo accipiat mordere. Nunc autem dicendum est, qualiter infantes in refectorio manducare debeant. Si enim infantes sunt tanti, quantae et mensae, per unumquamque mensam debet unus infans stando manducare; verumtamen ante talem fratrem debet stare, qui eum custodiat, ne cum joco aut aliqua negligentia manducet. Si autem plus fuerint infantes, quam mensae, tunc per unamquamque mensam debent stare duo infantes; similiter ante mensam abbatis debet semper infans manducare. Verumtamen ille infans debet manducare ante abbatem, qui melior est et honeste manducat propter hospitem, qui cum abbate manducat, ne turpitudo sit.

Sequitur: *Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui aedificent audientes.* Isto enim modo ista ratio debet peragi: debet enim abbas eligere hos fratres, qui bene possint legere, sive viginti, sive duodecim, sive octo, sive sex vel quatuor, et ipsi postea ordine suo legant. In ecclesia autem die dominico prius debet legere ille infans, qui pejus sapit, deinde qui melius, deinde postmodum gradatim crescendo in melius, in ultimo vero debet legere abbas. Forte dicit aliquis: quare abbas non debet legere prius, ut sit secundum ordinem lectio? In ecclesia autem iste ordo debet esse lectorum, crescere enim debet lectio et

non minui, ut, qui audit legere, melius intelligat, si melius ac melius audierit legere; nam nulla aedificatio erit, si prius ille prior legit, qui bene potest legere, et postea, qui pejus. Nam iste ordo debet esse in ecclesia legendi: prius debent legere quatuor infantes, deinde quatuor presbyteri, deinde tres diaconi, postea abbas. Si autem non sunt tanti lectores, ut unus legat solummodo per lectionem, debent legere sex aut quatuor aut duo solummodo, qui audientes possint aedificare, quia melius est, ut unus legat tres vel quatuor lectiones aut quinque aut sex, qui aedificat, quam multi legant, qui non aedificant. Et hoc sciendum est, quia regula dicit, illos legere, qui aedificent audientes, ideo necesse est, ut auctoritates diversorum sanctorum patrum, quae docent, qualiter legendum est, hic subjungamus, videlicet ex dictis Augustini et Ambrosii, Bedae necnon et Isidori, sive etiam Victorini et Servii et aliorum grammaticorum collectae existunt, quae docent recte et distincte obscurorum sensuum secundum accentuum sonos legere atque distinguere.)-(Quot sunt officia grammaticae artis? a. quatuor. Ut Victorinus dicit, grammaticae officia sunt quatuor.)-(Quae sunt? a. lectio, enarratio, emendatio, judicium.)-(Lectio quid est? a. secundum accentuum et sensuum necessitatem propria pronuntiatio, sive, ut alii dicunt, lectio est varia cujusque scripti enuntiatio serviens dignitati personarum exprimensque habitum animi cujusque.)-(Enarratio quid est? a. secundum poëtae voluntatem uniuscujusque descriptionis explanatio vel, sicut dicunt caeteri, enarratio est obscurorum sensuum quaestionumque explanatio.)-(Emendatio quid est? a. errorum apud poetas atque figmentorum reprehensio, sive, sicuti quidam ajunt, emendatio est correptio errorum, qui per scripturas actionemve fiunt.)-(Judicium quid est? a. bene dictorum comprobatio, vel, ut nonnulli dicunt, judicium est aestimatio, qua bene scripta perpendimus.)-(Quia enim officium grammaticae artis lectio est, et nunc de ipsa lectione agimus, dicendum est nobis tam ex auctoritate grammaticorum atque doctorum, quam etiam ex traditione modernorum magistrorum, quot partes, i. e. divisiones lectio ipsa habeat,

vel qualiter legi debeat aut secundum quorum accentuum sonos sonare debeat, quotque divisiones habeat lectio. Dicit enim Victorinus grammaticus: quatuor sunt partes lectionis, i. e. accentus, discretio, pronuntiatio, modulatio. Accentus est uniuscujusque syllabae pronuntiandi in sono qualitas. Discretio est confusarum significationum per plana significatio. Pronuntiatio est secundum scriptorum personas accomodata distinctione similitudo, ut puta aut senis temperamentum aut juvenis protervitas aut feminae infirmitas aut qualitas uniuscujusque personae ostendenda et mores uniuscujusque habitus exprimendi sunt. Modulatio est continuati sermonis in jucundiorem dicendi rationem artificialis flexus, (in) .delectabilem auditus formam conversus, asperitatis vitandae gratia. Dicit enim Isidorus:[1]) *Qui autem ad lectorum gradum provehitur, iste erit doctrina et libris imbutus sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita ut in distinctionibus sententiarum intelligat, ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur, sicque expeditus vim pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat discernendo genera pronuntiationum atque exprimendo sententiarum proprios affectus, modo indicantis voce, modo dolentis, modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia secundum genera propriae pronuntiationis. In quo maxime illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est; multa enim sunt in scripturis, quae, nisi proprio modo pronuntientur, in contrariam recidunt sententiam, sicuti est: »Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat«? Quodsi confirmative, non servato genere pronuntiationis suae, dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceret: Deusne, qui justificat? ut subaudiatur: Non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiae ingenium, quo proprie singula convenienterque pronuntientur. Propterea et accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit, in qua syllaba vox protendatur pronuntiantis; plerumque*

[1]) De ecclesiast. officiis lib. 2. cap. 11. num. 2-5. (Migne. tom. 83. col. 791.)

enim imperiti lectores in verborum accentibus errant et solent irridere nos imperitiae hi, qui videntur habere notitiam, detrahentes et jurantes, penitus nos nescire, quod dicimus. Porro vox lectoris simplex erit et clara ad omne pronuntiationis genus accomodata plena succo virili, agrestem et subrusticum effugiens sonum, non humilis nec adeo sublimis, non fracta vel tenera nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie; auribus enim et cordi consulere debet lector, non oculis, ne potius ex se ipso spectatores magis quam auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronuntiandi causa praecipuam curam vocis habuisse, ut exaudiri in tumultu possent; unde et dudum lectores praecones vel proclamatores vocabantur.

Nunc autem, sicut dictum est, qualiter ratio legendi lectionem a magistris modernis traditur et docetur, subjungendum aptum esse duximus. Unde ut magis magisque patefiat, ipsam epistolam, quam Hildemarus magister Urso praedestinato atque electo episcopo S. Beneventanae ecclesiae de ratione legendi scripsit, prius subjungere curamus;[1]) deinde caetera, quae ad lectionem pertinent, tam ex traditione quorundam modernorum magistrorum, quam ex auctoritate B. Augustini et caeterorum doctorum inferius subnectemus.

HAEC EST PRAEFATA EPISTOLA.

Suo sanctissimo . . . . . ad coelestia regna transire.[2])
Explicit epistola.

INCIPIT TRADITIO EJUSDEM.

Scire enim debes, quia sententia interrogationis non debet habere mediam distinctionem cum acuto, sed semper per subdistinctionem, i. e. per gravem accentum debet legi

---

[1]) Certe haec verba sunt notariorum, qui sermones Hildemari perscripserunt.

[2]) cf. Migne. tom. 106. col. 395—398. et Mabillonii annales Ord. S. B. tom. 2. pag. 743.

usque ad partem ultimam, quae debet per interrogationem dici. Ibi namque debet fieri nota interrogandi ita: ? sed inter vocem interrogandi et vocem acute proferendi ista debet esse differentia, i. e. cum interrogatio debet fieri, sola ultima syllaba partis acuitur quasi increpando, sed non nimis, hoc est: *Quis accusabit adversus electos Dei?* Cum autem media distinctio debet dici cum acuto, paene a principio partis elevanda est vox sonum acuendo, i. e. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Deinde si venerint sententiae duae vel tres aut plus, quae videntur sub interrogatione proferri, si habuerit unaquaeque sententia suam clausulam, i. e. verbum, tunc per unamquamque sententiam debet fieri interrogatio, veluti est hoc: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ecce, quia unaquaeque sententia habuit suam clausulam, i. e. verbum, ideo per singulam sententiam facta est interrogatio. Sed hoc sciendum est, quia quamvis debere fieri per singulam clausulam interrogationem diximus. tamen si velis, ambas clausulas sub una interrogatione potes pronuntiare, sicuti habes scriptum in dictis inferius scriptis moralibus: *Numquid producis luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terrae consurgere facis?* Scito enim, quia clausulam dicimus esse unumquodque verbum, quod claudit unamquamque sententiam. Deinde doceat te forma accentus, vocem in legendo proferre, h. e. quia sicut superius est erecta aut inferius demersa, ita debet ibi vox aut elevari aut inclinari; v. gr. gravis virgula deorsum deprimitur ita: \\. et ideo taliter debes vocem tuam inferius deponere in locis, ubi subdistinctio, h. e. punctus ad pedem litterae fuerit. Similiter acuti nota est ita: /, et ideo ita debes vocem tuam in media distinctione in altum acuendo sublevare, sicut ipsius figura consistit. Ubi vero post acutum mediae distinctionis iterum puncti ad mediam litteram mediae distinctionis fuerint, ita debes vocem tuam modulando circumflectere, i. e. acuere atque deponere sicut ipse circumflexus erigitur atque deponitur ita: Λ. Nam ubi percunctatio debet fieri, ita debet esse nota: ,W', veluti in evan-

gelio: *Quid existis in desertum videre?* /W. Ubi autem negatio est, quamquam superius diximus, ita debere fieri: V hanc notam antiquitatis more, tamen consuetudo moderna est nunc, ut in sensu negationis talis nota fieri debeat multis virgulis facta /W, sicuti est in evangelio: *hominem mollibus vestitum* /W, eo quod superior sententia est percunctationis, inferior vero negationis. Et hoc scire etiam debes, quia cum vis distinguere per punctos unumquemque versum librorum, non tantum debes constructionem adtendere, ut distinctionem facias, si parva est sententia, i. e. verbum tantum cum una vel duabus partibus, quamvis sensum habeat, ut: *Virgilius scripsit buccolica*; sed propter euphoniam soni aliquando junge duas vel tres constructiones simul, sicuti: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Ideo enim dixi, non tantum constructionem, sed etiam euphoniam debes adtendere, quia solet evenire, ut pro brevitate sententiolarum duae vel tres sententiolae in legendo versum causa euphoniae comprehendantur, sicut solet evenire, ut in una sententia, si longa est, antequam ad calcem sensus perveniatur, fiant duae vel tres constructiones. Et quid mirum, si in uno sensu solent fieri duae vel tres vel plures constructiones, cum etiam in una linea similiter fiant duae vel plures constructiones? Deinde quamvis Donatus dicat, tres punctos fieri debere in uno sensu, i. e. distinctionem, mediam distinctionem atque subdistinctionem, nostri tamen intelligunt, si longus fuerit sensus, duas vel tres subdistinctiones aut eo amplius fieri debere ante mediam distinctionem, veluti est in ista oratione: *Deus, qui B. Johannem Baptistam tua providentia praedestinasti, ut perfectam plebem Domino Christo praepararet: da, quaesumus, ut familia tua hujus intercessione praeconis et a peccatis omnibus exuatur et eum, quem prophetavit, inveniat, Dominum nostrum J. X.* Item oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, da populis tuis apostolorum tuorum Petri et Pauli natalem plena devotione venerari, ut, quorum doctrinis et confessione Trinitatis unius institutus est mundus, eorum suffragantibus meritis divinae serviat*

Unitati, per Dominum etc. etc. Item de Job: »Post damna rerum . . . . consurgere facis«.[1])

Augustinus in libro III. de doctrina christiana: *Sic distinguendum est.* etc.[2])

EX TRACTATU HILDEMARI IN LUCA EVANGELISTA.

Quid existis in desertum videre? et caetera — interrogatio sive percunctatio est; sed tripliciter iste locus distinguitur: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? alio modo: Quid existis in desertum? videre arundinem vento agitatam? sive: quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? Inferius: Quid existis videre? percunctatio; hominem mollibus vestitum? negatio. Duobus modis distinguitur: Quid existis? videre hominem mollibus vestitum? et caetera; vel: quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Quantum ad historiam attinet, Joannes mollibus vestibus vestitus non erat; vestimenta enim ex pilis camelorum contexta gerebat. Inferius: *Ecce mitto angelum meum* et cet.; veluti in Marco: *Dico enim vobis, quia major Joanne Baptista in regno coelorum nemo est; nam qui minor est in regno Dei, major est illo.* Ambrosius: Hoc dico: praetulit eum omnibus; sed Hieronymus dicit, eum omnibus aequasse, non praetulisse. Nam poterat quis inferioris meriti esse vel aequi patriarchis et prophetis, tamen ultra eum crescere non potuit. Cum vero dicit *inter natos mulierum*, praefert se Dominus Joanni, quia non ex muliere, sed ex virgine natus est. *Qui autem minor est* et caetera, duobus modis solvitur; primo: qui major est, subaudis: in nascendo; secundo: in ecclesia seu in omnibus locis; sive: qui minor est in regno coelorum, major

---

[1]) cf. S. Gregorii M. moral. lib. 28. in cap. 38. B. Job. (Migne, tom. 76 col. 445 446.)

[2]) Hic sequuntur fere quinquaginta sententiae partim prolixiores partim breviores partim perbreves ex duodecim Patrum et scriptorum antiquorum libris excerptae. Inprimis St. Augustinus, Virgilius, Priscianus, minus crebro Beda Ven., St. Ambrosius, Sergius, Donatus, Pompejus, Ovidius, Alcuinus, Statius afferuntur.

est illo, quia angelus minoris dignitatis in coelo, quo consistit, major est illo, quoniam aliud est, in acie consistere, aliud est, jam victor existere, et aliud, carne gravari, et aliud, absque gravitudine esse.

Incipit traditio cujusdam magistri graeci grammatici de accentibus graecorum nominum aliquorum, i. e. ubi et quem accentum habere debeant haec nomina subjecta. Sizigiam in »gi« dixit esse accentum . . . . quia exceptiva sunt.

Ex libro primo Cassiodori capitulum quintum decimum, sub qua cautela relegi debeat coelestis auctoritas. *Vos igitur, qui divinarum . . . . farciantur (vestiantur?)* [1]).

Cap. XXXIX.

DE MENSURA CIBORUM.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextae quam nonae omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. In hoc loco notandum est, quia, cum dicit *De mensura ciborum,* non tantum dicit pro mensuratione ciborum, sed etiam pro numero ciborum. Sunt enim multae regulae, quae habent *mensis*, aliae habent *mensibus*; sed melius est *mensibus*, quam *mensis*, eo quod *mensibus* adtinet ad jugitatem temporis, *mensis* vero ad intervallum temporis, eo quod potest una vice omnibus mensis ita agere aut plus aut minus. *Refectio cottidiana* varie intelligitur; alii sunt, qui intelligunt, ut, sicut in diebus privatis, ita etiam in solemnibus et in Pascha intelligunt, [2]) i. e. ut duo pulmentaria cocta debeant esse in solemnibus, sicut in diebus privatis, propter illud, quod patres nostri in privatis diebus manducabant ad nonam et in solemnibus ad sextam, et ita tantum manducabant ad sextam et seram, ut non plus quam in diebus privatis manducarent

---

[1]) cf. Migne, tom. 70. col. 1126. usq. ad 1131. (de institutione divin. litterar. cap. 15.)

[2]) intelligant (?), intelligitur. Cod. Divion. ex Marten.

ad nonam, quia solummodo illum cibum, quem ad nonam manducabant, manducabant ad sextam et seram, sed meliorem aliquantulum, sive tria pulmentaria cocta; nam numerum augebant. Alii sunt, qui quotidianam refectionem intelligunt de diebus privatis, et in solemnibus plus, propter illud, quod idem S. Benedictus alibi dicit *diebus privatis et dominica*, ut, sicut illic divisit inter privatos dies et dominicam, cum de officiis dixit, ita et in hoc loco intelligitur divisisse, cum dicit *ad refectionem quotidianam,* ac per hoc in eo, quod dicit *ad refectionem quotidianam* datur intelligi, ut ad refectionem solemnium dierum aliquid plus et melius esse debeat. *Pulmentaria* vero multis modis dicuntur. Dicuntur enim de carne, sicut legitur in libro Geneseos, dixisse Isaac ad filium suum, ut isset in venationem et de sua venatione fecisset illi pulmentum. Dicuntur etiam de piscibus, sicuti habes in evangelio, ubi Dominus post resurrectionem suam apparuit discipulis piscantibus et interrogavit eos, si haberent aliquid pulmentarii; et cum venissent discipuli in terram, viderunt prunas et super prunas piscem positum. Dicitur enim pulmentum de leguminibus, sicuti habes in praefato libro Geneseos, ubi dicitur: *Coxit autem Jacob pulmentum, quod fuit de lenticula factum.* Pulmentum enim dicitur, sicut tradunt magistri, quidquid pani adjicitur, ut melius ipse panis comedatur, sicuti est caseum et folia porrorum et ovum et cetera his similia. Nam si caseum non coctum manducaveris cum pane, non dicitur pulmentum coctum, si autem coctum fuerit, dicitur pulmentum coctum. In hoc loco pulmentum coctum dictum est, quod fit de oleribus, de caseo et ovis et de farina, quia diversae coctiones fiunt de oleribus, de caseo et ovis, sive de farina. Nam qualis esse monachis cibus debeat, manifestatur in VI. libro institutae patrum, ubi de vitio gastrimargiae exponitur. Igitur eligendus est cibus non tantum, qui concupiscentiae flagrantes aestus temperet minusque succendat, verum etiam, qui ad parandum sit facilis et quem ad emendum opportuniorem vilioris pretii compendium praestet quique sit conversationi fratrum usuique communis. *Pulmen-*

tum, ut Isidorus dicit,[1]) *vocatur a pulte; sive enim sola pultis, sive quid aliud ejus permixtione sumatur, pulmentum proprie dicitur.* Reddit enim causam, quare duo pulmentaria cocta dixerit, cum subjunxit: *propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur*, ac si diceret: Ideo dico duo pulmentaria, ut, qui non potest ex uno edere, ex alio reficiatur. Et hoc notandum est, ut ille, qui ex uno tantummodo potest edere, tantum accipiat ex illo, quantum illi suffecisset ex duobus. Si vero non potuerit etiam ex illo primo edere, detur illi caseum aut ova aut aliud, quod manducet.

Sequitur: *Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant.* Istud *ergo* superius respicit, ac si diceret: Ergo quia credimus,[2]) duo pulmentaria sufficiant omnibus fratribus.

Sequitur: *Et si fuerint*[3]) [*unde*] *poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium. Nascentia leguminum* intelliguntur germinantia, quia mos est illius terrae et romanae et aliarum provinciarum, mittere legumina in aqua, et cum germinata fuerint, tunc manducant. Hoc autem notandum est, quia in diebus privatis, si non fuerit calor aut maximus labor, duo debent esse ad sextam pulmentaria cocta et unum crudum, et ad seram tertium coctum, si coenaturi sunt, ad aestimationem panis, i. e. quia sicut ipse dixit, duas partes librae panis debet monachus manducare ad sextam, et tertiam ad seram, si coenaturus est; ita etiam de pulmentis intelligitur, h. e. duo pulmenta cocta habeat monachus ad sextam, et tertium crudum, et ad seram unum pulmentum coctum, quod est jam tertium coctum, sicuti tertiam partem librae panis. Si autem ad nonam fuerit manducandi tempus, jussit dari duo palmenta cocta et unum crudum. Hoc notandum, quia poma aut ad sextam vel ad seram debent dari ad coenam; nam ad nonam in aestivo

---

[1]) Etymolog. lib. 20. cap. 2. n. 7.
[2]) sufficere (?)
[3]) fuerit (?)

tempore aut ad seram in hiemis tempore non debent, quia B. Benedictus non jussit in aestivo tempore nisi duabus vicibus manducare. Nam si ad nonam manducaveris, non duabus vicibus, sed tribus manducas; similiter in hieme, si ad seram poma manducaveris, non semel, sed duabus vicibus manducabis.

Sequitur: *Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et coenae. Propensa*, i. e. praeponderata, h. e. mensurata. In diebus vero solemnibus vel quando labor fratrum fuerit factus, debet dare ad sextam tria pulmentaria cocta et quartum crudum, prout labor fuerit. Ad seram vero unum coctum, sicut ipse dixit: *Si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, remota prae omnibus crapula. Expediat*, i. e. oporteat; *remota*, i. e. ablata; *prae omnibus*, i. e. super omnia.

Sequitur: *ut nunquam subripiat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: Videte, ne graventur corpora vestra in crapula.* In hoc enim loco notandum est, quia mentionem facit illius loci, in quo Dominus dixit: *Videte, ne corpora vestra graventur in crapula et ebrietate et saeculari cura.* — Notandum est etiam, quia his tribus verbis, i. e. crapula et ebrietate atque saeculari cura comprehenditur, quod Joannes evangelista dicit: »*Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae.*« Concupiscentia enim carnis adtinet ad crapulam et ebrietatem, concupiscentia autem oculorum et superbia vitae attinet ad curam saeculi. His enim verbis continentur etiam illae tres excusationes, quibus se excusaverunt illi, qui ad coenam vocati sunt, i. e. uxor, ager et juga boum. Uxor enim potest attinere ad crapulam et ebrietatem; ager et juga boum possunt attinere ad curas saeculi. Necnon etiam his tribus verbis Domini comprehenduntur illae tres tentationes, quibus diabolus tentavit Dominum, i. e. gula, avaritia et jactantia. Gula autem potest attinere ad crapulam, avaritia et jactantia attinet ad curas saeculi. In his autem tribus tentationibus comprehenduntur omnia vitia; si enim non

continerentur omnia vitia, nequaquam Lucas evangelista cum dixit *tentatione*, praemitteret *omni*; ait enim: *consummata omni tentatione.* Sicut enim peritissimus medicus, cum videt infirmum, dicit infirmo: ab isto et isto cibo abstine te, quia, nisi te ab illis cibis abstinueris, in magnam incides infirmitatem, ita et Dominus fecit. Ille enim, cum descendisset de coelis, invenit genus humanum infirmum et dixit illi: O genus humanum! quia infirmum te inveni, ideo praecipio tibi: Attende, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate sive curis saeculi. Ubi animadvertendum est, si homo medicum terrenum auscultat et obtemperat illi propter salutem corporalem, quanto magis debemus medico coelesti auscultare, ut salvi esse mereamur in vita aeterna. Crapula enim intelligitur tunc esse, cum superflue cibus sumitur et exinde gravatur homo; nam stomachus hominis est ventriculus, quasi olla prope hepar, et ibi reconditur cibus et ex calore hepatis coquitur cibus. Deinde cum cibus ultra mensuram illius ventriculi sumptus fuerit, non potest coqui a calore hepatis, et ex hoc ascendit fumus cibi per membra et ad caput, et ex hoc adgravatur homo et habet eructationem sicut ex infirmitate et adeo debilis redditur, ut nil boni agere possit. *Crapula* est superabundantia; *indigeries*, i. e. indigestio; *subripiat*, i. e. latenter rapiat; *sub* enim pro *latenter* ponitur, *ripiat*, i. e. rapiat, accipiat. *Subripiat* enim compositum est ex integro et corrupto, ex *sub* integro et *ripiat* corrupto, i. e. subrapiat, ac si diceret: ut nunquam monacho indigeries subripiat; si labor autem forte factus fuerit, ita debet [et] tantum augere, ut nunquam latenter rapiat, i. e. dominetur indigestio in monachum, quia, nihil sic contrarium est omni christiano, quomodo crapula, sicut Dominus ait: *Videte, ne graventur corda vestra crapula.* Subaudiendum est etiam illud, quod Dominus subjunxit: *et ebrietate et cura saeculi.* Intellexit enim S. Benedictus, nihil sic contrarium esse christiano, quomodo crapula, eo quod per crapulam venitur in gulam, de gula in immunditiam, deinde in cetera vitia. Ideo dixit *remota prae omnibus crapula.*

Sequitur: *Pueris vero minori aetate non eadem servetur quantitas, sed minor, quam majoribus, servata in omnibus parcitate.* Superius enim dixit infantes, et hic dixit *pueris*, quia non solum infantibus prospiciendum est, sed etiam pueris minori aetate. Bene dixit *pueris minori aetate*, quia de illis annis vult intelligi, qui prope infantiam sunt. Sunt enim anni pueriles, qui prope infantiam sunt, veluti octavus, nonus, decimus, undecimus. Et iterum sunt alii anni pueriles, qui prope adolescentiam sunt, i. e. duodecimus, tertius decimus, quartus decimus, ac si diceret: Quantum plus sunt pueri prope infantiam, tantum etiam plus adjuvandi sunt, eo quod non est magnum robur in illis; et quantum sunt prope adolescentiam, tanto minus debet illis, quam infantibus, cibum tribuere. Pulchre dicit *non eadem quantitas servetur*, quia ille superius jam exposuerat in alimentis distinctionem illis non esse tenendam, sed praevenire horas canonicas. Sic et nunc dicit de majoribus, ut non usque ad crapulam manducent, ac si diceret: Si tales majores sunt, qui se temperare nesciunt, priores debent illos temperare. Ita etiam nunc de infantibus dicit, eo quod pueri, cum ante reficiunt et post, si ita acceperint, sicut majores, crapulam patientur; ideo moderari illos debet cellararius, frequenter enim infantes debent refici, sed non nimis. Quod enim dicit *in arbitrio consistat*, non ad libitum abbatis laxavit, sed posuit frenum, cum dicit *non subripiat monacho indigeries*, ac si diceret: non plus illis debet dare, quam oportet, nec minus, quia sicuti peccat, si plus dederit, ita etiam peccat, si minus, veluti de culpis et de judiciis et de vestimentis nec plus nec minus debet agere. Hoc autem, quod dicit *si labor forte factus fuerit*, duobus modis considerari debet. Labor major est, si a prima usque ad vesperam laborant, sive etiam major est, si a secunda laboraverit usque ad nonam.

Sequitur: *servata in omnibus parcitate*, i. e. tam in pueris quam etiam in majoribus debet servari parcitas, i. e. temperantia.

Sequitur: *Carnium vero quadrupedum omni modo ab omnibus abstineatur comestio praeter omnino debiles et aegrotos.*

Alii enim sunt debiles, alii vero aegroti. Aegroti etenim sunt, qui in infirmitate positi jacent in lecto; debiles sunt, qui ab infirmitate surgunt, sive etiam debiles sunt, qui febribus laborant, qui, quamvis non assidue jaceant, tamen quia ex febribus eorum carnes deficiunt, debiles dicuntur, veluti sunt ex febribus tertianis aut quartanis; debiles etiam sunt ex senectute, maxime tamen in decrepita aetate. Quod autem dicit *at ubi meliorati fuerint*, ita intelligi debet, ut tantum denique debent manducare, donec possint suam obedientiam exercere, sicuti antea poterant, quam in infirmitate incidissent. Iterum quod autem dicit *qui ex uno non potest edere, ex alio reficiatur*, intentio S. Benedicti manifestatur dicere, ut non possit monachus dicere: aliud volo pulmentum, si ex uno potest edere, et quaerere sibi aliud fieri ex debito, sed ex illo reficiatur, ex quo potest. Et hoc sciendum est, quia potest ex duobus refici, si valet, eo quod non est ejus intentio de hoc, ut si potest de ambobus edere pulmentis, ex uno tantum edat. Et quod ita sit, manifestatur, ubi dicit: addatur et tertium, quia nequaquam dixisset, addi tertium, si solummodo voluisset edere de uno quemlibet, quamvis possit ex duobus edere. Et hoc sciendum est, quia si ex uno non potest edere, detur ei, sicut diximus, de altero tantum videlicet, ut refici possit sicuti ex duobus, quia si de alio, unde illa generalitas adhuc non manducat, illi dederit, jam vitium est, eo quod tunc potest unusquisque pro ingenio dicere: non possum ex illo reficere cibo, sed volo ex alio. Ubi debet abbas valde prudenter intelligere, ut, si talis est, qui non possit veraciter ex ipso reficere uno, debet illi dare ex alio, sicut dictum est. Jam vero si ipse frater separatus fuerit a corpore congregationis, h. e. ut non possit ex ipsis duobus pulmentis, de quibus alii reficiunt, ipse comedere, tunc debet illi sicut infirmo in domo infirmorum praeparare cibum. Veruntamen melius est, ut ei in refectorio de illo cibo tribuat, unde in altero die generaliter ipsa congregatio comestura est, i. e. unde consuetudinem habet ipsa congregatio generaliter comedendi, eo quod non est rectum, ut pro tali ac tanta necessitate

monachus eat in domum infirmorum ad comedendum. Verum si talis et tanta est infirmitas stomachi, ut semper frater non possit comedere, unde alii comedere solent, tunc ducendus est in domum infirmorum propter honestatem. Si autem talis est, qui non semper, sed per intervallum contingit, ut non possit edere, isti tali in refectorio debet praeparari cibus, sicut diximus, eo quod non est bonum, sicut jam dictum est, ut pro tanto ducatur in domo infirmorum. Quod vero dicit *nascentia leguminum*, non est intelligendum, ut primum aut secundum pulmentum non debeat esse de leguminibus. si coctum fuerit, eo quod cum de nascentia leguminum dicit, de germinantibus leguminibus crudis intelligitur dixisse, et ideo, quia de crudis leguminibus nascentibus dixit dari tertium, de coctis vero leguminibus omnimodo potest dici primum vel secundum pulmentum.

Quod autem dicit: *Carnium vero quadrupedum omnimodo ab omnibus abstineatur comestio praeter omnino debiles aut aegrotos*, intellexit ipse S. Benedictus plus dulces carnes habere volatilia, quam quadrupedia, sicut doctores dicunt et usus comprobat in eo, quod reges et principes propter majorem dulcedinem et suavitatem gustus post carnes quadrupedum in suis conviviis carnes volatilium praecipiunt sibi praeparari; et ideo propter suavitatem gustus, non propter numerum pedum abstinentes et poenitentes a carnibus omnibus abstinere noscuntur, maximeque cum Dominus post resurrectionem suam aliquando carnem comedisse excepto pisce non legitur. Similiter et apostoli non leguntur aliquam carnem comedisse, et sicut historia ecclesiastica narrat, neque illi aliquam carnem manducabant, qui auctores monachorum tam verbo quam exemplo exstiterunt; ideo superius in capitulo, ubi de infirmis fratribus dicit, jubet, a carnibus more solito, exceptis infirmis, omnes abstinere propter stimulos carnis retundendos, eo quod stimuli carnis magis solent insurgere, ubi major dulcedo et major suavitas gustus in cibum percipitur. Et ideo jubent sancti monachi, sicut legitur in quinto libro institutae patrum, ubi de gastrimargia comprimenda docetur, sicut diximus, ut ille cibus

debeat esse monachorum, qui sustentationem tribuat vitae, non ille, qui occasionem concupiscentiis et vitiis subministrat. Unde etiam Paulus dicit: *carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.*

Nunc autem ne forte monachi possint dicere: scimus enim, quia volatilium carnes non possumus nec debemus comedere, eo quod majorem dulcedinem et suavitatem gustus habent, quam quadrupedum carnes; tamen carnes quadrupedum possumus et debemus comedere, quia minorem dulcedinem et suavitatem gustus habent. Propter hos tales occurrit S. Benedictus dicendo nominatim, ut carnes quadrupedum omnino comedere monachi non debeant, nisi pro infirmitate vel debilitate sua; quia sicut volatilium carnes pro sua dulcedine et suavitate gustus, quam habent, solent carnis provocare stimulos, ita etiam carnes quadrupedum pro sua fortitudine, quam habent, virtutem ipsis carnis stimulis ad perficiendum conferunt. Pisces autem possunt comedere, eo quod Dominus post resurrectionem suam legitur in evangelio piscem comedisse et sancti apostoli et sancti monachi similiter leguntur pisces comedisse; et ideo mos et consuetudo non fuit, ut generaliter monachi sicut ab utrisque carnibus i. e. volatilium et quadrupedum abstinerent, ita etiam a piscibus. Caseum autem possumus comedere, eo quod ab illo non fuit mos generaliter abstinendi, sicut a volatilium et quadrupedum carnibus fuerat. Nam legitur in collatione, in qua de abbate Joanne dicitur, ubi leguntur monachi eremitae caseum aegyptiacum comedisse. *Libra* sicut Isidorus dicit, *12 unciis perficitur et inde habetur perfecti ponderis genus, quia tot constat unciis, quot mensibus annus. Dicta autem libra, quod sit libera et cuncta intra se pondera praedicta concludat.*[1] Item: *Legumina a legendo dicta quasi electa; veteres enim meliora quaeque legebant, sive quod manu legantur neque sectionem requirant. Leguminum plurima genera inveniuntur, ex quibus faba, lenticula, pisum, faselus, cicer, lupinus, gratiora in hominum usum*

[1]) Etymolog. lib. 16. cap. 25. n. 20.

videntur.[1]) Item: *Panis dictus, quod cum cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat; πᾶν enim graece omne dicitur.*[2]) Item: *Carnes dictae sunt, quia carae sunt, sive a creando; unde et a graecis κρέας vocatur.*[3]) Item: *Caseus vocatur, quod careat sero quasi careum; nam serum ei omne deducitur, ut ponderibus arguatur.*[4]) Item: *Quadrupedia vocata, quia quatuor pedibus gradiuntur, quae dum similia sint pecoribus, tamen sub cura humana non sunt, ut cervi, onagri, damae et cet. sed neque bestiae sunt, ut leones, neque jumenta, ut usus hominum juvare possint.*[5]) Item: *Coena vocatur a communione vescentium; coenon (κοινὸν) quippe graeci commune dicunt, unde et communicantes, quod communiter, i. e. pariter conveniant. Apud veteres enim soliti erant in propatulo vesci et communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem coena vespertinus cibus, quam vespernam antiqui dicebant; in usu enim non erant prandia.*[6]) *Cibus dictus est, quia capitur ore. sicut esca, quia eam os capit.*[7]) Item: *Debilis dicitur, quod per bilem factus sit fragilis; bilis enim humor est afficiens corpus.*[8])

Cap. XXXX.

DE MENSURA POTUS.

Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic. Nunc videndum est, quid est, quod S. Benedictus dicit *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Quomodo proprium et quomodo ex Deo? Si enim proprium est, quomodo est ex Deo? et si ex Deo est, quomodo proprium est? Proprium vero est per susceptionem, ex Deo est per dationem; proprium est, quia accepisti, ex

---

1) Etymol. lib. 17. c. 4. n. 1. 2.
2) Etymol. lib. 20. c. 2. n. 15.
3) Etymol. lib. 20. c. 2. n. 20.
4) Etymol. lib. 20. c. 2. n. 33.
5) Etymol. lib. 12. c. 4. n. 4.
6) Etymol. lib. 20. c. 2. n. 14.
7) Etymol. lib. 20. c. 2. n. 1.
8) Etymol. lib. 10. n. 71.

Deo, quia ille donavit. Sciendum est enim, quia hoc, quod dicit: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic*, de Paulo apostolo sumpsit, sic enim Paulus apostolus alibi dicit: *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae*, et alius sic, alius quidem sic, i. e. alius plus, alius vero minus. Hoc vero, quod dicit *alius sic, alius vero sic*, duobus modis intelligitur. Uno modo intelligitur de uno eodemque dono, quod accipiunt duo, sed tamen alius accipit sic ipsum donum, sed minus quam alter; alius vero i. e. secundus accipit ipsum donum sic, i. e. plus quam alter. Deinde secundo modo potest intelligi de duobus donis, i. e. alius accipit sic, i. e. istud donum, quod alter non accipit; alius accipit sic, hoc est, accipit alterum donum, quod alter non accipit. In hoc vero loco similiter duobus modis potest intelligi; hoc est: alius accipit sic, i. e. donum minus bibendi, quam ipsa mensura sit. Alius vero accipit sic, i. e. accipit donum, ut ei tantummodo ipsa mensura bibendi sufficiat. Altero vero modo potest intelligi: alius accipit sic, i. e. accipit donum, ut etiam sine potatione vini possit subsistere; alius vero accipit sic, ut minus ei sufficiat, quam ipsa mensura sit, quamvis ex toto non possit a vino jejunare.

Sequitur: *et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur*, ac si diceret aliis verbis: quia ita est, i. e. ut omnes non accipiant aequaliter donum a Deo, ideo non possumus certius diffinire mensuram victus aliorum, eo quod non omnes unam qualitatem morum vel corporum habent. Ideo a nullo mortali potest diffiniri, ut omnes aequales sint in cibo et potu et vestimentis sive etiam in poenitentia. *Scrupulositas*, i. e. dubietas, anxietas, difficultas; anxietas namque est dubietas.

Sequitur: *Tamen infirmorum considerantes imbecillitatem credimus, heminam vini per singulos sufficere per diem.* Istud vero, quod dicit *infirmorum considerantes imbecillitatem*, de infirmitate mentis dicit, non corporis; nam hic condescendit S. Benedictus infirmis mente, cum dicit *infirmorum considerantes imbecillitatem.* Tunc est enim con-

descensio, quando metas justitiae non excedit; nam si metas justitiae excedit, hoc est usque ad vitium, jam non est condescendere, sed peccare.

Sequitur: *credimus, heminam vini per singulos sufficere per diem.* Sciendum est enim, quia unaquaeque regio suam mensuram habet; et idcirco doctores, cum de mensuris dicant, secundum sui loci consuetudinem dicunt, veluti de Ruth legitur, quae sex modios hordei sola collegit. Similiter et Ezechiel de siclo aliter dicit et Heptaticus de ipso siclo aliter dicit; ita et S. Benedictus, cum heminam vini dicit, secundum sui loci consuetudinem dicit; similiter de officiis fecit, et cetera. Unde Carolus[1]) rex, qualiter ipsam heminam intelligere ac scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum monasterium S. Benedicti, et ibi reperit antiquam heminam, et juxta illam heminam datur monachis vinum. Similiter et juxta eam habemus etiam et nos. *Hemina sextarii in duo aequa inciditur,* ut Isidorus dicit,[2]) *et cotulam facit. Hemina autem appendit libram unam, quae geminata sextarium facit.* Mina autem centum dragmis appenditur; duae enim heminae faciunt sextarium unum; unde dicit Priscianus in libro, quem per metrum scripsit, de mensuris hoc modo: heminas recipit geminas sextarius unus, qui quater assumptus fit graico nomine χοῖνιξ. *Ἡμινα* graece latine *hemina* dicitur, sicuti mnas graece latine mina dicitur. In hoc enim loco videtur Priscianus dicere: non est plus hemina, quam sit mina, quia sicut duae minae faciunt unum sextarium, ita duo heminae similiter faciunt. Etenim praepositio in compositione, quamvis aliquando minuat sensum, sicut *elinguis*, i. e. sine lingua, et *enodis*, i. e. sine nodo — unde Vigilius[3]) dicit: *Aut rursum enodes trunci resecantur et alte finditur in solidum cuneis via, deinde feraces plantae inmittuntur,* in hoc enim loco *enodes trunci* intelliguntur: sine nodo — aliquando vero et auget sensum

[1]) scil. Magnus.
[2]) Etymol. lib. 16. c. 26. n. 5.
[3]) Georg. II. 78.

in compositione, ut est *edura pirus*, hoc est valde dura, unde idem Virgilius dicit:[1]) *Ille etiam seras in Versum distulit ulmos — eduramque pirum et spinos jam pruna ferentis;* in hoc enim loco *eduram pirum*, i. e. nimium validam. Aliquando et in compositione nec minuit nec auget, veluti cum dicitur: hemina (emina) vini, quia hoc est emina, quod mina; *hemina* enim in *mi* habet accentum, aliquando acutum aliquando circumflexum, eo quod *mi* naturaliter longa est. Tunc enim habet circumflexum accentum, quando est hemina nominativus et vocativus casus. Similiter circumflexum habet ut *heminam*, quando accusativus singularis est. In aliis vero casibus sive singularis numeri, sive pluralis, in quibus *mi* penultima est, semper habet acutum. Choenix enim genus mensurae est, unde legitur in Apocalypsi: *Et cum aperuisset tertium signaculum, audivi tertium animal dicere: Veni! Et ecce equus niger, et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem: Choenix tritici denario uno.* Choenix graeco nomine fit, cum quater sextarius assumptus est. Nam *sextarius duarum librarum est, qui bis assumptus nominatur bilibris; assumptus quater fit graeco nomine choenix, quinquies complicatus quinarem sive gomor facit; adjice sextum, congium reddit; nam congius sex sextariis metitur, a quo et sextarii nomen dederunt.*[2])

Sequitur: *Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant.* In hoc loco comprobatur, ut[3]) monachus cum consensu abbatis voluerit aut potuerit abstinere a potu seu a cibo aut vestimentis, bonum esse ad faciendum, quia propriam mercedem recepturus erit ex hoc. Veruntamen ille abbas, cum licentiam donat illo suo monacho jejunandi, attendere debet, ne forte causa jactantiae velit jejunare; sed tamen melius facit monachus, si aliquantulum bibit vinum causa humanae laudis vitandae, quam si ex toto jejunaverit.

---

[1]) Georg. IV. 144.

[2]) S. Isidori etymolog. lib. 16. c. 26. n. 6.

[3]) si (?)

Sequitur: *Quod si aut loci necessitas vel labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus, ne subrepat satietas aut ebrietas. Licet legamus, vinum monachorum omnino non esse, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius, quia vinum apostatare facit etiam sapientes.* Cum autem dicit *subrepat,* i. e. latenter repat, sive intret satietas vel ebrietas; *parcius*, i. e. temperantius vel abstinentius; *apostatare*, i. e. deviare a via Dei vel praevaricari. Quod autem dicit *propriam mercedem se habiturum sciat*, i. e. specialem. Bene dixit *propriam mercedem,* quia, sicut homo pro illo, quod communiter laborat cum aliis, communiter accipit mercedem, cum quibus laboravit, pro illo autem, quod solus specialiter sine aliis fecit, solus sine aliis specialiter mercedem accipit, sic etiam apud Deum, i. e. si cum aliis communiter aliquid bonum agit, communiter cum illis, cum quibus hoc bonum fecit, mercedem accipiet, si autem plus fecerit, quam alii, tunc specialem mercedem de hoc, quod plus fecit, accipiet; v. gr. si tantum jejuno de vino, quantum alii, tunc communem mercedem accipio cum aliis, si vero plus jejunavero de vino aut minus, quam alii, de eo, quod plus jejunavi aut minus, quam alii, accipio propriam mercedem, i. e. majorem vel minorem sine aliis. Sicut S. Benedictus in hoc loco dicit, propriam mercedem se habiturum sciat, ita intelligendum est de omnibus bonis, quae communiter vel specialiter agit homo.

Sequitur: *Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multum minus aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, et non murmurent, hoc ante omnia admonentes, ut absque murmuratione sint.* In hoc enim loco intuendum est, quia tres sensus continentur in hoc capitulo, i. e. quia mensuram constituit et plus augere praecepit et crapulam et ebrietatem abstulit; v. gr. sunt tres fratres, unus, cui sufficit mensura, alter est, qui plus indiget, tertius, qui, si ipsam

mensuram biberit, crapulam habebit. Iste enim, cui nec minus nec nimis est, si vult, potest totam bibere; ille autem, qui plus indiget, plus debet accipere, sicut et de pane et pulmentis dicit, ita tamen, ut frenum habeat, i. e. ut crapulam non sentiat; iste vero, qui de sola mensura crapulam sentit, i. e. aut in locutione vel in ingressu vacillat, si sponte vult, debet illi minui etiam ipsa mensura. Si vero dixerit, quia nolo, ut minuatur mensura mea, quia S. Benedictus illam mihi concessit, non debet illi mensura minui propter murmurationem, sed debet illum exspectare, donec ab omnibus cognoscatur et convincatur, sibi ipsa mensura[1]) nocere; et tunc, si talis fuerit ille, qui voluerit se abstinere, abstineat, si autem perseveraverit in sua pertinacia et noluerit se abstinere sponte, tunc abstineat se etiam coacte, quia levius est, ut murmuret sine ratione, quam in ebrietatem decidat, eo quod potest ille doctus[2]) postmodum recompensari de alimentis, de vestimentis, ut liniatur et reconcilietur. Hoc enim sciendum est, quia si paupertas talis fuerit, ut vinum non invenerit, debet emere, ita tamen ut prius provideat, si vestimenta habeant, et postea emat vinum. Si autem non potest[3]) aliunde vestimenta emi, tunc melius est, ut prius vestimenta emantur, quae magis necessaria sunt, et tunc, si habet, unde etiam et vinum, tunc ematur.

Cap. XXXXI.

QUIBUS HORIS OPORTET REFICERE FRATRES.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten ad sextam reficiant fratres, et ad seram coenent. Congruum ordinem tenuit in hoc loco B. Benedictus in eo, quod prius dixit de mensura ciborum et potus, et nunc subjunxit, quibus horis reficere oportet. Cum enim dicit *usque ad Pentecosten*, h. e. usque ad octavam Pentecosten attinet. Hoc enim notandum est, quia, quamvis regula dicat, usque ad

[1]) ipsam mensuram (?).
[2]) emendatus (?).
[3]) possunt (?).

Pentecosten prandere ad sextam et ad vesperam coenare, cum tamen létaniae venerint, debent monachi in his diebus jejunare usque ad nonam et omne jejunium, quod indictum fuerit ab episcopo, debent etiam jejunare, quia regula canoni non contradicit. Dicunt enim canones: *Si quis jejunium indictum violaverit* et reliq.

Sequitur: *A Pentecoste autem tota aestate si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas caloris non perturbat, quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam. Reliquis vero diebus ad sextam prandeant.* — *Labor agrorum* dicitur, cum non in claustra monasterii, sed in agris laborant aut foenum aut messem aut fruges et reliq. *Nimietas caloris* est, cum angustiam homini calor ingerit. *Quarta et sexta feria jejunent usque ad nonam.* Haec consuetudo jejunandi quarta et sexta feria orta est a sanctis Patribus necnon etiam judaica consuetudo fuit, sicut pharisaeus dicit: *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quae possideo;* ideo in sabbato bis, quia aut non coenabat aut non prandebat. Apud antiquos enim dicebatur prima sabbati, secunda sabbati et reliqua usque in septimam sabbati, ac per hoc etiam tota hebdomada sabbatum vocabatur, et ideo ille pharisaeus, cum dicit: bis jejuno in sabbato — quasi diceret: duobus diebus jejuno in septimana, hoc est quarta et sexta feria, eo quod, sicut diximus, apud antiquos septimana sabbatum vocabatur. Verumtamen non est intelligendum, ut nullo modo in ipsis diebus [non] manducasset, sed semel in ipsis diebus manducabat, i. e. si prandebat, non coenabat, et si coenabat, non prandebat; et illud prandium, quod non prandebat, sive coenam, quam non manducabat, pauperibus causa vanae gloriae dabat. Nam non diximus, ut nullo modo in ipsis diebus [non] manducasset, quia si nihil manducasset, non diceret: bis jejuno in sabbato, sed diceret: duas biduanas facio in sabbato, hoc est, nihil in quarta et sexta feria manduco, quia cottidianum jejunium est illud, in quo semel in die comeditur, biduanum vero, cum in altero die tantum comeditur, h. e. si in tertia

feria comeditur, in quarta feria sine comestione transiens in quinta feria solummodo comeditur.

Sequitur: *quae prandii sexta, si opera in agris habuerint aut aestatis fervor nimius fuerit, continuanda erit, et in abbatis sit providentia. Continuanda*, i. e. simul tenenda; *continuare* enim dicitur: insimul tenere, ac si diceret aliis verbis: si opera in agris fuerint et nimietas aestatis fuerit, sicut in secunda feria et tertia feria aut quinta feria aut in sabbato, ita etiam in quarta feria et in sexta feria ad sextam prandeant, quia, sicut diximus, *continuanda* est: simul et aequaliter tenenda; etiam in quarta feria et sexta feria, sicut in aliis diebus prandii sexta tenetur.

Sequitur: *Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter et animae salventur, et, quod faciunt fratres, absque justa murmuratione faciant.* Sunt enim aliae regulae, quae habent *absque ulla murmuratione;* et iterum sunt aliae regulae, quae habent: *absque justa murmuratione.* Fuerunt enim alii, qui dixerunt: Non est bonum, ut habeant *justa murmuratione*, quia murmuratio justa esse non potest. Deinde fuerunt alii, qui studiose intellexerunt, invenerunt loca, ubi *justa murmuratio* reperitur, in eo loco, ubi dicitur: *Si vero non saturabuntur et murmurabunt;* hoc enim intelligit Cassiodorus esse dictum de apostolis. Illi enim, cum voluerunt praedicare in Judaea, ipsi spreverunt et expulerunt illos de finibus suis, et dixerunt apostoli ad Judaeos: *Vobis enim oportebat praedicare regnum Dei, sed quia vos judicastis indignos vitae aeternae, ecce convertimur ad gentes.* Ecce juste murmuraverunt apostoli contra Judaeos, eo quod, cum illi voluerunt illis bona nuntiare, [et] ipsi expulerunt illos. Item dicit B. Job: *Si adversum me terra mea clamat et cum ipsa sulci ejus deflent, si fructus ejus comedi absque pecunia.* Hoc enim testimonium tractat in moralibus libris B. Gregorius et in homiliis.[1]) In homiliis autem suis ita disponit: *Terra etenim contra possessorem suum clamat, quando contra pastorem suum juste ecclesia murmurat; cujus*

[1]) cf. Migne, tom. 76. col. 245—249. et col. 1142.

etiam sulci deflent, si corda audientium, quae a praecedentibus sunt patribus praedicationis voce et vigore invectionis exarata, videant aliquid, quod lugeant de vita pastoris. Cujus videlicet terrae fructus possessor bonus sine pecunia non manducat, quia discretus pastor praerogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de ecclesia stipendium sumat alimenti. Tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus comedimus, quando sumentes ecclesiastica subsidia in praedicatione laboramus. — Ecce, quia inventa sunt loca, ubi justa murmuratio reperitur. Bene in hoc loco *justa murmuratione* habetur, maxime in regula S. Benedicti, quam ipse scripsit, *justa murmuratione* repertum est. Bene S. Benedictus *justa murmuratione* dicit, quia cognovit hominem posse murmurare non solum in ore, sed etiam in corde, et nullus mortalium potest ita causam semper ordinare, ut murmuratio non sit; nam potest quis ita disponere, ut justa murmuratio non sit, sed injusta, sicut leguntur in evangelio murmurasse contra Dominum Judaeos et pharisaeos, qui omnia juste et rationabiliter disponebat — quasi diceret aliis verbis: ita temperet atque disponat, qualiter et animae salventur et quod faciunt fratres, ut non habeant, unde juste et rationabiliter murmurent. Si enim injuste et irrationabiliter disponit, peccatum abbatis est, si fratres murmurant ex hoc; similiter et peccant illi, si murmurant, quia non patienter sufferunt mala. Si autem abbas juste disponit et fratres murmurant, peccant solummodo monachi, abbas autem liber est, quia si abbas sapiens et discretus fuerit et zelum Dei habuerit et possibilitatem,[1]) poterit Domino juvante ita disponere, ut, si fratres murmurant, injuste murmurent.

Sequitur: *Ab Idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimae ad nonam semper reficiant fratres. In Quadragesima vero usque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernae non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur.*

---

[1]) passibilitatem (?).

Sed et omni tempore sive coenae sive refectionis hora sic temperetur, ut cum luce fiant omnia. Ab Idibus Septembris, i. e. ab ipso die, in quo Idus sunt, hoc est a tertio decimo Septembris inchoandum est jejunium. Istum enim locum varie intelligunt sapientes; alii sunt, qui intelligunt, quia istud capitulum XLI fecit ad illos monachos, qui nil operis laborant in agris, et propterea dixit: ab Idibus Septembris inchoare usque ad nonam jejunare, et ita ab ipsis Idibus intelligitur illis jussisse, mane lectioni vacare et usque ad nonam laborare, sicut in XLVIII capitulo dicit: a Calendis Octobris usque ad caput Quadragesimae et reliq. Illud autem capitulum XLVIII, cujus clavis est: *De opere manuum quotidiano*, ubi dicit, ut a Pascha usque ad Calendas Octobris a mane exeuntes a prima pene usque ad horam pene quartam laborent, scripsit illis monachis, qui in agris operantur, ut illi usque ad Calendas Octobris propter labores agrorum ad sextam prandeant et lectioni vacent a quarta usque ad sextam, et post refectionem sextae dormiant. Iterum sunt alii, qui intelligunt, quia non est verum, sed sicut jussit facere in quarta feria et sexta feria tota aestate, cum ad nonam manducant, ita etiam in istis XVIII diebus jussit fieri, et propter illos duos dies, i. e. quartam et sextam feriam, isti dicunt proprium sensum S. Benedicti, qui dicunt, ita agendum esse in istis XVIII diebus, sicut in illis duobus diebus de aestate. Ita vero agendum est in illis diebus, quando ad nonam manducant, i. e. sexta cantata vadant dormire. Deinde ille, qui tangere debet signum, cum videt horam congruam, tangere debet signum missae; deinde missa cantata sit media octava, et cantent nonam; deinde manducent. Ideo dixi *media octava*, quia, sicut in aliis dixit tangere media octava nonam horam, ita etiam in quarta et sexta feria cantanda est nona, et sicuti in aliis diebus jejuniorum non est manducandum poma[1]) ad seram, ita et in quarta et sexta feria, si ad nonam manducant.

[1]) non sunt manducanda poma. Ita Codex Tegerns. a manu recentiori correctus.

Cap. XXXXII.

UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR.

Omni tempore silentium [1]*) debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis, et ideo omni tempore, sive jejunii sive prandii, mox ut surrexerint a coena, sedeant omnes in uno, et legat unus collationes vel vitas patrum aut certe aliquid, quod aedificet audientes.* Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod dixit, quibus horis oportet refici fratres perveniens ad illum locum, ubi dixit: *ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernae non indigeant fratres reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur*, et subjunxit hoc capitulum, cujus clavis dicitur: *ut post completorium nemo loquatur.* Nam quid aliud melius potuerat dici, quam dictis horis diurnis, quibus reficiendum erat, statim diceret,[2]) ut post completorium nullus loqui debuisset, et diceret[2]) etiam, quomodo ad completorium agendum venire debuissent, eo quod completorium cum luce agendum est. Et postquam dixerat mentionem lucis, ut cum luce omnia agerentur, subjunxit illico dicens: *Omni tempore silentium debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis.* Superius enim diximus: ubi silentium dicit regula, de suppressa voce intelligitur dicere, ubi vero maxime, sicuti hoc loco, dicit, non vult, ut loquatur, sicut in refectorio dicit. Sed hoc notandum est, quod, si nocturno tempore damnum viderit quis tale aut necessitas fuerit, quam non potest expectare, ut congruo tempore loquatur, hoc non interdicit regula loqui statim; verbi gratia (si) viderit fratrem fugientem aut aliquid damnum vel aliquod grave peccatum, debet significare priori. Tria enim inspicienda sunt tempore locutionis, i. e. damnum, necessitas tam spiritualis quam corporalis, atque interrogatio prioris, quae omnia, si altius consideraverit, ad interrogationem referuntur, quia sicuti prior interrogat, ita etiam damnum et necessitas interrogare cognoscuntur. *Nocturnis horis* cum dicit,

[1]) silentio. Cod. Fürstzell.
[2]) dicere (?).

totam noctem significat, sicut inferius dicit. *Excepto si necessitas hospitum supervenerit aut forte abbas alicui aliquid jusserit.* Ecce per hoc manifestum est, quod dixi, quia licet etiam loqui pro damno aut necessitate, quia interrogatio est ista, sicut superius diximus. Quod autem dicit: *si forte abbas alicui aliquid jusserit*, i. e. si consuere, si piscari, si scribere jusserit, obediendum est. Verumtamen non assidue debet facere, sed tarde et pro necessitate, quae non potest ferri, eo quod regula non dicit *assidue*, sed *forte*, ac per hoc, cum dicit *forte*, quasi diceret: si contingat, ut abbas alicui jubeat in nocte aliquid operis facere, i. e. quando silentium monachi debent tenere, hoc, quod justum est, cum silentio fiat, sicut ipse dicit cum summa gravitate, hoc est, cum majori silentio et honestate. quam in die. Quod autem dicit: *Si tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint a cocna, sedeant omnes in uno et legat unus collationes vel vitas patrum aut certe aliquid, quod audientes aedificet, non autem heptaticum aut regum, quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc scripturam audire; aliis vero horis legantur* — subaudiendum est: tam in aestate quam in hieme. Istud enim *mox*, non pro continuatione positum est, sed quia noluit S. Benedictus, ut grande intervallum fuisset, sed parvissimum inter coenam et collationem, ideo dixit *mox*, ac si diceret: ut surrexerint a cocna parvissimo intervallo facto, donec servitores manducant, mox accedant ad collationem. Et hoc notandum est. si tempore nubili fallitur vespera, i. e. plus tarde quam in aliis diebus, non debet intervallum inter coenam et collationem ita exspectare aut facere abbas, sicut in aliis diebus, quando moderate agitur, sed mox accedere ad collationem. Et hoc sciendum est, quia tempore collationis et in loco collationis nullus debet loqui, nisi aut lector, qui legit, aut abbas, qui exponit, aut certe talis frater, cui jusserit tradere lectionem. Et iterum sciendum est, quia cum lavant pedes fratres, nec cantare nec legere debent. Forte dicit quis: Quare, cum regula dicit legere? Cui respondendum est: duo dicit S. Benedictus, legere et pedes abluere, sed tamen non insimul,

quia non possunt insimul pedes abluere et collationes legere, sed separatim, i. e. primitus pedes lavare et postmodum legere. Per hoc, quod dicit *regum aut heptaticum*, significat illos libros, qui similes sunt illis, i. e. qui sub allegoricis figuris conscripti sunt. Istud enim, quod dicit *et ideo omni tempore sive jejunii sive prandii*, ad illud respicit, ubi dicit: *cum adhuc dies fuerit, dicta vespera ita agatur*, sicut dicit, si tempus fuerit *prandii* et reliqua. Forte dicit aliquis: Quomodo illud respicit, cum illic habetur sua constructio, cum dicit: si tempus *jejunii* fuerit? Cui respondendum est: consuetudo est aliquando doctorum hoc, quod in capite sententiae dicit, iterum in fine replicare, sicut superius diximus, ubi de gradibus exponebamus.

Sequitur: *Si autem jejunii dies fuerint, dicta vespera, parvo intervallo mox accedant ad lectionem collationum, ut diximus, et lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in unum concurrentibus per hanc moram lectionis.* Et hoc sciendum est, quia istud quod dicit: *si tempus jejunii fuerit, parvissimo intervallo mox accedant ad lectionem collationum*, ut diximus, tale vult fieri intervallum, quando coena, quale quando non coena, ab ipsa vespera usque ad collationes legendas, i. e. sic grande intervallum debet esse ipsa coena, quale est, quando non coenant.

Sequitur: *Si quis forte in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in unum positi compleant. In assignato*, i. e. injuncto. Quod autem dicit *omnes ergo in unum positi compleant*, subaudiendum est: praeter eos, qui non possunt occurrere, veluti est portarius, infirmarius, si praeoccupationem habuerit.

Sequitur: *Et exeuntes a completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam, hanc praevaricari taciturnitatis regulam, graviori vindictae subjaceat, excepto si necessitas hospitum supervenerit aut forte abbas aliquid alicui jusserit, quod tamen et ipsum cum gravitate et moderatione honestissime fiat.* Sciendum est enim, quia hoc, quod dicit: *et exeuntes*

a completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui, non est intelligendum dixisse *completorio* de illo, quod dicit: *omnes in unum positi compleant*, sed completorium appellavit officium, quod in ultima hora diei canitur, et quamquam de illo dicat completorio, i. e. de officio, tamen non debet quilibet, postquam surgit a capitulo, aliquid loqui, quia aliud silentium eum constringit. Quod autem dicit *lectis quatuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit*, non dicit usque dum videre potest legere legat, sed dicit, tantum legere, quantum hora permittit, hoc est, quantum congruum tempus est, i. e. ut completorium cum die compleatur, quia si in die non cantaveris completorium, non reddis Deo septies laudes in die. Notandum est autem, quia ita intelligendum est de *gravi vindictae*, sicut de *graviori*, aut *districtiori* vel *gravissime*, sicut diximus. Et hoc sciendum est, quia, cum dicit *excepto si necessitas hospitum supervenerit aut forte abbas alicui aliquid jusserit*, non dicit, ut semper abbas faciat, sed forte, quod tamen et ipsum cum gravitate et moderatione honestissime fiat. Attendendum est autem, quia diurnis horis cum gravitate dicit aliquid agere, nocturnis vero cum summa gravitate, quasi diceret: nimis cauta Quod enim de suppresssa voce possit dici silentium, B. Augustinus docet, ubi exponit de resuscitatione Lazari hoc modo dicens: *Abiit et vocavit Mariam sub silentio dicens: Magister adest et vocat te.* Advertendum est enim, quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit; nam quomodo siluit, quae dixit: *Magister adest et vocat te?* Forte dicit quis: quare in hoc capitulo de silentio dicit, cum superius dixit, ut usque ad interrogationem non loquatur? Cui respondendum est, quod intentio S. Benedicti fuerit in hoc capitulo, quanta debuissent folia legere, vel quomodo agere; et hac occcasione accepta iterum dixit etiam de silentio ad exaggerandum silentium. Istud enim quod dixit *forte*, adverbium est contingendi, significat, ut, cum loquitur abbas, non omni tempore loquatur per licentiam, sed tardius, hoc est, per contingentiam et necessitatem, quia, si aliter loquitur, i. e. si non propter

eam necessitatem, quae sufferri non potest, peccat. Notandum est enim, quia valde S. Benedictus erga silentium laborat; nam aliquando dicit *cum gravitate loqui*, sicuti habes in XI gradu humilitatis, aliquando dicit *ut non interrogatus non loquatur*, sicut habes in VIII gradu humilitatis, aliquando vero *summum silentium*, sicuti habes ad mensam, aliquando maxime nocturnis horis, sicuti superius habes in hoc capitulo, aliquando *horis incompetentibus non jungantur*, sicuti in XLVIII capitulo. Sciendum enim est, ubi dicit silentium cum adjectione, i. e. summum aut maximum, aut dicit: *ut non sit denuo licentia cuiquam loqui*, aut *maxime*, aut *non jungantur*, aut *cum omni*, vult, ut nulla inquisitio aut petitio aut interrogatio fiat. Et hoc etiam sciendum est, quia sicut laborat erga voluntatem propriam, ita etiam erga silentium, quia silentium mortificationem significat; silentium enim, sicut dicit propheta, custos justitiae est. quia, ubi silentium non est, nulla ibi justitia solet esse, eo quod murmuratio et cetera mala locutio est; ideo tam valde erga silentii custodiam laboravit.

Cap. XXXXIII.

DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT.

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus, quaelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur. Rectum etiam in hoc loco ordinem tenuit S. Benedictus in eo, quod dixit, quibus horis reficiendum est, et dixit de completorii ratione, et subjunxit de his, qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt. Quasi quis interrogasset S. Benedictum dicens: Ecce pater Benedicte, dixisti, quibus horis reficere debeamus, deinde dixisti, qualiter ad completorium agendum pervenire debeamus, et dixisti, quomodo finito completorio silentium tenere debeamus; dic etiam nunc, qualiter agendum est ergai llos, qui tarde ad signum divini officii occurrunt vel ad mensam — ille quasi respondens dicit: *Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus* et reliq. Iste

enim locus ita intelligitur: Si infra claustram monasterii est frater, sicuti est scriptor ac sutor et ceteri, qui sine magna obedientia sunt, statim, ut audierint, debent currere. Quodsi non cucurrerint, per septem gradus ducendi sunt. Si autem fuerit frater, qui infirmis servit aut hospitibus aut in coquina aut in caeteris officiis, qui si in his obedientiis ita fuerit praeoccupatus, ut non possit statim dimittere, v. gr. si infirmum tenuerit in manibus, hi tales non debent constringi per hoc, quod dicit *mox ut auditum fuerit signum*, *relictis omnibus* et reliq. Illi vero, qui possunt relinquere, et non occurrerint ante gloriam primi psalmi, debent stare in ultimo loco aut seorsum usque ad satisfactionem. Illi autem, qui infirmis aut hospitibus serviendo aut in coquina, aut forte de longe veniunt, qui non per negligentiam cognoscuntur non occurrere ante gloriam primi psalmi, cum veniunt, statim debet innuere illis abbas, ut stent in ordine suo, et tunc debent stare in ordine suo absque satisfactione, quia sine culpa videntur ante Deum esse; Deus enim magis cor respicit, quam factum. Illi autem, qui per negligentiam ante gloriam non veniunt primi psalmi, usque ter ad primum officium satisfacere debent, ad quod non venerunt legitime. Si autem quarta aut quinta vice hoc fecerint, debent etiam ad alia officia satisfacere: v. gr. si ad primam ante gloriam primi psalmi non venerunt, debent satisfacere ad primam et tertiam et sextam, prout abbas viderit illos esse negligentes, quia ista est lex illis, qui ad divinum officium tarde occurrunt. Verum debent admoneri hi, qui ita praeoccupati sunt, ut non possint occurrere, si corpore non possunt occurrere, occurrant mente. Si autem possunt, occurrant mente et corpore; si autem non possunt occurrere corpore, occurrant mente, quia meliores sunt apud Deum isti, qui mente occurrunt et non corpore, quam illi, qui corpore occurrunt et non mente; quia illi, qui corpore tantum occurrunt et non mente, aut faciunt pro timore hominum aut pro amore vanae gloriae. Et hoc notandum est, quia ita intelligi debet hoc, quod dicit *relictis omnibus*, *quaelibet fuerint in manibus*, v. gr. scriptor

non debet pro versu complendo stare aut certe pro litera perficienda; similiter et sutor, si acum in pannum vel subulam in calciamentum missam habuerit, non debet stare, ut permittatur acus vel subula pertranseat, sed statim ut sonum signi audierit, ita imperfecta debet dimittere, sicuti illa sonus signi invenerit. Si autem foris est frater super famulos. si talis causa est, quam facit operari, veluti fodere aut aliqua opera, debet ille statim dimittere et occurrere; si autem est talis res, quam timet perdere, veluti est granum aut vinum, non debet statim dimittere, sed prius ita debet illa ordinare, ut exinde damnum non habeat. et post occurrere, quia iste, qui pro hoc vel pro infirmo aut hospite non occurrerit. si mente occurrerit, duo bona facere comprobatur, unum, quod rem fratrum sibi injunctam diligenter agit, et alterum, quod mente occurrit.

Sequitur: *cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergo nihil operi Dei praeponatur.* Quod vero dicit *ita tamen, ut scurrilitas non inveniat fomitem*, est. ac si diceret aliis verbis: quia dixi currere, cum auditum fuerit signum, nunc dico, ita currat, ut ex hoc non inveniat jocus occasiones currendi. *Fomes*, i. e. nutrimentum vel hastula, unde prius ignis accenditur. *Scurrilitas*. i. e. jocus

Sequitur: *Quodsi quis ad nocturnas vigilias post Gloriam psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omnino subtrahendo et morose volumus dici, non occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit abbas, ut videatur ab ipso vel ab omnibus, usque dum completo opere Dei publica satisfactione poeniteat.* Hoc autem, quod dicit: *non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet aut in loco, quem talibus negligentibus constituerit abbas seorsum, ut videatur ab ipso vel ab omnibus* et reliq. — i. e. si talis est frater, qui loco superiore stat, debet in ultimo stare: si autem ultimus est aut certe in medio et post, debet stare seorsum; sed tamen in nostro monasterio omnes seorsum stant.

Sequitur: *Ideo autem eos in ultimo aut seorsum judicavimus stare debere, ut visi ab omnibus vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris oratorium remaneant, erit forte talis, qui se aut recollocet aut dormiat, aut certe sedeat foris vel fabulis vacet, et datur occasio maligno, sed ingrediatur intro, ut nec totum perdat et de reliquo emendetur.* Notandum est enim, quia in eo, quod dixit *aut seorsum aut ultimus stet*, tribus modis intelligi potest S. Benedictus illud dixisse. Uno modo autem dixit: si in ultimo est ille frater, qui tarde venit, quia iste talis, si in ultimo stat, non verecundabitur, eo quod in suo loco stat, [et] ideo iste talis non in ultimo, sed seorsum stet. Ille alter, qui tarde venit, forte est secundus aut tertius aut quartus etc. — iste talis in ultimo stet, quia ex hoc potest verecundari, sicut ille superior in ultimo stando. Secundo modo forte ideo dixit *aut in ultimo aut seorsum*, i. e. si talis est frater, qui potest illum chorum adjuvare, stet in ultimo; si vero talis est, qui non potest adjuvare, stet seorsum, quia, quamvis in ultimo stet, tamen melius potest illum chorum adjuvare, quam, qui seorsum stat. Tertio modo forte ideo dixit *in ultimo aut seorsum*, i. e. ille, qui majorem negligentiam fecit, stet seorsum, ille qui minorem, stet in ultimo. Tamen in Francia nullus horum stat in ultimo, sed omnes seorsum. Hoc autem notandum est, quia debet ille circator, quando audierit signum, ire in ecclesiam, et cum oraverit, debet per claustram monasterii ire et, cum quem per negligentiam stare conspexerit, corrigere, quia si ita fuerit factum, tarde contingit, ut frater seorsum aut in ultimo loco stet. Similiter et in nocte cum cereo accenso debet ire per dormitorium et somnolentos vel pigros excitare. Et hoc iterum notandum est, quia sicut intelligitur de fratribus, ita etiam de abbate intelligendum est; non enim debet propter illum opus Dei morari. Et hoc sciendum est, cum dicit: *Si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam XCIV psalmi occurrerit*, intelligendum est, ac si diceret: si quis antequam Gloria psalmi XCIV dicta fuerit, non occurrerit, non stet in choro in ordine suo. Verum-

tamen debent in dormitorio ac cum lumine accenso decani, sicut diximus superius de circatoribus, et pigros et somnolentos excitare.

Sequitur: *Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum et Gloriam primi psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit, lege, qua supra diximus, in ultimo stet, nec praesumat sociari choro psallentium usque ad satisfactionem, nisi forte abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen, ut satisfaciat reus ex hoc.* Quod vero dicit: *Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum et Gloriam primi psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit*, ad primam, tertiam, sextam, nonam debent dicere: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, et Gloriam, deinde hymnum, post hymnum psalmum, h. e. qui ante Gloriam istius psalmi, qui post hymnum dicitur, intelligitur, sicuti est ad tertiam: *Ad Dominum cum tribularer* et reliq. Ad vesperam: i. e. in primis *Deus in adjutorium meum intende* et reliq.; deinde psalmos, sicuti est in die dominico: *Dixit Dominus Domino meo* etc. et tunc, qui ante Gloriam istius Psalmi »*Dixit Dominus Domino meo*« etc. non occurrerit, intelligitur de illius psalmi Gloria. Satisfactio autem duobus modis intelligitur; aut enim dixit, satisfactionem illam esse, qua stat in ultimo, aut certe dixit, satisfactionem illam esse, qua prostratus debet jacere, cum fratres genua flectunt. Quod autem dicit *ita tamen, ut satisfaciat reus ex hoc*, ita intelligitur: v. gr. si cantor est, et pro necessitate non dimittitur illic seorsum stare propter necessitatem, debet ire in choro innuente priore, sed tamen cum completur opus Dei, debet satisfacere, i. e. ire in illum locum et ibi satisfacere.

Sequitur: *Ad mensam autem qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, usque ad secundam vicem pro hoc corripiatur.* Et hoc sciendum est, quia ad mensam melius est, ut ille, qui, quamvis non pro negligentia nec vitio, non potuit ante versum occurrere, eo quod, cum in

refectorium ibant fratres, mittitur pro hospite videndo aut pro alia aliqua re agenda in illa hora mittitur, [ut] postmodum cum ministris manducet, quam intret refectorium dicto versu; sedent forte omnes, et ille deberet sedere in medio, tunc surgunt omnes minores, et facit illis impedimentum. Hoc quod dicit *qui per negligentiam aut vitium non occurrerit*, — *negligentia* attinet ad incuriam, *vitium* vero pertinet ad studium.

Sequitur: *Si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensae communionis participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua de vino usque ad satisfactionem.* Quod vero dicit *sequestratus a consortio omnium reficiat solus*, sunt, qui intelligunt, ut post refectionem fratrum reficiat aut cum ministris aut solus; sed hic sensus non est sanus, sed quia, sicut de oratorio dicit, pro verecundia illum separatum stare, ut emendetur, ergo pro emendatione ita intelligendum est, ut sedeat solus ad mensam aliam separatam ab aliis mensis, manducantibus aliis. Cum *separatus solus* dicit, non est intelligendum, ut postquam alii manducaverint, ille manducet, sed quando alii manducant, ille separatus manducet et non bibat vinum; nam in Francia in meo monasterio in medio refectorio manducantibus fratribus manducare vidi talem fratrem negligentem. Quod autem dicit *usque ad satisfactionem*, ita intelligendum est, i. e. cum postquam manducaverint et voluerint jam fratres exire, debet ille abbati coram fratribus veniam petere. Si hoc fecerit ad sextam, jam ad vesperam non debet hoc iterum facere. Quod autem dicit *nequidquam potus aut cibi percipere*, intelligendum est, sicut de vino, ita et de aqua, quia non dicit specialiter: non debet quisquam ante horam aut aquam aut vinum bibere; potest, si necessitas fuerit; si autem necessitas fuerit laboris, debet ille prior dicere abbati: quia frater noster necesse habet bibere propter laborem, quem habet. Deinde debet illum abbas cum decano dirigere ad cellararium, ut det illi bibere. Et hoc sciendum est, quia non est regularis ratio aut lectori aut ceteris ministris abbatem

quasi sub benedictione aliquid panis aut potus vel pulmenti tribuere, eo quod consuetudo laicorum est, quia regula illis dicit suam justitiam accipere ante, h. e. mixtum; praeter si pro debilitate vel infirmitate dederit, bonum est, eo quod regula dicit: *Dabatur singulis, prout cuique opus erat* et reliq. Nam pro lectione vel ministerio non debet, quia non est regularis actus, sicut jam supra diximus.

Sequitur: *Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit praesens, qui post cibum dicitur; nec quisquam praesumat ante statutam horam aut postea quidquam cibi aut potus percipere. Sed et si cui offertur aliquid a priore et accipere renuerit, hora, qua desideraverit hoc quod prius recusarit aut aliud, nihil omnino accipiat usque ad emendationem congruam.* Hoc enim notandum est, quia ille versus, de quo dicit *qui ad illum versum, qui post cibum dicitur, non fuerit praesens, similem patiatur excommunicationis vindictam*, significat illum versum, qui in refectorio dicitur post cibum. Ille autem versus, qui in ecclesia dicitur, et ille *Miserere mei Deus*, non est regularis, eo quod illum non dicit regula dicere, sed consuetudo monachorum. Hoc vero quod dicit *sed et si cui offertur aliquid a priore, et accipere renuerit*, ita intelligitur: i. e. si fratri fleuthomato aut etiam in refectorio, quando prandet aut coenat aut aliqua hora, cum necessarium debet accipere, vult dare cibum, h. e. aut ovum aut pulmentum, non tale, quale aliis aut nimis, et illi non placuerit, et ideo recusat illum ingeniose dicens: non necesse est mihi iste cibus, quatenus ipse cibus detur alio fratri, ut postea illi melius detur, aut forte si in refectorio illum cibum expulerit nolens accipere, non debet illi aliud dare de simili genere pulmenti, nisi illud, quod recusavit, aut certe nihil usque ad satisfactionem congruam; v. gr. dat fratri cuidam cibum in refectorio, tamdiu debet illud pulmentum servari, donec potest servari, ut cum quaesierit illud, possit illi dari, i. e. si piscem recusavit, [aut] piscem illum accipiat, si in alio die iterum piscem apposuerit fratribus; si alio die non apposuerit fratribus piscem, sed alio genere pulmenta, debet illi dare de omni-

bus pulmentis, quia non de illo genere pulmentum recusavit, sed piscem. Si autem usque ad decem dies servatus fuerit ille piscis, quem recusavit, semper ei detur; cum vero jam non poterit servari, tunc non debet ei dari de alio pisce, donec poeniteat se et satisfaciat. *Emendatio congrua* est, quando illum poenitet coram priore de hoc, quia recusavit; si piscem recusavit, piscem non accipiat tantum, nam aliud accipiat. Si saricam recusavit, saricam non accipiat tantum; nam pedules aut alterum alterius genus accipiat. Aut certe coram illis, coram quibus fecit hoc malum, poenitet se et petit veniam, tunc jam det illi aliud; si vero ipsum tulerit, quod recusavit, similiter etiam det illi aliud, sicut ceteris fratribus. Verum secundum hanc regulam: usquedum potest servari ille cibus, quem recusavit, semper debet servari, ita faciendum est de vestimentis, de calciariis, de mappulis sive de tabulis sive de omnibus, quae juste debet accipere. Illud vero vestimentum, quod recusavit, etiam usque ad unum annum vel plus debet servari, et sic illi dari, cum quaerit aliud. Quod vero dicit *hora, qua desideraverit*, subaudiendum est: aut hoc accipiat, quod prius recusavit, aut nihil aliud. Forte dicit quis: Cur debeo accipere, si mihi sicut aliis non tribuerit? Cui respondendum est: praeceptum est tibi accipere cum humilitate et postea illud priori significare cum humilitate, sicut regula dicit: *si qua requirenda sunt a priore* et reliq.: non coram omnibus, sed secrete, si secretum fuerit, cum summa humilitate et mansuetudine. Hoc notandum est, qua ratione dixit S. Benedictus *mox ut auditum fuerit signum, debent relinquere omnia*, et postea subjunxit legem, i. e. *qui ad Gloriam* et reliq. Duo voluit S. Benedictus ostendere: unum, ut relinqueret omnia statim, deinde festinanter veniret; alterum, ut si ante terminum venisset, forte fuisset talis, ut statim dimitteret, sed tarde venisset propter negligentiam. Unde ille, qui non relinquit statim, ut auditum fuerit signum, et venit festinanter, quamvis ante signum vadat statutum, i. e. gloriam, per sex gradus ducendus est; ille autem, qui ita negligenter vadit, ut post terminum statutum, i. e. gloriam, tunc non debet

stare in choro. Et hoc iterum notandum est, quia duae sunt personae, quae libere sunt ab hac lege: una, quae voluit et[1]) propter necessitatem infirmi aut hospitis aut coquinae aut damni, quam nullo modo potuit dimittere; altera, quae voluit et non impedita venit. Istae duae ante Deum non sunt reae, i. e. culpabiles, et ideo magis laudandae sunt quam vindicandae. Duae iterum sunt, quae, quamvis ab hominibus non videntur teneri ista lege, tamen apud Deum reae sunt, i. e. culpabiles: una est, quae statim dimittit et festinanter venit causa timoris, ne excommunicetur; altera est, quae causa humanae laudis statim dimittit et vadit. Isti tales solummodo admonendi sunt, quia non cognoscunt, qua intentione hoc faciunt. Iterum sunt duae personae, quae judicio Dei et humano reae sunt. Una est, quae cum audit, statim non dimittit et negligenter vadit, quamvis ante Gloriam; iste talis per sex gradus ducendus est. Altera persona est, quae sive non dimittat statim, sive statim dimittat, mens sua[2]) desidia hoc faciente post Gloriam vadit, ideo solum, quod S. Benedictus dicit: debet sustinere, i. e. non debet intrare in chorum, sed in illo loco stare, qui talibus negligentibus constitutus est. Quod vero dicit *cum summa festinatione*, istud *summa* potest attinere ad tempus, ut mox currat sine mora, et potest attinere ad honestatem, ut cum religione vadat. *Festinatio* intelligitur passus, non cursus, excepto si longinquitas non impedit; ac per hoc, ubi dicit *summa festinatione*, subaudi: religionis et honestatis. Diximus enim, si talis et tantus fuerit hospes, qui non possit dimitti, propter signum non debet dimitti. Verumtamen de hac re ita tenetur in Francia, i. e. si talis fuerit hospes, veluti est monachus, cui cognitus est ordo regularis, aut certe alius, qui non scandalizatur, si dimissus fuerit, debet audito signo occurrere, et si tanta ac talis fuerit necessitas, ut revertatur facta oratione, debet cantare suum officium, et sic debet ad hos-

[1]) non potuit.
[2]) mentis suae (?)

pitem reverti. Similiter agendum est etiam in aliis locis, sive cum infirmo servitur, sive cum aliam talem obedientiam exercet, quae tempore signi potest dimitti, et ire oratum, et tamen necessitas exigit, ut statim revertatur. Iste talis, ut diximus, facta oratione et cantato officio debet reverti. Deinde si talis fuerit hospes, i. e. aut episcopus aut comes aut alicujus potestatis, qui scandalizatur, si dimissus fuerit, [et] tunc propter vitandum scandalum non debet dimitti, sed audito signo et erecto cordis oculo in coelum debet inibi sua conscientia orare et cum timore suum officium debet cantare, quia sicut de infirmis diximus, ut non pro omnibus infirmis debeat stare, sed occurrere, et de illis infirmis, qui nullo modo possunt dimitti, ita intelligendum est de hospitibus et de aliis rebus, quae possunt et non possunt dimitti, et ad quas oratione facta debent reverti et non debent. Verumtamen sciendum est, quia sunt multi monachi, qui suam obedientiam non studiose nec cito exercent, sed intermissis fabulis aut vanis locutionibus aut etiam aliqua alia levitate tarde ipsam obedientiam exercent et ita agendo, cum auditum fuerit signum, inveniuntur ipsa obedientia praeoccupati; et quia forte talis est ipsa obedientia, quae non potest sine damno aut aliqua contrarietate dimitti, [et] pro tali causa non dimittunt tunc ipsam obedientiam audito signo. Deinde cum increpantur, quare non dimiserunt, excusant atque defendunt se dicentes: obedientiam nostram dimittere non potuimus. Isti tales omnino negligentes et tepidi sunt et existunt. De talibus S. Basilius loquitur dicens: *Unusquisque in opere suo observare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore, et damnum habebit, si neglexerit in eo, quod injunctum est ei; sed communem utilitatem fratrum negligens amplius periclitabitur, et ideo mente et devotione complere debet id, quod scriptum est: »cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino«.* Si enim hic, qui circa cellarium vel coquinam vel alia hujuscemodi opera occupatus est, [si enim] corporaliter non occurrerit adesse cum ceteris ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis est,

expleat. Oportet tamen observare, ne forte quis possit complere in tempore suo, quod complendum est, et occurrere, sed dum non vult, occasiones nectit tamquam in ministerii opere occupatus. Quod qui facit, et offendiculum ceteris parat, et ipse negligentis crimen incurrit: *Maledictus omnis, qui opus Dei negligenter facit.*

Cap. XXXXIV.

DE GRAVIORIBUS CULPIS.[1])

Congruum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quia coepit dicere, quomodo satisfacere debent illi, qui ad opus Dei tarde occurrunt, et subsecutus est, quomodo debeant etiam et illi, qui aut pro gravi vel levi culpa excommunicantur.

Sequitur: *Qui pro gravi culpa ab oratorio et a mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorii prostratus jaceat nihil dicens, nisi tantum posito in terram capite prostratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus; et hoc tamdiu faciat, usquedum abbas judicaverit satisfactum esse.* Animadvertendum est, quia non oportuerat dicere de satisfactione gravium culparum, sed tamen, quia dicturus erat de levium culparum satisfactione, ideo dixit de gravium culparum satisfactione. Hoc notandum, quia si multis diebus pro gravi culpa in custodia tenetur, paucis [vero] diebus teneri debet in oratorio, et si paucis diebus tenuerit eum in custodia, i. e. extra oratorium, multis diebus debet teneri in oratorio. Et iterum notandum est, quia non debet abbas ante absolvere illum, quam satisfaciat in oratorio, quia, si fecerit, non est ordo regularis. Verum potest, si vult aliquantulum ei satisfactionem levius facere isto modo, ut non transgrediatur ordinem regularem, i. e. ad capitulum cum miserit eum, in oratorio satisfacere, post sextam vel nonam, cum exiit abbas cum congregatione, debet vocare congregationem illo absente et dicere: Est justum et ratio, ut ille frater quiescat a sua satisfactione; si dixerint, quia

[1]) De his, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant. Cod. Fürstz.

rectum est, ut quiescat, debet vocare coram fratribus et debet illi parcere.

Sequitur: *Qui dum jussus ab abbate venerit, volvat se ipsius abbatis pedibus, deinde omnium vestigiis fratrum, ut orent pro ipso, et tunc, si jusserit abbas, recipiatur in choro vel ordine, quo abbas decreverit, ita sane, ut psalmum vel lectionem aut aliud aliquid non praesumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas jubeat; et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in terram in loco, quo stat, et sic satisfaciat, usque dum jubeat ei iterum abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad jussionem abbatis; hoc perficiant, usque dum benedicat et dicat: sufficit.* Istud enim, quod dicit *prostratus vel pronus*, sciendum est, quia *pronus* superfluum est aut certe hoc significat *pronus*, quod *prostratus* et causa exaggerationis humilitatis S. Benedictus dixit. Hoc autem, quod dicit *volvat se abbatis pedibus*, ita faciendum est: debet ille frater fixis genibus in terra fratres salutare ex omni parte, et tunc debet se prosternere abbatis pedibus. Quid est in loco, in quo stat, quomodo debet se ibi projicere in terra? hoc est, ille abbas debet illum in tali loco constituere, ubi veniam possit postulare sine suo et aliorum impedimento. Istud enim, quod dicit *benedicat et sufficit*, *benedicat* attinet ad gratias bene petenti referendas atque ad benedictionem dandam, cum dicit abbas: Benedicat tibi Dominus, quia poenitentiam tuam bene egisti; *sufficit* autem attinet ad indulgentiam tribuendam, cum dicit: Sufficiat tibi hoc, et noli amplius agere. *Terra* autem dicta est a terendo, sicut Cassiodorus dicit in secundo psalmo, eo quod commeantium gressibus atteratur, sive ut Isidorus dicit:[1]) *Terra est in media mundi regione posita omnibus partibus coeli in modum centri aequali intervallo consistens, quae singulari numero totum orbem significat, plurali vero singulas partes, cujus nomina diversa dat ratio; nam terra dicta a*

[1]) Etymolog. lib. 14. cap. 1.

superiori parte, qua teritur, humus ab inferiore, velut humida ut sub mari. Pedes ex graeca etymologia nomen sortiti sunt; hos enim graeci *podus* dicunt, qui alternis motibus solo fixi incedunt. *Fores* et *valvae* claustra sunt, sed *fores* dicuntur, quae foras, *valvae*, quae intus revolvuntur, et duplices complicabilesque sunt; sed generaliter usus vocabula ista corrupit.

Cap. XXXXV.

DE HIS, QUI FALLUNTUR IN ORATORIO.

Si quis, dum pronuntiat psalmum, responsorium aut antiphonam vel lectionem, fallitur, nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, majori vindictae subjaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere. quod negligentia deliquit. Rectum ordinem tenuit etiam in hoc loco S. Benedictus, quia coeperat de satisfactione gravium vel levium culparum, ut diceret statim, qualiter et illi debuissent satisfacere, qui in oratorio falluntur sive majores sive infantes. Debet enim abbas constituere fratrem, qui versum prendat. Si iste, dum prendit versum, ita fefellerit, ut totum chorum perturbet, debet se humiliare usque ad terram, i. e. genua in terram flectere. Si autem alius, cum viderit illum non bene prendere versum, aut, si forte bene prehenderit, [et] miserit vocem incongruam, ita ut turbetur chorus, vel fefellerit simili modo, sicut alter se debet humiliare. Si autem aliquis non ita fefellerit, ut illum conturbet, iste talis non ita se debet humiliare, sicut ipsi primi, sed tamen corpus suum debet flectere. Lector enim si fefellerit isto modo ad altare, discernendum est. Debet abbas constituere talem fratrem, qui corrigat librum, et debet illi jubere, ut vadant et legant ante illum. Deinde si correctus fuerit liber et postquam legerit ante magistrum et tunc ipse lector male legerit, tunc debet veniam petere, ita tamen, si postquam unum versum legerit et non se ipse recuperaverit aut non emendaverit; si autem postquam legerit, non unum, sed tres vel quatuor versus, ita ut non possit se recuperare, perlecta lectione, pro hoc vadat in loco constituto et ibi petat

veniam, ita tamen, si aut abbas aut magister illum reprehenderit aut innuerit, ut melius et recte dicat et illi noluerit dicere; si autem noluerit ad magistrum ire, quem abbas lectiones constituit corrigere sive codicem emendare, et ipse liber fuerit sine vitio, et tunc male legerit, debet veniam petere. Et hoc sciendum est, quia, si ille liber male habuerit in omnibus, pro quibus diximus, veniam petere tunc liberabitur. Si autem post tertiam aut quartam vicem, hoc est, per consuetudinem male legerit et non emendaverit, corripiatur pro hoc in capitulo. Sciendum est autem, quia in Pentecosten aut in aliis diebus, quando genua non flectunt, ille, qui fallit, secundum hoc, quod fallit, genua tantum in terra ponat, si autem ita fallit, sive qui versum prehendit, sive alter, ut chorum perturbent, illi et chorus genua flectant; si vero se et non chorum turbaverint, tantum ipsi flectunt genua. Si in medio versu fefellerit quilibet, non flectat genua, sed humilietur tantum capite. Quod autem dicit *majori vindictae subjaceat*, varie intelligitur. Sunt, qui intelligunt, ut in oratorio duabus vicibus vel tribus petere debet[1]) veniam. Iterum sunt alii, qui intelligunt, ut in capitulo increpetur; sed iste sensus, ut in capitulo increpetur, sanior est, et per gradus potest duci, quia jam, postquam non vult implere hoc, quod S. Benedictus dicit, tunc per gradus ducendus est sex, ut emendetur, eo quod, si de una disciplina exierit, tunc suscipiet illum altera disciplina.

Sequitur: *Infantes vero pro tali culpa vapulent.* Notandum est enim, quia, ubi dicit *tali*, incertum est, utrum, quia fefellerunt, an quia forte noluerunt petere veniam, quia superius duo dixit, i. e. si fallit quis, debet petere veniam; alterum dicit: si non vult veniam petere, majori vindictae subjaceat; sed tamen isto modo intelligendum est, i. e.: si infans fefellerit, debet veniam petere et non flagellari; si autem per consuetudinem fefellerit, debet veniam petere; tamen debet flagellari, ne fiat negligens. Et hoc

---

[1]) debeat (?).

notandum est, quia non debet in oratorio infans flagellari; sed cum flagellandus erit, non in capitulo, sed in schola magistri eorum debent illos flagellare. Infantes enim in hoc loco intelliguntur illi, qui in custodia sunt generali. De illo, qui non legit bene in refectorio, ita agendum est: debet enim abbas talem fratrem constituere, qui sedeat juxta lectorem et eum possit emendare atque corrigere, i. e. quando fefellerit, sive ut ipse intelligere possit, quando eum silenter corrigit, quia nullo modo permittit regula inibi cuiquam loqui, sed propter vitium lectoris atque ipsius codicis, qui (quod) legitur, concessum est, ut lectio lectori[1]) emendetur.

Cap. XXXXVI.

DE HIS, QUI IN ALIQUIBUS REBUS DELIQUERINT VEL FREGERINT QUIPPIAM.

Bene, postquam dixerat de satisfactione tam gravium quam levium culparum et satisfactione fallentium in oratoria, dicit nunc etiam de satisfactione illorum, qui in aliquibus rebus delinquunt, ut, quod deerat sibi, unumquodque capitulum suppleret vicinitate conjunctum, ut, sicut sensu sibi junguntur, jungerentur etiam ordine.

Sequitur: *Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in aliqua arte, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit aut fregerit quidquam aut perdiderit, seu aliud quid excesserit, ubi et ubi, et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.* Sciendum est enim, quia non est bonum, ut aliis habeatur, eo quod si aliis habetur, videtur officium divinum leve esse. *Deliquerit* attinet ad versare aliquid, *fregerit* ad rumpere aliquid, *excesserit* attinet ad sonum facere veluti in refectorio cum cuppa vel cultello, vel etiam cum cochleare in terram ceciderit, vel super mensam aliquis sonus factus fuerit. Excedere enim est modum transire; ubi enim modum quis transit, tunc excedit. Excedere enim est metas sive

[1]) lectoris (?).

modos transire; sive etiam excedere ad verba attinet, si alicui verbum durum dicit; verbi gratia habes injunctum officium aliquod super famulos aut super fratres, et pro increpatione plus dixisti illis increpationem, quam oportuit, sive forte irato animo dixisti alicui homini etiam non tibi subjecto verbum durum, et similia. Debes pro hujuscemodi excessibus abbati soli confiteri secrete. Similiter si forte, cum incidis panem et incideris melotem aut saricam aut aliquod vestimentum, tunc abbati soli debes confiteri, et ille debet te investigare, utrum jocando fecisti aut pro aliqua negligentia agendo. Deinde si ille viderit, quia non pro joco factum fuerit, potest tibi dimittere; si autem pro joco, unde sine poenitentia non potest dimitti, tunc debet tibi dicere: pete veniam in capitulo secundum regulam, ut accipias judicium regulare.

Sequitur: *Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua et aliena vulnera non detegere et publicare.* Istud enim, quod dicit *non detegere et publicare* — *detegere* attinet ad discooperire aliquod peccatum, quod est latens, *publicare* autem attinet ad palandum[1]) sive ad manifestationem peccati, quod est occultum; et postea illum manifestum patefacit. Quod autem dicit *non veniens continuo*, ita intelligendum est: non dicit, ut statim deserat illam obedientiam et veniat nunciare, sed hora, qua debet venire, veniat, et tunc nunciet; propterea dicit *veniens*, quasi de futuro. Si forte venerit ante alius, qui nunciaverit, non debet illi fratri imputari in malum, sed tunc debet reputari in malum fratri, cum venerit et noluerit manifestare in spatio termini sui. Debet enim abbas propter malevolos et invidos constituere tempus, quando, qui excessit aliquid vel fregerit, pro suo excessu veniam petat. Verbi gratia: si hodie excesserit, crastino die veniam petat. Ideo dixi *propter invidos et malevolos*, quia sunt multi mali, qui, cum vident damnum aut excessum factum, statim ante cedunt et nuntiant abbati, quatenus ille, qui excessit, majori

[1]) propalandum (?).

vindictae subjaceat, sicut regula dicit: *dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.* Ac per hoc, si quilibet ante tempus veniae petendae, hoc est, ante capitulum alterius diei nunciaverit, frater ille, qui excessit, non teneatur culpabilis adhuc in eo, quod non manifestavit delictum suum. Si vero in statuto tempore veniam non petierit, et postea alter nunciaverit abbati, tunc ille, qui neglexerit veniam petere, debet utique subjacere majori emendationi, sicut regula dicit.

Hoc notandum est, quia si ad lectum perdiderit, non est inde venia petenda. Si autem parva res fuerit, veluti est unum cochleare olei vel phiala vini, debet abbati solummodo nuntiare et veniam petere. Si autem majus damnum est, quod facit, quia non potest sine judicio dimitti, tunc debet ante congregationem abbati veniam petere. Deinde si cognoverit, majus esse damnum, debet judicare. ut in oratorio satisfaciat, sicut de minoribus culpis S. Benedictus judicavit, i. e. si fratres ad sextam, ille ad nonam, et si fratres ad nonam, ille ad vesperam et ita satisfacere, sicut ille judicavit in XLIV capitulo; dicit enim: *qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad jussionem abbatis.* Deinde si viderit abbas, non grandem esse culpam, debet illum judicare ad unum officium poenitere; si autem major est culpa, veluti cognoscit culpam et intentionem peccantis, ita debet extendere vel minuere judicium. Et hoc non est mirum, quia pro una phiala vini, quam versavit, vel unum cochleare olei [1]) dixi, poenitentia subjacere, eo quod res monasterii, sicut regula dicit, sancta est et nimis diligenter debet tractari; unde legitur in libro quarto institutae patrum, qualiter monachus pro tribus granis lenticulis poenitentia subjectus fuit, quae hebdomadario festinanti, dum eam praeparat coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt. Quodsi vero tam parvum fuerit damnum, unde non potest veniam petere, debet ei injungere, cantare duos

---

[1]) pro uno cochleari olei (?)

vel tres aut quatuor psalmos. Sciendum est enim, quia in eo, quod dicit *excesserit*, potest etiam intelligi oblivio alicujus rei, quae oblita est. Verumtamen in hac oblivione discretio necessaria est, quia non omnis res aequalis est; verbi gratia si magna et sancta est res et in rustico loco, i. e. non congruo, oblita est, tunc debet veniam petere, non tantum, quia oblivioni tradidit, sed etiam, quod in rustico loco eam posuit. Si autem ipsa res in loco mundo, hoc est in loco sibi congruo et apto posita fuerit et oblivioni tradita, non intelligo, pro hoc eum debere veniam petere, quia superius non dixi, eum veniam petere pro eo, quod oblitus est, sed pro eo, quod in rustico loco posuit. Quod autem dicit *majori vindictae subjaceat*, ita intelligi debet: i. e. verbi gratia, si debuit antea ad unum officium veniam petere, postea petat ad duo et reliq. Similiter si per duos dies poenitere debuit antea, postea per quatuor et reliq. Si autem in refectorio excedit, ita agendum est: si parum excedit, i. e. si cochleare cadit aut cultellus aut cuppa, et faciunt sonum, si in tali loco sedet, ut non possit surgere, ut petat veniam pro aliis, eo quod non potest exire, tunc debet surgere et flectere cervicem; si autem tali loco sedet, ut possit exire, tunc debet exire. Abbas autem, si parvus sonus factus est, debet illi innuere, ut non petat veniam; si autem grandis sonus factus est, tunc debet ante abbatem veniam petere, ille autem, qui non potuit exire, si grandis sonus fuit, tunc, postquam surrexerint a mensa, veniam petere debet in refectorio ante abbatem propter illud, quod dicit regula *non veniens continuo ante abbatem* et reliq. Infantes vero vel etiam qui sub custodia sunt, si sonum in refectorio fecerint aut rumpunt vel perdunt aliquid, veniam debent petere sicuti majores.

Cap. XXXXVII.

DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

In hoc ergo loco S. Benedictus etiam suum ordinem custodivit, cum dixit de horis, quibus reficiendum erat, et de completorio propter rationem, qua indigebat conjungi

sibi, et dixit de satisfactione illorum, qui tarde ad horam divini officii vel mensam occurrunt. Deinde (ad) supplendam satisfactionem dixit caetera capitula et modos, et subjunxit, quali et quanto studio ipsae horae congruae significandae sint.

Sequitur: *Nuncianda hora operis Dei die noctuque sit sub cura abbatis, aut ipse nunciare aut alii sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant.* Attendendum est, quia non dicit, ut abbas ad libitum suum, i. e. ad suum arbitrium cuidam fratri det hanc curam, sed dicit *sollicito.* In isto sollicito debet inspicere intellectum et possibilitatem atque studium; intellectum, ut intelligat horas noctis, possibilitatem, ut sanus sit, quatenus possit ministerium perficere, studium, ut non sit piger vel somnolentus. Ubi dicit *omnia*, subaudiendum est: officia; *competentibus*, i. e. horis aptis vel congruis. Quod vero dicit *psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant*, ita intelligendum est: debet frater constitutus esse, qui scribat fratres, qui cantent vel qui legant in dominica et in festis diebus, quid legere aut quid cantare debeant. Deinde debet unus incipere versus, et ille, qui prehendit versum, debet assistere in primo loco in choro, si talis est, qui dignus sit stare in choro; si autem talis est, qui non est dignus stare in choro, sed inante, debet ille, qui in capite infantum est in choro, prehendere versum.

Sequitur: *Cantare autem et legere non praesumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut aedificentur audientes, quod cum humilitate et gravitate et tremore fiat, et cui jusserit abbas.* De hoc vero, quod dicit: *quod cum humilitate et gravitate fiat, et cui jusserit abbas, et qui ipsum officium implere possit, ut aedificentur audientes*, haec omnia ad reverentiam lectionis et cantus attinent. Antiphonas autem propter cantum discendi[1]) et ad honestatem priorum infan-

---

[1]) discendum (?).

tes, si possunt, dicere debent. De hoc, quod dicit *post abbatem* intelligitur, sive sit juxta abbatem, i. e. in secundo loco ab abbate, sive tertio sive etiam in quarto loco steterit post abbatem [intelligitur esse]. Et hoc, quod dicit *psalmos vel antiphonas post abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant*, jam diximus, sed iterum recapitulamus pro eo, quod secundum consuetudinem provinciae suae dixit. Forte dicit aliquis: ideo ita dixit, quia forte fuit consuetudo suae provinciae, imponere unum antiphonas, sicut in ecclesia mediolanensi diaconus solet antiphonas imponere. Et pulchre de significatione horarum istud capitulum constituit, quia nisi sollicitudo esset de signo tangendi, magna negligentia esset, eo quod ipse Pater Benedictus non omni tempore aequaliter dicit, cantare tertiam et nonam. Et hanc curam non aliis constituit, nisi abbati aut fratri sollicito; debet enim abbas hanc curam committere fratri sollicito, qui studiose peragere possit. Unde debet abbas illi sollicito talem licentiam donare, ut etiam si pro se aut forte pro hospite aut aliquid tale non potuerit occurrere horis competentibus ad officium, non exspectant propter ipsum fratres, ut non impleant officium constitutum, mox ut significatae fuerint horae diei atque noctis, quia magnum malum murmurationis esset, si pro sui exspectatione neglectum fuerit studium horarum, et officium non compleatur horis congruis atque statutis temporibus.

Cap. XXXVIII.

DE OPERE MANUUM QUOTIDIANO.

Quia non uno modo omnes ipsa opera agunt. dicit B. Augustinus in libro, qui vocatur *de opere monachorum*, [1]) hoc modo: *Aliud est enim, corpore laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit fraudulentus et avarus et privatae rei avidus*; *aliud autem ipsum animum occupare curis colligendae sine corporis labore pecuniae, sicut sunt vel negotiatores vel procuratores vel conductores; cura enim prae-*

---

[1]) cap. 15. n. 16.

sunt, non manibus operantur; ideo ipsum animum suum occupant habendi sollicitudine.

Sequitur: *Otiositas inimica est animae.* Rectum ordinem tenuit in hoc loco, cum dixit de sollicitudine horarum, quae significandae sunt, et subjunxit statim de opere manuum quotidiano, in quo diceret, quibus horis deberent monachi laborare vel lectioni vacare, dicendo: *Otiositas inimica est animae.* Vere otiositas inimica est animae, quia hoc vitio otii male utentes Sodomitae ceciderunt in peccatum detestabile Deo, sicut Dominus dicit ad Jerusalem: *Haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae: abundantia panis et otium.* Ideo otium, quia terra illa erat nimis fertilis veluti paradisus. Propter nimiam fertilitatem non necesse habentes laborare, ideo vacabant otio; unde factum est, quia, quanto plus erant otio vacantes, tanto magis lapsi sunt in nefandissimum scelus.

Sequitur: *et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina,* quasi diceret: quia otiositas inimica est animae, [et] propterea, ne otiosi sint fratres, certis temporibus debent praeoccupari in labore manuum, et certis iterum horis in lectione divina. Et scriptura dicit: *Omnis otiosus in desideriis est*; et collationes dicunt: *Laborantem monachum unus daemon pulsat, otiosum autem mille.* Quia cognovit B. Benedictus, has duas vitas, i. e. activam et contemplativam necessarias esse homini perfecto, ideo illas [B. Benedictus] divisit per tempora et bene primum activam designavit, et postea contemplativam; per exercitationem operis designavit activam vitam, et per vacationem lectionis designavit contemplativam. Has duas vitas designaverunt illae duae mulieres Jacob, i. e. Lia et Rachel. Jacob enim non accepit, quam voluit, Rachel, sed Liam, et nocte accepit illam. Lia vero erat lippis oculis et foecunda, Rachel formosa aspectu, sed infoecunda. Jacob interpretatur *supplantator*; per Jacob intelligitur bonus monachus, per Liam vero, quae lippis erat oculis, sed foecunda, figuratur activa vita. Bene per Liam figuratur activa vita, quia activa vita

etsi non est intenta in contemplatione, tamen filios Deo procreat. Per Rachel pulchram figuratur contemplativa vita; quantum plus proficit in contemplatione, tanto minus procreat Deo filios. Hoc attendendum est, quia, sicut ille voluit accipere Rachel et non accepit, sed Liam, ita et bonus homo non potest prius pervenire ad comtemplationem, nisi excercitatus fuerit in activa vita, et ille ad contemplativam bene veniet, qui recte prius conversatus fuerit in activa vita. Et ille monachus, si caute et recte opera manuum exercuerit, quando ad lectionem venerit, aut contemplationem aut lacrimas accipiet. Nequaquam enim poterit ille studiose lectioni vacare, si prius non legitime opera manuum exercuerit. Contemplativa vita est lectio et oratio et psalmodia; activa vita est exercitatio manuum.

Sequitur: *Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari, i. e. ut a Pascha usque ad Calendas Octobris a mane exeuntes a prima usque ad horam paene quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis cum omni silentio, aut forte qui voluerit legere, sic legat, ut alium non inquietet. Agatur nona temperius mediante octava hora, et iterum, quod faciendum est, operentur usque ad vesperam. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli. Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes. A Calendis autem Octobris usque ad caput Quadragesimae usque ad horam secundam plenam lectioni vacent. Hora secunda agatur tertia, et usque nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo horae nonae disjungant se ab opere singuli et sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis. In Quadragesimae vero diebus a mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis et usque ad decimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimae acci-*

piant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, qui codices in capite Quadragesimae dandi sunt. Si enim diligentius hoc capitulum attenderimus, magna pars regulae in eo contineri invenitur, quia si diligenter et studiose monachus hoc capitulum observaverit, i. e. si nunquam sine obedientia extiterit usque ad lectionem et caetera, sicuti in hoc capitulo dicitur, exercuerit, de magnis periculis liberabitur, i. e. de murmuratione, de ira, de detractione, de otio, de verbositatibus, de fabulis, et quae ad rem non pertinent neque ad utilitatem, et de caeteris malis, eo quod diabolus non poterit eum tentare, si ita viderit eum intentum, sicut dicitur: *Otiosum monachum mille daemones tentant* et reliq.; unde intelligendum est, quia ibi bonum non erit, ubi hoc capitulum diligentius non fuerit observatum. Nunc vero quasi interrogasset aliquis S. Benedictum dicens: B. Benedicte, tu jussisti laborare et legere; quid faciendum est, si necessitas est ad fruges ire? quid facere debemus? Ille vero quasi respondens dicit: *Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur.* Istud *ut* causalis est, non similitudinis, et intelligitur *propter fruges*, quasi diceret: si necessitas est propter fruges colligendas, non debent lectioni vacare nec dormire, sed laborare, et dat consolationem, cum subdit: *non contristentur, quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt.* Et hoc sciendum est, quia per hoc, quod dicit *ad fruges*, intelligenda est etiam alia necessitas, quae nimis incumbit, quae differri non potest nec exspectari, sicut est domum fabricare, quia non est, ubi dormiant, molendinum facere, quia non est, ubi molatur, sive et ligna incidere. Istud enim *vere*, quod dicitur, non intelligitur ob hoc *vere*, ut illi, qui lectioni vacent, non sint veri monachi, sed intelligendum est, quia pro consolatione hoc dixit; verbi gratia quia cognovit B. Benedictus, esse ditiora monasteria et pauperiora, ideo [enim] monachis in illis monasteriis, quae sunt ditiora et possunt esse intenti studio spirituali, dicit, lectioni vacare et operari per horam; qui si semper lectioni vacarent,

fastidium haberent et non potuissent ob hoc forte implere; si autem dixisset semper laborare absque necessitate, non fuisset bonum sine studio spirituali. Istis enim[1]) monachis, quia pauperiores sunt, considerans eorum necessitatem dixit, dimittere lectionem et laborare; sed ne isti desperarent se videntes, alios studio spirituali vacare, ideo ad consolationem praebendam dixit: tunc vere sunt monachi et reliq. Et dedit exemplum pro majori consolatione dicens *sicut patres nostri et apostoli*, ac si diceret illis: nolite vos contristari, si illos, qui ditiores sunt, videritis studio spiritali vacare, quia vos tunc vere cognoscitis esse monachos, si operibus manuum vestrarum vivitis, *sicut apostoli et reliq.* Quod autem dicit *sicut patres nostri et apostoli*, aut patres dicit Paulum, Antonium, Hilarionem etc.; deinde ascendendo dicit apostolos; aut dicit patres nostros Abraham, Isaac et Jacob et reliquos, et post apostolos; sed superior sensus est melior. Quod autem dicit *pausent in lectis suis cum omni silentio*, tale silentium jubet esse in meridie, quale et in nocte; quia, sicut in nocte dixit *maxime nocturnis horis*, ita et hic dicit *cum omni silentio*, quod unum significat; et sicut in nocte non debent quidquam agere fratres, ita etiam in meridie, et hoc silentium incipere debet a tertia. Quod autem dicit *a Calendis autem Octobris etc. et usque ad horam secundam plenam lectioni vacent*, sciendum est, quia illo die, in quo Calendae sunt, jejunare debent usque ad nonam et ita lectioni vacare, sicut supra jam diximus. Quod dicit *hora secunda agatur tertia*, subaudiendum est: transacta, hoc est, cum incipitur tertia, tunc canenda est tertia; nam rectitudo est, ut completa tertia canatur tertia, quia completa hora debet cani tertia sive sexta sive nona; ad undecimam canendum est vesperum vel decimam, juxta quod potest, ut cum luce tantum agant omnia, sicut ipse definivit. *Vacare* est enim aliam rem relinquere et aliis insistere rebus, sicuti in hoc loco relicta exercitatione manuum jubet insistere lectioni. Illud enim,

---

[1]) autem (?)

quod dixit *in Quadragesima usque ad decimam plenam operentur*, ideo *plenam* dicit, quia tunc in suo monasterio non canebatur missa; nunc autem, quia missa canitur, non possunt fratres usque ad plenam decimam operari et missam cantare et cum luce omnia agere, sed considerare debet abbas, ut usque ad illud tempus laborent, quatenus missam et vesperam et manducare et omnia cum luce agere possint. Ergo ob hoc non debet esse plena decima, sed incipiente decima canere debent nonam; deinde nona cantata statim canenda est missa. Deinde parvo intervallo facto canenda est vespera. Quod autem dicit: *qui codices in capite Quadragesimae dandi sunt*, non dicit, ut post, si necesse fuerit accipere fratrem, non accipiat, quasi diceret, si necessitas fuerit, accipiat post; si autem non acceperit ante, tamen in Quadragesimae capite dandi sunt libri; *quos per ordinem ex integro legant*, quia debent intelligere, quod legant. Isto enim modo debet fieri, i. e. debet ille, qui librum recipit et dat, interrogare fratrem de illo libro. Deinde si potest inde aliquid rationem mittere, tunc recipiat, si autem non potest, tunc non debent recipi libri, sed iterum habeant illos. Dicendum est nunc, qualiter et cum quanta moderatione atque silentio monachi lectioni vacare debent. De hac re hoc, quod B. Benedictus dicit breviter: *neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus*, et iterum: *videant, ne forte inveniatur frater otiosus, qui vacat otio aut fabulis et non est intentus lectioni*, B. Basilius latius docet dicens: Cum lectioni vacatur, oportet eos sequestratos legere et ne in unum redacti omnis congregatio suis sibi vocibus obstrepent; infantes vero in tabulis meditentur. Tempore orationum vel psalmorum non oportet aliquem loqui in domo praeter eos, qui ministerii sollicitudinem gerunt, vel eos, quibus disciplinae cura commissa est vel dispensationis operum, qui et ipsi tamen considerantius agere debent, ut quantum necessitas exigit, hoc solum loquantur, et hoc ipsum cum quiete et honestate, ne interturbent aut offendiculum faciant ceteris. Cunctos reliquos silentium habere convenit. Si enim prophetis in ecclesia dicentibus apostolus

dicit, quia, si sedenti revelatum fuerit, prior taceat, quanto magis in tempore psalmorum et orationum tacere et silentium agere cunctis convenit, nisi quem forte, ut superius diximus, communis providentiae causa aliquid proloqui cogit. — *Codex multorum librorum*, ut Isidorus dicit,[1]) *est liber unius voluminis; et dictus »codex« per translationem a caudicibus arborum sive vitium, quasi »caudex«, quod in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat. Capitulum est, quod vulgo capitulare dicunt, idem et cappa, vel quod duos apices ut cappa litera habeat, vel quia capitis ornamentum est.*[2]) *Bibliotheca est locus, ubi reponuntur libri; βίβλος enim graece liber, θήκη repositorium dicitur. Theca dicitur ab eo, quod aliquid receptum tegat; c litera pro g posita. Alii graeco nomine thecam vocari asserunt, quod ibi aliquid reponatur; inde et »bibliotheca« librorum repositio dicitur.*[3]) Item versus: *Hieronyme interpres variis doctissime linguis! Te Bethlehem celebrat, te totus personat orbis, Te quoque nostra tuis promit bibliotheca libris.* Sciendum est, quia isti tres versus non sunt per elegiacum metrum compositi, sed tantum per heroicum carmen.

Sequitur: *Ante omnia sane deputetur unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, et videant, ne forte inveniatur frater acidiosus, qui vacat otio aut fabulis et non est intentus lectioni et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si repertus fuerit, quod absit, corripiatur semel et secundo; si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat taliter, ut ceteri timeant. Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.* Quod autem dicit *ante omnia sane deputetur unus aut duo seniores* et reliq., non dicit, ut, antequam praepositus aut decanus et ceteri ministri, ordinentur, sed ob hoc dicit ante,[4]) quasi diceret, ut nullo modo dimit-

---

[1]) Etymol. lib. 6. c. 13.
[2]) Etymol. lib. 19. c. 31. n. 3.
[3]) Etymol. lib. 15. c. 5. n. 5. et lib. 18. c. 9. n. 3.
[4]) ante omnia. Cod. Fürstzell.

tat abbas, ut istos non ordinet. Istos seniores non dicit de aetate, sed de sensu. Isti seniores debent esse valde boni, quia per istos ordo monachorum consistit. Ideo dixit *seniores*, ut sciant, qualiter vel quando arguere debeant. Isti seniores potestatem debent habere corrigendi decanos et praepositos, etiam ipsum abbatem, quamquam non omnes uno modo, subjectos admonendo, rogando atque increpando, aequales admonendo et rogando, priores rogando. Fratres, cum lectioni vacant, isto modo debent vacare: illi, qui sunt sub custodia, debent insimul legere cum magistris suis; ceteri vero in claustra, non singillatim per cubicula aut in dormitorio, sed, sicut dixi, in claustra, et non conjunctim, ut, si vult, contemplationem vel lacrimas possit habere; nam si insimul legerint, non possunt compunctionem vel lacrimas habere. *Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus,* i. e. ineptis. Istae sunt horae incompetentes, in quibus vacent lectioni fratres et tempore suo. In his enim horis non debet frater ad fratrem jungere nec loqui. Sed si necessitas fuerit, debet ille abbas constituere fratrem sapientem in tali loco, ut impedimentum non sit aliis legentibus; postea, qui necesse habet, debet ante illum suam lectionem recitare et legere. Potest etiam, si necessitas est, cellararius loqui in horis, quibus vacant fratres lectioni. Istis horis incompetentibus potest etiam intelligere in illo tempore, quando fratres laborant, i. e. non debet frater dimittere suam obedientiam et ire loqui cum alio; si vero necessitas fuerit, potest ire. Sunt, qui intelligunt etiam, cum omnes fratres insimul laborant, ut non debeat cum altero fratre loqui in ipsa obedientia, ubi insimul laborant; sed iste sensus non potest perfecte stare, eo quod regula dicit *si qua requirenda sunt a priore* et reliq. Deinde debet alter alterum fraterna caritate corrigere. Et hoc notandum est, quia non solum decanus aut praepositus vel circator debet corrigere, sed etiam junior debet corrigere priorem suum, si negligentem illum viderit. Forte dicit aliquis: quare junior priorem suum debet corrigere, cum non est rectum? Cui respondendum est: quam-

quam junior videatur esse, tamen senior est in illa hora illo, eo quod melius facit ille quam suus senior faciat. Et hoc etiam notandum est, quia ita iste junior secrete debet corrigere suum priorem duabus vel tribus vicibus, secrete sic, ut decano et abbati, si opus fuerit, possit nuntiare.

Sequitur: *Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt;* hoc est, quibus obedientiae commissae sunt. Et sciendum est, quia sicut dicit die dominico *exceptis his, qui variis officiis deputati sunt*, ita intelligendum est etiam in omnibus diebus, cum dicit, vacare lectioni, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt, h. e. qui talem obedientiam habent commissam, quae exspectari non potest; tunc etiam horis, quibus alii vacant lectioni, ille debet suam obedientiam peragere, quia obedientia fortissima atque praeclara arma est, sicut superius dixit. Si autem scribere necessitas magna est, etiam scribere potest, sed videre debet, ne hunc ordinem temporum confundat. *Acidiosus* enim dicitur otiosus. Quod autem dicit *qui vacat otio aut fabulis*, potest quis vacare otio et non fabulis, cum ita est, ut nil agat, nec fabulas loquitur. Hoc vero quod dicit *non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit*, videndum est, quod sit istud *extollit.* Istud enim *extollit* intelligitur: jactantiae occasionem tribuit, quasi diceret: non solum se dejicit, sed etiam aliis tribuit occasionem jactandi. Verbi gratia est talis frater, qui intentus est lectioni; deinde alter est, qui non est intentus lectioni. Iste, qui legit, cum alios videt, non esse intentos lectioni, elevatur in mente dicens: Ego lego, iste autem, qui non legit, pejor est, quam ego. De hoc verbo, quod est *extollit*, B. Augustinus docet in Ps. 72[1]) hoc modo dicens: *et abundantia pacis, donec tollatur luna.* Id quod dictum est *tollatur*, alii interpretati sunt *auferatur*, alii vero *extollatur*, unum verbum graecum, sicut unicuique visum est, transferentes, quod ibi positum est ἀνταναιρεθῇ. Sed qui dixerunt *tollatur*, et qui dixerunt *auferatur*, non usque adeo

---

[1]) Psalm. 71. v. 7.

dissonant; *tollatur* enim magis habet consuetudo ita dici ut *auferatur* et non sit, quam ita, ut alius elevetur; *auferatur* vero prorsus aliter intelligi non potest, nisi ut *perdatur*, hoc est, ut non sit; *extollatur* autem nihil nisi ut alius elevetur. Quod quidem cum in malo ponitur, superbiam solet significare, sicuti est: *In tua sapientia noli extolli;*[1]) in bono aut ad honorem pertinet ampliorem, vel cum aliquid elevatur, sicuti est: *In noctibus extollite manus vestras ad sancta et benedicite Dominum.*[2]) Istud vero, quod dicit: *regulari correptioni subjaceat taliter, ut ceteri metum habeant* — ac si diceret: quando correptione publica corripitur frater, graviter debet illum corripere, i. e. si plus in hac negligentia inventus fuerit, graviter tunc debet correptus ire taliter, ut etiam alii timeant. Hoc notandum est, cum quali silentio legunt fratres mane, cum tali etiam debent legere post nonam, cum dicit: *post refectionem vero vacent lectionibus suis aut psalmis.*

Sequitur: *Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit, ut non velit aut non possit meditari aut legere, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet. Negligens* et *desidiosus* unum significat. *Negligens* attinet ad opus, quod non agit studiose, *desidiosus* vero attinet ad id, quod vitam suam negligit, sed tamen unum significant. *Desidiosus enim*, ut Isidorus dicit,[3]) *dicitur tardus, piger, a desidendo vocatus. hoc est. valde sedendo (idem et reses a residendo); »de« enim hic augentis adverbium est.* Notandum est autem, ut iste, qui non velit legere, prius debet duci per sex gradus, quia superius dicit regula: si inventus est acidiosus, admoneatur semel et iterum, deinde corripiatur publice taliter. ut ceteri timeant. Post vero cum ductus fuerit per sex gradus, cum debet jactari, non jactetur, sed injungatur ei opus vel ars. Sciendum est, quia omnis ars opus est, non omne opus ars. Ars est, quam non operatur nisi magister, opus est sine

---

[1]) Eccli 32, 6.
[2]) Psalm. 133. 2. cf. Migne, tom. 36. col. 907. 908.
[3]) Etymol. lib. 10. n. 77.


arte, veluti fabam mundare aut granum et reliq. Iste autem, qui non velit legere, postquam ductus fuerit per sex gradus, tunc debet illi injungi opus vel ars, ut operetur; ille autem, qui non potest legere, intelligunt multi secundum intentionem S. Benedicti, ut injungatur ei oratio. Si autem dixerit ille frater: quia nolo me circumvenire, non possum legere, jube mihi, ut faciam opus, tunc injungatur illi opus. Alii sunt, qui intelligunt dicentes: non oratio debet illi injungi, sed solummodo opus; sed superior sensus est melior, quo dicunt orare. Quod autem dicit *meditari*, i. e. cogitare vel orare.

Sequitur: *Fratribus infirmis aut delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur, quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.* Fratres infirmi sunt clodi nec non senes, quorum senectus ipsa infirmitas est, et dicuntur infirmi, qui infirmitate illa, quam habent, moriuntur, veluti sunt clodi. Delicati sunt illi, qui de nobili genere sunt orti et non sunt ita nutriti, ut illa opera facere possint, quae alii faciunt, veluti illi, qui per naturam, eo quod de potentibus sunt nati et ob hoc non fuerunt docti, talem artem facere, et ideo non possunt operari. Similiter et de pauperioribus hominibus delicati possunt esse, qui vel nutriti sunt secundum delicias saeculi vel etiam parentes sui noluerunt illos artem insinuare propter nimiam dulcedinem, quam habuerunt erga illos. *Delicatus namque*, ut Isidorus dicit, *dicitur, quod sit deliciis pastus, vivens in epulis et nitore corporis.*[1]) Istud enim, quod dicit: *injungatur ei ars vel opera, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur* — ars est, si sapit cantare, doceat alium cantum, vel etiam si scit grammaticam, tradat aliis, aut alias artes, quae sunt utiles in monasterio, si sapit, doceat alios. Dicta autem est ars ab artando, eo quod artat hominem in scientiae re uniuscujusque artis. *Opera* vero attinet ad legumen mundare[2])

[1]) Etymol. lib. 10. n. 70.
[2]) inundare. Cod. Mellic.

aut refectorium scopare aut olera mundare et reliq. Vide quia cognovit S. Benedictus, inimicum esse otiositatem, ideo etiam infirmos dixit operari et non solum aliis diebus, sed etiam dominico die jubet operari, si legere non potest quilibet, ut non vacet, cum omnes christiani die dominico quiescunt ab opere. Quasi interrogasset S. Benedictum dicens: Quare ita dicis, ut etiam infirmus sine labore non sit, etiam in die dominico? ille [vero] quasi respondens dicit: *Quia otiositas inimica est animae*, et collationes dicunt: *Laborantem monachum unus daemon pulsat, otiosum autem mille.* Sciendum autem est, quia isto modo dantur libri in capite Quadragesimae: Ille bibliothecarius, qui est monasterii, defert omnes libros cum adjutorio fratrum in capitulum. Deinde sternuntur tapetia et super tapetia ponuntur libri. Capitulo finito tunc legit bibliothecarius in breve, qui frater habet librum usque ad illam horam. Tunc ille frater ponit librum, quem habuit, in tapeti; et tunc ille prior, aut cui ille jusserit, accipit librum et interrogat illum fratrem de illo libro sapienter causa probationis, ut cognoscat, utrum legerit studiose librum. Si vero ille frater responderit de illo libro, tunc interrogat illum, qui liber illi utilis est, et tunc, quem postulaverit, dabit illi. Si autem cognoverit abbas, illi non esse aptum, tunc dicet illi: Non est iste liber tibi aptus, sed talis aptus est tibi; et non dabit illi, quem quaesivit, sed quem cognovit illi esse aptum. Si autem talis fuerit frater, qui non potuerit rationem de libro ponere secundum interrogationem, tunc si videt ille abbas, quia negligenter legit librum illum, non dabit alium illi, sed ipsum ei reddit, et tamdiu illum habebit postea, donec studiose legerit, et dicit illi: Quia non legisti bene, debuisti antea significare, ut tibi dedissemus tempus interrogandi. Si autem cognoverit abbas illum fratrem studiosum in lectione et tamen non potuit intelligere, dat illi alium librum. Postquam vero exierint omnes fratres de capitulo, tunc inspicit abbas et requirit, utrum sint inibi omnes libri per brevem; si forte non invenerit libros totidem, sicuti habet per brevem, tunc quaerit

diligenter, usquequo invenerit. Hoc notandum est, quia *meditari* significat, sicut jam diximus, discere, orare, cantare vel psallere, quia meditari attinere potest ad orationem et psalmodiam. Ideo melius est, ut de aliquo opere intelligamus, quod manibus operatur illud, quod dicitur *injungatur ei ars vel opus*, quam intelligere de opere orationis, eo quod dixit superius, qui non potuit meditari vel noluerit, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet. Cum enim dicit *a mane prima*, non dicit, ut prima legitima custodiatur, sed cum dicit *a mane prima* — quasi diceret: mane prima cantetur; deinde inter primam cantatam et capitulum factum jam prope est prima perfecta, sicut te docet punctus in superiore hac forma et crux. Crux est, quando [1]) cantari debet prima; punctus, quando potest exire de capitulo. Deinde hoc, quod dicitur *pene quarta et quasi sexta*, varie intelligitur. Abbates enim spiritales custodiunt pene quarta, i. e. antequam quarta inchoetur, sicut te docet punctus, qui in tertio campo, h. e. spatio horologii est, ita dum [2]) tertia cantata quarta inchoetur. Deinde quasi sexta autem, i. e. antequam sexta incipiat, sicut punctus, qui in quinto spatio est horologii, edocet, ut sexta cantata tunc incipiat sexta hora. Item abbates saeculares, qui volunt laborare, custodiunt ita, i. e. pene quarta intelligunt, quasi aliquid de quarta transactum, sicut punctus,



[1]) Sicut te docet punctus in superiore hac forma, et crux lux est, quando etc. Cod. Divionens. ex Marten.

[2]) ita ut (?).

qui in quarto spatio horologii, demonstrat. Ita etiam quasi sexta intelligunt, hoc est, quasi aliquid de sexta transactum sit, sicut punctus, qui in sexto spatio est, indicat. Sed melior est sensus superior, sicut abbates spiritales intelligunt. De octava hora non est dubium, quia quando exeunt de refectorio, tunc est plena sexta: deinde dormiunt septima hora et media octava; deinde media octava surgendum est. Vespera vero debet cantari inchoante undecima, sicut crux te docet, quae est in virgula decima.[1]) Unde fit, si legitime laboraveris, tunc omni tempore quatuor horis debet laborare monachus. Ideo dixi *inchoante undecima*, quia usque ad decimam debent operari. Verumtamen consideranda est quantitas fratrum, quia, si multitudo est, etiam in decima hora cantanda est vespera, eo quod non potest multitudo ita cito agere, sicut paucitas aliquid [minus] agit.[2])

Cap. XXXXIX.

DE OBSERVATIONE QUADRAGESIMAE.

Superius enim dixit distributionem temporum et dixerat etiam de Quadragesima semel et bis: ideo consequens fuit, ut statim subjungeret de Quadragesimae observatione. Sciendum est enim, quia Quadragesima, a quadragenario numero nuncupatur; nam XL diebus jejunavit Moyses, similiter Elias et Dominus XL diebus jejunavit et ideo sacratus est numerus. Quadragesima enim, quamquam a quadragenario numero trahat originem, tamen aliter intelligitur Quadragesima, i. e. temperantia sive abstinentia. Et est sensus, cum dicit: *Licet omni tempore vita monachi Quadragesimae debet observationem habere, tamen, quia paucorum est ista virtus, ideo suademus, istis diebus Quadragesimae vitam suam omni puritate custodire.* Quamvis enim omni tempore temperate et abstinenter debet vivere monachus, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus illis diebus Quadragesimae, vitam suam omni puritate custodire. Numerus enim Quadragesimae conflictum praesentis ecclesiae cum

[1]) undecima? [2]) agitur Cod. Tegerns.

hoste significat, quia sancta ecclesia per quatuor mundi partes divisa cum decalogo contra hostem pugnat, et cetera alia, quae ad hunc sensum videntur attinere. Ait enim: *Licet omni tempore vita monachi quadragesimae debet observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus* et reliq., quasi aliis verbis diceret: quamvis monachus omni tempore debet habere Quadragesimam, tamen pauci sunt, qui omni tempore habeant Quadragesimam, et ideo, i. e. propterea suademus, rogamus, precamur, obsecramus, omni puritate et reliq. *Licet*, i. e. quamquam, quamvis. Attendendum est, quia non negavit, ut nullus esset, qui omni tempore Quadragesimam habeat, sed dixit *paucorum*. Ergo optemus, ut de illis paucis simus. Nam quam Quadragesimam habeat monachus omni tempore, inferius manifestat, cum dicit *omni puritate* et reliq. Potest esse puritas, sed non omnis. Est enim puritas corporis, et est puritas mentis. B. Benedictus omni puritate vult monachum custodire, i. e. corporis et mentis. Quid est custodire? Eam rem custodimus, quam servamus. *Puritate*, i. e. simplicitate vel innocua munditia.

Sequitur: *omnes pariter negligentias aliorum temporum his sanctis diebus diluere.* Superius enim dixit judicium de levibus culpis et de gravioribus culpis: nunc etiam dat judicium generaliter, ut omnes negligentias aliorum temporum his diluamus. Sicut enim ille, qui judicium, quod superius dedit, non vult suscipere, contra regulam agit, ita etiam, qui hoc non agit, contra regulam facit.

Sequitur: *pariter*. Ideo dixit pariter, quasi diceret, ut omnes aequaliter negligentias abluant.

Sequitur: *Quod tunc digne fit*, subaudiendum est hoc, quod superius diximus.

Sequitur: *si ab omnibus vitiis temperemus.* Bene dixit: *temperemus*, i. e. retrahamus, quia vicina sunt vitia humanae naturae, quibus penitus non potest carere, quamquam non aequaliter omnes pulsant, veluti est motio corporis et motio mentis: et ideo dixit *temperemus*, ut si penitus illis carere non possumus, saltem temperemus, i. e. retrahamus.

Sequitur: *orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni.* Bene orationi junxit fletum et lectioni compunctionem, quia in oratione est fletus et in lectione est compunctio, i. e. suspirium.

Sequitur: *atque abstinentiae operam demus. Abstinentia* enim attinet ad cibum et potum; *operam*, i. e. studium atque diligentiam. Notandum est enim, quia istud *demus* ad superiores species etiam referri debet, i. e. demus operam lectioni, demus operam orationi cum fletibus, demus operam compunctioni, demus operam abstinentiae. Sciendum namque est, quia quinque sunt, quae dixit, i. e. lectionem, fletus, orationem, compunctionem, abstinentiam. Et hoc sciendum est, quia aliud est *opera*, quando est feminini generis primae declinationis, aliud, quando neutrius generis tertiae declinationis numeri pluralis. Quando autem est feminini generis primae declinationis, sicuti in hoc loco, attinet ad studium et diligentiam, cum dicit *operam demus*, i. e. studium et diligentiam habeamus, i. e. in ista, quae jam dixit, sive quae dicturus est. Quando autem tertiae declinationis est, attinet ad omnia, quae homo manibus operatur, sicut superius dicit, cum dixit de opere manuum quotidiano. Nam qualiter agere debeat monachus, docet hoc modo B. Papa Gregorius in prima parte Ezechielis prophetae dicens; ait enim:[1]) *Sed in verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut haec ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti cognoscentes mala, quae fecimus, vitemus, ne alia faciamus; et cum jam ex magno usu lacrimarum de peccatorum remissione coeperit esse fiducia, per verba Dei, quae intelligimus, ad vitam quoque et alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut et nobis prosint et intenti 'ii spiritali aliis conferantur. Unde bene nunc dicitur: »Comede volumen istud et vade, loquere ad filios Israel«; ac si ei de sacro cibo loqueretur: comede et pasce, saturare et eructa, accipe et sparge, conforta et labora.*

[1]) Homil. 10. in Ezech. III. 2. (Migne, tom 76. col. 887.)

Sequitur: *Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostrae*, ac si diceret: si ita est, i. e. si non possumus omni tempore quadragesimalem habere vitam, istis diebus Quadragesimae faciamus plus, quam in aliis, i. e. illam Quadragesimam, quam omni tempore non possumus habere, in istis diebus habeamus. *Ad solitum pensum*, i. e. ad generalem institutionem. Superius enim definierat jam, quantum panem, quanta pulmenta vel quantum dormire; nunc vero dicit, ut augeamus ad istum pensum, hoc est mensuram, aliquid.[1])

Sequitur: *orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio S. Spiritus offerat Deo.* Quid sit augere ad solitum pensum, manifestat nunc, cum dicit *orationes peculiares*, i. e. privatae. Superius enim voluit, ut orationes peculiares haberes, nunc vero dicit, si forte negligentia interveniente non habuisti, modo in istis diebus habeas. Verum non debes dimittere obedientiam et orare; sed si non potes in die propter obedientiam, habe in nocte. Attendendum est, quia non dicit *ciborum aut potus*, sed *et potus*, eo quod utrumque vult, ut habeas abstinentiam, i. e. ciborum et potus. Sunt enim alii, qui possunt jejunare a cibo et non a potu, et sunt alii, qui possunt jejunare a potu et non a cibo. Sed S. Benedictus utrumque vult, i. e. abstinentiam cibi et potus. Verum ille, qui a potu vel cibo jejunat, non debet pro hoc aliud requirere; si enim aliud vult, melius est illi hoc, quod S. Benedictus jussit manducare, quam illud dimittere et aliud requirere. Hoc quoque notandum est, quia, cum monachus jejunat, ita debet temperate et discrete jejunare, ut non deficiat ad suam obedientiam faciendam, ne infirmetur, quatenus necessarium sit, carnem aut alium cibum requirere, sed ita jejunet, ut si forte defecerit, de ipsa mensura, quam illi regula concedit, possit recuperari. Ita faciendum est de vigiliis. Sic enim debet vigilare, ut alio tempore non sit ei neces-

[1]) suadet Cod. Divion. ex Marten.

sitas dormire. Quod enim dicit *propria voluntate*, i. e. propria delectatione vel spontanea voluntate, sive cum aviditate. Duobus enim modis constringit monachum, i. e. dicit illi, ut offerat, et iterum dicit, quando offert, non ex mala voluntate, sed cum aviditate et amore Dei. Forte dicit quis: [quia] si jejunare non vult, invite agendum est pro illo, quod dicit *si in aliquo contrarius fuerit s. regulae.* Cui respondendum est, quod scriptura divina alibi praecipit, alibi indulget, alibi admonet et alibi corripit et reliq. Ubi enim praecipit, sine peccato non potest praetermitti. In hoc loco admonet, quia dicit *suademus*, et dicit *propria voluntate.* Verum si talis fuerit homo negligens et tantae fuerit fortitudinis, ut jejunare possit, et dixerit illi abbas jejunare, et non jejunaverit, quamvis non sit reus secundum hunc sensum, i. e. quia non praecipit, sed suadet, tamen reus est et culpabilis, quia non obedit.

Sequitur: *cum gaudio S. Spiritus offerat Deo, i. e. subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, et cum spiritalis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.* Non enim sine causa S. Benedictus tantis vicibus in hoc capitulo abstinentiam replicavit; cognoscitur enim, ter dixisse. Superius dixit *abstinentiae operam demus;* deinde subjunxit *ciborum et potus abstinentiam;* nunc autem dicit *subtrahat corpori suo de cibo, de potu.* Quia voluit, ut abstinentiam habeamus, ideo ter vicibus replicando auribus nostris inculcavit, eo quod nos rem, quam volumus acrius teneri, frequenti iteratione replicamus. Forte dicit aliquis: non jussit, sed admonuit, ideo dixit *suademus.* Cui respondendum est: Mos est ss. praedicatorum, ut facilius audiantur et gravia esse non putentur, *suademus* dicere.

Sequitur: *Hoc ipsum tamen, quod unusquisque offert, abbati suo suggerat, et cum ejus voluntate et oratione fiat.* Attendendum est namque, quare dixit *cum abbatis fiat voluntate et oratione. Voluntate* dixit, ut aequum sit, i. e. ne plus justo faciat, qui vult, et ne minus justo faciat, qui non vult; verbi gratia talis est frater, qui vult nimis jeju-

nare, et alius, qui nihil vult; ideo enim, ut non nimis iste jejunet, quam oportet aliquem jejunare, abbas illum temperet, et ille,[1]) qui nihil vult jejunare, abbas cohortetur. Verbi gratia, dicis tu abbati: Volo per totam Quadragesimam non bibere vinum propter negligentias meas. Abbas autem quia considerat fragilitatem tuam, dicit tibi: Non debes ex toto jejunare, quia non est bonum; volo ut bibas. Debes illi accomodare, ne opus tuum perdas, si sine voluntate patris spiritualis feceris. Deinde est alter, qui non vult jejunare; dicit abbati: Non possum jejunare, mittens excusationes: quia fragilis sum et debilis ero ex hoc. Abbas dicit: Jejunare te oportet, ut evadas poenam perpetuam et vitam possis habere aeternam. Accomodare illi debet sensum, ut faciat, quod hic dicit *subtrahat corpori suo de cibo*, *de potu* et reliq. Si autem talis frater est, qui non vult consentire, ut aliquid bibat, sed ex toto jejunet et nullatenus abbati consentit, debet abbas in tali re meliorem accomodare voluntatem suam dicens fratri: Mea voluntas est, ut bibas; nunc autem quia perseveras, consentio tibi, ut facias hoc cum mea voluntate, ne perdas mercedem tuam, sicut S. Benedictus dicit: *Quia quod sine permissione patris spiritualis fit, praesumtioni deputabitur et vanae gloriae, non mercedis affectui. Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.* Deinde si alter est, qui non vult consentire, ut jejunet, debet abbas illi manifestare, quare debeat jejunare, et ignem perpetuum et gloriam vitae aeternae illi manifestare. Deinde debet illi dicere: Frater, quia non vis jejunare, non debui tibi consentire, sed quia unum velle in nobis debet esse, consentio tibi. Et pro hoc debet abbas specialiter orare, ut Deus omnipotens aperiat illi cor, quatenus cognoscat, quid facere debeat, si quod minus sibi placabile[2]) agit, et debet etiam alios fratres rogare, qui pro illo rogent, non manifestando personam. Deinde si non potuerit per illorum orationes illi suadere, ut ad hoc

[1]) illum (?).
[2]) placibile. Cod. Fürstz.

perveniat, ut jejunet, debet etiam pro illo in capitulo omnes rogare, non manifestando personam, ut rogent, isto modo: Fratres, rogo vos, ut rogetis Deum pro quodam fratre; est enim quidam frater, qui non vult jejunare, sicut S. Benedictus dicit, mittens excusationem, non posse jejunare, ut Deus omnipotens, qui videt ejus possibilitatem et impossibilitatem, det illi, si videt posse jejunare voluntatem jejunandi. Et ipse specialiter pro ipso debet orare, ut Deus det illi facultatem et possibilitatem jejunandi. Jam si noluerit ille jejunare, non est illi facienda vis. Ideo *cum oratione abbatis* dicit, ut eorum opus orationibus abbatis Domino commendetur. Reddit causam, quare cum oratione et voluntate abbatis dicit hoc facere, quia quod sine permissione patris spiritualis fit, praesumptioni et vanae gloriae deputabitur, non mercedis affectui. Hoc notandum est, quia ubi dicit *de loquacitate*, ita intelligendum est, i. e. quamquam omni tempore abstinere se debet a loquacitate, tamen maxime in his diebus, si ita sollicitus fuerit, sicut hic dicitur; verbi gratia a mane usque ad tertiam nullatenus debet loqui, sed lectioni vacare. Deinde post tertiam constituat, non loqui, si necessitas non fuerit. Deinde vadis in obedientiam; labora ibi cum silentio. Si vero talis frater fuerit, qui voluerit tecum loqui, tu, si videris, rem non esse necessariam, innue illi, ut sileat. Deinde audito signo vade statim in ecclesiam, post vero iterum vade in obedientiam cum silentio usque ad nonam. Post refectionem vero debes iterum lectioni vacare cum silentio. In hoc capitulo animadvertendum est et sollicite cogitandum: Si consideraverit aliorum temporum negligentias, quantis vicibus praevaricator extitit suae professionis, nullo modo praevaricator extitisset, non dico de aliis rebus — de officiis divinis professus es, ut mens tua concordet voci tuae; vide modo, si hoc fecisti aut non fecisti? Hoc tamen notandum est, quia nullo tempore debet monachus jejunare, nisi prius suggerat abbati. Nunc autem quia regula dicit de jejunio quadragesimali, necesse est, ut cognoscamus, quot jejunia celebrentur annuatim, et ipsa jejunia cujus auctoritate in-

venta sunt. Dicit enim Isidorus ita: *Jejuniorum tempora secundum scripturas . . . . universali jejunium observatione celebrat.*[1])

Cap. L.

DE FRATRIBUS, QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT AUT IN VIA SUNT.

Fratres, qui omnino longe sunt in labore et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, et abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos praetereant horae constitutae, sed ut possunt, agant ibi[2]) *et servitutis pensum non negligant reddere.* Superius enim dixit, orationes peculiares debere fieri; adhuc in eadem intentione perseverat, cum hoc capitulum subjunxit, in quo de oratione dicit; nam ait: *Fratres qui omnino longe ab oratorio laborant* et reliq. Quod autem dicit *hora competenti*, i. e. apta. *Perpendit*, i. e. intelligit. *Agant ibidem* etc.; ita in opere debent fratres agere tertiam et reliq. sicuti in monasterio. *Similiter et eos, qui in via sunt* et reliq. Iste locus varie intelligitur a quibusdam. Sunt enim alii, qui intelligunt, ut, sicut in oratorio, ita etiam in via agere debent, propterea, quia dicit *similiter*. Et iterum sunt alii qui intelligunt, ut non ita debeant agere, sicut in monasterio, quia non dixit *ut possint*, sed: *(sic) ut possunt; ut possunt*, i. e. sicut possunt. Quamvis sensum proprium S. Benedicti proprie nesciamus, tamen melius est, ut, si possunt, qui equitant, in terram descendant, et officium suum flectentes genua faciant. *Praetereant horae constitutae*, i. e. non debent illos praeterire illae horae suo tempore, si possunt; nam si necessitas cogit, faciant, ut possunt.

---

[1]) De offic. eccles. lib. 1. c. 37—40. (Migne, tom. 83. col. 771 --774.)

[2]) sibi. Cod. Tegerns.

Cap. LI.

DE FRATRIBUS, QUI NON LONGE SATIS PROFICISCUNTUR.

Fratres qui pro quovis responso diriguntur et ea die sperantur reverti ad monasterium, non praesumant foris manducare, etiamsi a quovis rogentur, nisi forte ab abbate suo eis praecipiatur. Hoc notandum est, quia in hoc capitulo, quod dicit *nisi forte ab abbate suo eis praecipiatur*, intelligitur: si talis est persona, quae non debet contemni, veluti est episcopus aut abbas aut certe talis monachus religiosus, unde securus sit, quia cum religione manducat, potest dare licentiam manducandi; nam si alia persona est, non debet dare licentiam abbas suo monacho manducare, etiamsi abbas fuerit aut episcopus, si talis est, in quo non est religiositas nec cum religione manducat, quia non tantum attendenda est persona, quantum religio in persona. Hoc iterum notandum est, quia de illo dicit monacho, qui sub uno die exit et in illo die revertitur. Sciendum est enim, quia ille frater debet manducare cum illa persona digna, ad quam mittitur, ante[1]) horam etiam dicit, i. e. si, cum mittitur, [et] ante horam rogaverit, eum secum manducare, debet manducare, si digna fuerit persona. Tria enim inspicienda sunt in manducare: prius religio personae, i. e. si reverens et timoratus sit, sive monachus sive episcopus sive abbas aut clericus, ut cum reverentia et lectione et timore Dei manducet; deinde scandalum inspiciendum est, ne forte ille homo, quia potens est, pro indignatione, quia non manducavit cum illo ille frater, noceat monasterio et damnum magnum faciat; deinde necessitas inspicienda est, quia non habet, quid aut unde aut ubi manducet.

Sequitur: *Quod si aliter fecerint, excommunicentur.* Hoc notandum est, quia, cum dicit *excommunicentur*, S. Benedictus illum judicavit. Isto enim modo debet esse excommunicatus: alii dicunt, ut debeat solummodo vinum non bibere et cum fratribus insimul manducare; alii dicunt: debent

---

[1]) qui ante (?).

in culpa minori excommunicati esse, i. e. si fratres ad sextam, illi ad nonam, si fratres ad nonam, illi ad vesperam, et in oratorio satisfaciant. Si autem in labore vadunt generaliter omnes et non possunt venire ad manducandum in monasterium, tunc possunt ibidem manducare eo ordine, quo in monasterio. Nam si generalitas ibi non manducat, non debet ibi manducare vel bibere, sed in monasterio. Si vero generaliter ibi manducant, non debet aut bibere aut manducare, nisi grandis labor factus fuerit; melius est enim, ut omnes aequaliter laborent, quam unus fortiter et alter leniter, et ob hoc, quotiens vult, bibat. Ipse tamen abbas non debet ita permittere, ut ita fiat, quia S. Benedictus dicit: *Si omnes greges meos plus in ambulando fecero laborare, quam oportet, morientur cuncti una die.* Si autem exierint de monasterio longe causa laboris, possunt manducare, etiamsi non sit generalitas ibi, eo quod non possunt ad monasterium venire hora manducandi. Nunc autem intuendum est, quomodo intelligi debet istud, quod dicit *si eadem die sperantur reverti* et reliq., cum potest ire viginti miliaria longe in die et iterum reverti, sicuti est in aestivo tempore. Iste talis, si jejunaverit, valde laboravit, et plus iste, qui obedientiam facit, laboravit in jejunando, quam ille, qui in minori culpa excommunicatur. Et ob hoc ita debet intelligi, ut ille, qui praeest, sicut considerans discernit in personis, ita etiam debet considerare in longitudine itineris, h. e. sicut licentiam dat manducandi pro persona digna ante horam, ita etiam debet dare licentiam manducandi, si ad horam manducandi vel paulo post non poterit ad monasterium reverti. Et hoc sciendum est, quia, sicut hi agunt, qui in monasteriis sunt, ita debet etiam agere ille, qui in cella est constitutus.

Cap. LII.

DE ORATORIO MONASTERII.

Quia superius dixit, qualiter illi, qui in opere sunt vel in via, suum officium reddant Deo omnipotenti, nacta ex hoc occasione consequens erat, ut nunc etiam diceret de

oratorio, i. e. dispositis fratribus in labore vel in via directis, disponit etiam illos, qui in monasterio sunt, qualiter orent. Ideo subjunxit hoc capitulum de oratorio.

Sequitur: *Oratorium monasterii hoc sit, quod dicitur, nec ibi quidquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant, et agatur reverentia Deo, ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate.* Honestatem, inquit,[1]) docet B. Benedictus, sequens auctoritatem canonicam; praecipiunt enim canones in concilio Laodicensi cap. 28, cujus titulus iste est: *In ecclesiis prandia fieri non debeant.* Sic enim dicunt canones, quod non oporteat in dominicis, i. e. in Domini ecclesiis, convivia, quae vocantur agapae, fieri, nec intra domum Dei comedere vel accubitos sternere. Bene dixit *oratorium hoc sit, quod dicitur.* Oratorium dicitur, quia orationi tantum est consecratum, in quo nemo aliquid agere debet, nisi id, ad quod est factum, unde et nomen accepit. Et Dominus dicit: *Domus mea domus orationis est.* Quia propositum fuit B. Benedicto, sicut dicit *cellerarius monasterii* et *decanus monasterii*, ita etiam dixit *oratorium monasterii*, ac per hoc, cum dixit *monasterii*, ostendit, omnia oratoria comprehendere. Verum si in aliis oratoriis non debent quidquam laici agere secundum institutionem canonicam, multo magis monachos oportet custodire. Unde non oportet monachum ad aliqua oratoria ire, nisi causa obedientiae vel necessitatis. *Agatur* enim attinet ad actionem, *condere* vero ad positionem. Attendendum est, quia non dicit: cum silentio exeant, sed praemisit *summo*, i. e. non mussitatio, non susurratio, non inhonestus incessus, sed caute exire debent. Quod vero dicit *et agatur reverentia Deo*, ita intelligitur, i. e. cum exeunt salutato altari [et] postea tunc exeant, quia reverentia ad honorem attinet. Reddit causam, quare, cum dicit: *ut frater, qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate.* Nunc animadvertendum est, quare B. Benedictus dicit nunc:

[1]) inquit Hildemarus (?).

ut frater, qui vult peculiariter orare et reliq. et subjunxit statim: *sed et si alter vult sibi forte orare secretius, simpliciter intret et oret, non in clamosa voce, sed in lacrimis et intentione cordis*, cum nullum spatium donat orandi, nisi lectioni vacare, deinde laborare, postea manducare vel dormire? Quomodo potest quis remanere in oratorio aut intrare causa orandi, cum ipse non dat, sicut dixi, spatium orandi? Quamquam specialiter spatium non dat orandi, tamen, quia pauci sunt, non praeposuit lectionem sive laborem contemplationi. Si enim contingit, cum quis habet comtemplationem tempore lectionis vel laboris et reliq., non illi fraudavit lacrimas, sed ob hoc potest dimittere lectionem vel laborem et ire in oratorium causa contemplationis, sed pauci sunt, quibus hoc contingat; verbi gratia si unus stat in contemplatione, alter vero susurrat aut talia agit, ut ille impediatur, iste expellatur, ille alter stet. *Improbitate*, i. e. susurratione; hoc est impedimentum, quod fit voce vel sono et reliq.

Sequitur: *simpliciter intret et oret. Simpliciter*, i. e. caute, leniter. *Non in clamosa voce, sed in lacrimis et intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.* Cum dicit *simile*, subaudiendum est, sicut dixi superius, i. e. qui in lacrimis et in intentione cordis non orat, nec remoretur ibi nec intret. Nam sunt multi, qui se circumveniunt et non orant nec in intentione nec in lacrimis, et perdunt tempus obedientiae aut lectionis. Bene dixit, in lacrimis et in intentione cordis esse orandum, quia, qui negligenter orat et aliud sponte intenderit, illud intelligitur adorare et quasi Deum habere, quod intenderit. De qua oratione dicit Caesarius hoc modo: *Ante omnia, fratres carissimi .... praeparabitis regnum.*[1]) In eo quoque loco, ubi dicit *non in clamosa voce*, manifestat, qua intentione hoc capitulum praeceperit; non enim dicit, ut ibi officium mortuorum non agatur, si generalitas

---

[1]) Migne, tom. 38. col. 2281. 2282. serm. 283. n. 2—5.

est, similiter si duplicare vult officium, si generalitas hoc agit; verum non licet cuiquam, si non est generalis congregatio, in voce orare. Sciendum est enim, quia potest in oratorio ponere illum librum, qui ibi legitur, solummodo.

Cap. LIII.

DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS.

Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur. [Et] quia disposuerat, qualiter debeant fratres officium suum peragere orationis sive de his, qui in via, sive qui in opere sunt, et disposuerat de oratorio monasterii, necesse fuerat, ut diceret de susceptione hospitum, quomodo prius suscipiendi sunt, i. e. per orationem ducendi. Quia hospites propter illusiones debent duci ad orationem, ideo bene, postquam dixit de oratione fratrum et de oratorio monasterii, nunc subjunxit de oratione hospitum; ait enim: *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur* et reliq. Notandum est enim, quia non dixit tantum hospites, sed praemisit *omnes.* In eo, quod dixit *omnes*, videtur esse arduum et pene difficile, eo quod multi sunt hospites, qui ad monasterium veniunt. Sed isto modo potest intelligi, sive ideo dixit *omnes hospites*, quia tunc pauci veniebant, sicut Cassianus dicit in collatione et in vita patrum legitur, quamquam dicat S. Benedictus, nunquam deesse monasterio hospites; potest etiam unus aut duo intelligi venisse; nam tanti tunc forte non erant, sicut nunc, et secundum hunc sensum intelligebat Theudulphus:[1]) »Per Deum, si nunc adesset S. Benedictus, claudere illis ostium fecisset«. Sive altero modo intelligitur *omnes*, subaudis: quos potest in monasterium recipere, tanquam Christus suscipiantur, quia regula nil impossibile dicit. Sive solvitur haec ratio in intentione, de qua intentione omnes debent ita recipi hospites sicut Christus, quamquam non possunt omnibus ita servire, sicut Christo, sed paucis. Quasi interrogasset aliquis S. Benedictum dicens: Pater Benedicte,

---

[1]) † 821.

quare debeo omnes hospites sicut Christum suscipere? ipse quasi respondens dicit: *quia ipse dicturus est: Hospes fui et suscepistis me.*

Sequitur: *et omnibus congruus honor exhibeatur maxime domesticis fidei et peregrinis.* Pulchre dixit *congruus honor exhibeatur*, quia omnibus non aequalis susceptio apta est; neque enim rectum est, si ea, quae paranda sunt diviti, i. e. lectio, cibus et potus abundantia praeparentur pauperi, diviti autem ea, quae pauperi. Majus enim peccatum est, quam merces, quia pauper nescit se moderari, qui si tantum sicut consuetus potens manducaverit, crapulationem ex hoc sentiet, et nobis dantibus peccatum generabit, sicut dicit B. Augustinus: *Leve est peccatum, si ea, quae praeparamus diviti, praeparemus et pauperi.* Et bene dixit *congruus exhibeatur omnibus*, quia si ea, quae pauperi praeparantur, praeparentur diviti, i. e. faba aut aliquid rusticum, et voluerimus ei pedes lavare, sicut pauperi, non erit honor diviti, sed magis derisio et in stultitiam reputabitur et damnum etiam pro hoc monasterio generabitur. Et propterea dixit *omnibus congruus honor exhibeatur*, i. e. juxta qualitatem personae ita recipiendus est hospes. Sed videtur sibimet S. Benedictus esse contrarius in eo, quod hic dicit *omnibus congruus honor exhibeatur*, et inferius dicit *peregrinorum pauperumque maxime susceptionum cura sollicita exhibeatur* et reliq. Quomodo omnibus congruus honor exhiberi debet, si pauperum et peregrinorum maxima susceptio debet esse? Cui respondendum est: non est B. Benedictus sibi contrarius, quia haec sententia, in qua dicit *omnibus congruus honor exhibeatur*, ad exteriorem attinet hominem, illa autem sententia, qua dicit *pauperum et peregrinorum* etc. attinet ad interiorem hominem, ac si diceret: in praeparatione servitii unusquisque hospes juxta suam mensuram recipiendus est, tamen in mente debet praeferri pauper diviti.

Sequitur: *Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei a priore vel a fratribus cum omni officio caritatis, et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione praemissa,*

propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Et hoc sciendum est, quia cum dicit *omnis exhibeatur humilitas*, attendendum est, quia potest esse humilitas et non *omnis*, eo quod potest esse humilitas corporis sine humilitate mentis et reliq. B. vero Benedictus vult, quia, sicut exhibetur humilitas corporis, ita etiam et animae exhibeatur; ideo dixit: *omnis humilitas.* Si autem talis fuerit hospes, debet etiam exponi lectio; post lectionem debet ei exhiberi omnis humanitas. In lectione etenim hospiti legenda ista debet esse discretio: si [vero] talis est hospes, qui de monasterio montis pedalis[1]) venit vicinus vester tarde [illum] ad vestrum monasterium, hoc est post duos vel tres menses, aut hinc illuc ierit, quoties ita tarde ierit, toties legenda est lectio sicut hospiti. Si autem talis homo nobilis venit ad vestrum monasterium, veluti est comes, aut vester vicinus seu etiam nobilis homo ex alia regione semel in vestrum monasterium venerit, ita eis exhiberi debet omnis humanitas, ut tanquam Christus suscipiantur et eis lectionem legere, quamvis unus sit vester vicinus et alter de longe venerit, tamen quia tarde veniunt ad monasterium, ideo debetis eis lectionem legere. Sciendum est enim, quia sunt multi, qui postquam prima vice legant lectionem hospiti, jam postea nunquam legunt eidem hospiti, etiamsi post unum vel duos vel decem annos venerit. Isti tales non regulariter faciunt, eo quod regula dicit, hospiti legi lectionem. Jam vero si humanitas illi exhibenda est, cur non et lectio illi legenda est, quod melius est? Unde ista potest esse discretio: si [enim] frequenter venerit ipse hospes ad monasterium, ita ut post 15 vel 20 dies venerit, quoties venerit, toties illi lectio legenda est et omnis humanitas praebenda. Quid est omnis humanitas? i. e. omnis dilectio. Et hoc sciendum est, quia non omnibus aequaliter debet fieri praeparatio; aliter enim episcopis, aliter presbyteris, aliter laicis, aliter canonicis, aliter comitibus, aliter ceteris, secundum unamquamque personam,

[1]) Pedemontium (Piemont) (?).

quod viderit, ita debet fieri praeparatio. Sciendum est, quia sunt alii abbates, qui praeparant sibi pulmenta plura causa gastrimargiae tam pro pauperibus quam pro divitibus. Et cum interrogati fuerint, quare hoc faciant, mittunt occasiones dicentes, causa hospitis se facere. Non videtur ita ratio esse plena, quia unicuique personae congrue debet fieri praeparatio; tamen ille videat, qui hoc agit. Quod vero non omnibus aequaliter debet fieri praeparatio, B. Gregorius docet in I. libro IV. partis moralium, ubi Job dicit: *Cujus adjutor es? numquid imbecillis? Adjuvare imbecillem caritatis est, adjuvare potentem velle, elationis.*[1] Quod enim dicit *omnis humanitas ei exhibeatur*, subaudiendum est: sufficiens honestas. Inter caritatem vero et humanitatem potest esse ista differentia: caritas est in spiritualibus sive etiam corporalibus rebus, quae fiunt amore Dei; humanitas vero in temporalibus tantum rebus, quae dantur sive amore Dei, sive causa saeculi. In hoc loco humanitas, quia Dei amore datur, intelligitur de temporalibus, i. e. panis et vinum, cibus, lectus etc. Nam etiam potest dici humanitas, sicut dixi, quae non datur Dei amore, sed saeculi causa, sicut saeculares dant sibi invicem. Humanitas est, quae vulgo dicitur *mináida*.

Sequitur: *Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus inclinato capite vel prostrato omni corpore in terram Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, et postea sedeat cum eis prior, aut cui jusserit ipse. Legatur coram hospite lex divina, ut aedificetur, et post haec omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium a priore frangatur propter hospitem, nisi forte praecipuus sit dies jejunii, qui non possit violari; fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes omnibus hospitibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet, quibus lotis hunc versum dicant: »Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui«. Pauperum autem et peregrinorum maxime*

[1]) Migne, tom. 76. col. 23.

susceptionum cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur; nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. In hoc enim, quo dicit *inclinato capite vel prostrato omni corpore* discretionem salutandi nos docuit, quia aliter salutare debemus reges et episcopos et abbates, et aliter alios. Reges enim et episcopos et abbates prostrati in terra debemus salutare propter exemplum Nathan prophetae, qui prostratus salutavit David regem. Reginam cum videt, non debet monachus prostratus salutare, sed unum genu in terram ponere, aut humiliari debet capite suo; abbatem vero nostrum, si rarius videmus, in terra salutare debemus; ceteros autem, i. e. comites, presbyteros, monachos et reliquos inclinato capite salutare debemus. Verum quia de hospitibus dicimus, dicendum est nunc, unde hospites pauperes, aut unde divites pasci debemus.[1]) Omnia [enim], quidquid venerit in monasterium, i. e. aurum, argentum, aes, ferrum, arbores, vinum, poma, animalia et reliq., sive de omnibus, quae in monasterio laborantur, decima de his omnibus in hospitale pauperum dari debet solummodo, i. e. ut non alii, hoc est servi vel nobiles, sed solummodo pauperes pascantur, quia sic scriptum est in lege: *Et nullus pauper debet ab his decimis excusari.* Verum quia Dominus dicit in evangelio: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum* — justitia pharisaeorum et scribarum est, decimas dare — nos [vero], ut possimus intrare in regnum coelorum, duas decimas demus, quia, si ita non fecerimus plus quam scribae et pharisaei, non intrabimus in regnum coelorum. Id est, cum damus decimas, deinde demus nonam partem quasi decimam; istam enim nonam partem debemus dare in hospitale divitum, quidquid fuerit, et ex his debemus praeparare ad necessaria divitum omnia, quidquid opus fuerit, et omnem humanitatem eis impendere. Quod vero dicit *jejunium a priore frangatur,* i. e. non debet custodire jejunium, sed manducare cum hospite. *Praecipuus dies*

---

[1]) debent (?).

jejunii est, veluti est indictum jejunium, et sicut Quadragesimae dies vel litaniae et ceteri dies jejuniorum, quod ecclesia celebrat. Istud vero, quod dicit *fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur*, i. e. custodiant vel consequantur. Notandum est enim. quia, si potest fieri, talis claustra hospitum esse debet nobilium, sicut monachorum cum sua ordinatione; talis etiam debet esse claustra pauperum, qualis infirmorum; talis etiam monachorum hospitum, qualis etiam infirmorum, ubi omnia necessaria eorum praeparari possint. Si autem non potest esse, sicut dixi, separata loca episcoporum a divitibus. simul tamen sint separata a pauperibus et abbatibus et monachis, eo quod non possunt in simul convenire episcopi et comites cum pauperibus et abbatibus et peregrinis. *Domestici fidei* sunt, qui vicini fidei nostrae sunt, veluti sunt canonici et religiosi laici. Domesticus enim fidei est, sicut Hieronymus dicit, qui eadem religione tibi conjungitur, quem a consortio fraternitatis peccata non separant.

Sequitur: *Coquina abbatis et hospitum super se sit* [*deputata*], *ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus, ut indigent, administrentur solatia, ut absque murmuratione serviant, et iterum quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non solum in ipsis, sed et in omnibus officiis monasterii ita sit consideratio, ut quando indigent solatia, adcommodentur eis, et iterum, quando vacant, obediant imperanti. Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possidet, ubi sint lecti strati sufficienter, et domus Dei a sapientibus sapienter administretur.*

Isto namque modo agenda est coquina hospitum atque abbatis: debet enim juxta coquinam monachorum coquina hospitum atque abbatis esse, i. e ut per claustram monasterii illuc non possit quis intrare. nisi, cum necessitas fuerit, deforis intret. Verum debet esse inter coquinam

fratrum et abbatis fenestra, per quam possit cibus in refectorium inferri. Deinde debet esse unus monachus sub cellarario, ut, cum hospes fuerit pransurus, debeat porrigere pisces et cetera ad coquendum. In ipsa autem coquina abbatis debet esse canonicus, qui praeparet cibum. Et ille monachus, si talis necessitas non est, ut ipse adjuvet clericum, debet stare in coquina fratrum, et per fenestram recipere cibum a clerico, et sic ministrare. Si autem talis necessitas fuerit, ut per se debeat adjuvare clericum coquere, tunc ille monachus debet adjuvare, et cellararius debet ministrare, sicut monachum jam superius dixi facere. Debet etiam abbas duos monachos cum laicis ponere ad coquinam illorum hospitum, i. e. laicorum et ceterorum, qui foris manducare debent, quia nunquam debet laicus in refectorium mitti ad manducandum vel bibendum; debet vero ille monachus intus esse in coquina abbatis propter illos, qui in refectorio manducare debent, i. e. monachos vel clericos canonicos. Deinde alium fratrem debet constituere ad pauperes, alium vero debet constituere super monachos hospites, quia solet evenire, ut veniant uno tempore et comites et episcopi et abbates et pauperes. Hi tales non possunt insimul convenire, et ideo necesse est, ut separatim suscipiantur. Si enim non est talis potentia, ut per singulos habeat claustram, debet habere cubicula. Debet etiam alium fratrem constituere, qui lecta hospitum et cetera ordinet. Quod enim dicit *lecti strati sufficienter,* ita intelligitur, i. e. tantos pauperes debet suscipere, quibus sufficienter sint strati lecti. Nam divites, quotquot venerint, necesse est, ut eorum milites etiam suscipiantur, si ipsi suscipiantur divites. *Dives enim,* sicut Cassiodorus dicit,[1] *dictus est a divo, qui quasi Deus nihil creditur indigere.* Quod enim dicit *cum omni officio caritatis,* — quasi diceret: cum omni praeparatione tam mentis quam corporis administretur, i. e. gubernetur, regatur, disponatur. Verum cum in refectorio manducat hospes, non ita debet moram agere

[1]) Expos. in psalm. 48. v. 17.

in cibis ministrandis hospitibus, ut ex hoc fratres moram patiantur exeundi de refectorio. Quod vero dicit *pedes hospitum cuncta congregatio lavet*, per dies vicissim discretio facienda est. Ista enim debet esse discretio in pauperibus suscipiendis, i. e. si duo vel tres venerint, alii debiles, alii sani, debiles magis debet adjuvare, si non potest omnibus,[1]) i. e. sanis et debilibus. Nam apud nos ad horam nonam suscipiuntur hospites; quodsi talis venerit postea, non ejicit jam susceptos pro illo debili, nam si potest debilem suscipere, suscipit, sin alias, dicit illi debili, ut inveniat sibi aliam mansionem, quia alios jam susceptos habemus. Sic enim facimus (de) *pedes lavare* pauperibus, i. e. illi, qui offerunt in die ad missam, illi etiam post vesperam vadunt pedes pauperibus lavare, et cantando lavant pedes, et post lotos pedes miscent, et post miscere dicunt capitula et orationem hanc: *Adesto Domine officio servitutis nostrae* et reliq. Item si desunt pauperes de longe, quibus lavetis pedes, et vicini vestri venerint ad monasterium vestrum, i. e. tales vicini, qui habuerint nimiam indigentiam, quamvis vicini vestri sint illi pauperes, tamen si ibi in vestro hospitali manserint, eo quod manent, lavare illis debetis pedes, sicut longinquis, quia non custoditur propinquitas loci, quo veniunt, sed mansio, quia (qua) manent. Et non solum istis pauperibus vicinis pro necessitate lavare debetis pedes, verum etiam illis hominibus, quos vos pascitis, et quotidie in vestro monasterio sunt, debetis lavare pedes, ut regula adimpleatur.

Sequitur: *Hospitibus autem, cui non praecipitur, nullatenus societur neque colloquatur, sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, et petita benedictione pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.* Hoc quod dicit *et petita benedictione pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite*, ita distinguendum est: [Dicens, distinctio;] deinde[2]) annecti, sibi non licere colloqui cum

[1]) omnes (?).
[2]) Aliquid omissum esse videtur.

hospite. *Societur* attinet, quando hospitis manum prendit; potest enim quis sociari cum hospite et non loqui, i. e. potest manum ejus tenere et ei jungi, et tamen non loqui. Hoc vero notandum: quod dicit, ut, cum indigent solatia, administrentur, isto modo debet fieri: cum multi sunt hospites, debet hospitalarius dicere abbati aut priori: quia hospites multos habeo. Et tunc debent jubere fratribus duobus vel tribus, qui adjuvent illum, et illi propter honestatem melioribus vel mundis vestimentis induti servire debent hospitibus et illi fratri impendere adjutorium, donec necesse fuerit. Post vero illi fratres ire in aliam obedientiam debent, ubi eis imperatum fuerit, et ille hospitalarius debet suum ministerium perficere. Ita et cellararius debet facere, cum cuppas aut pannos lavare vult; quaerere fratres debet ad sibi obediendum, ut eum adjuvare possint, quia illas cuppas vel pannos de XV in XV dies propter munditiam lavare debent.

Cap. LIV.

UT NULLATENUS MONACHUS DEBEAT LITTERAS VEL ALIQUID [1]) SUSCIPERE.

Quia superius dixerat, qualiter suscipiendi essent hospites, et praeceperat, ut nullus eis loqueretur sine jussione, nunc [vero] disponit, quid agendum sit, si aliquis alicui fratri quidquam forte detulerit, i. e. quod superius non dixit, in hac sententia latius exsequitur; dicit enim, si monachus debeat litteras vel aliquid suscipere.

Sequitur: *Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras aut eulogias vel quaelibet munuscula accipere vel dare sine praecepto abbatis. Quodsi etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. Quodsi jusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari, et non contristetur frater, cui forte directum fuerit, ut non detur occasio dia-*

---

[1]) vel eulogias. Cod. Fürstzell.

bolo. In hoc quod dicit *nullatenus*, nihil praetermisit; et cum dicit *nec a parentibus nec a quoquam neque sibi invicem*, omnia comprehendit, ut non possit excusare monachus. Notandum est, quia, sicut tres personas comprehendit, ita etiam tria comprehendit munera, videlicet litteras, i. e. epistolas, et codices, h. e. munera minora, eulogias, quae sunt munera majora, veluti sunt cappa, sarica et aliud quid, quae majoris pretii sunt. Munuscula vero sunt munera parvissima sive alicujus pretii parvissimi, veluti est acus; non enim debet accipere vel dare neque etiam acus sine praecepto abbatis. In hoc, quod dixit *non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati*, ita agendum est: quidquid alicui monacho directum fuerit, non debet ille portarius nuntiare illi fratri, nisi abbati. Deinde si abbas jusserit, tunc debet portarius nuntiare illi fratri, quem hospes quaerit, et post ire. Si vero non jusserit ire, tunc non debet portarius nuntiare fratri. Et hoc notandum est: si munus est, non debet etiam portarius suscipere illud, nisi prius indicaverit abbati; si jam abbas jusserit, tunc suscipiatur et debet etiam adducere illud in capitulum et ponere ante pedes abbatis, quia, si forte pauper est ille hospes, [et] ob hoc non vult abbas recipere illud. Quod autem dicit *quod si jusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari*, notandum est: non talem potestatem dedit illi S. Benedictus, ut ille abbas injuste disponat, sed ob hoc dedit illi in potestate sua, quia non potest nec potuit pleniter diffinire in dubiis rebus, propterea constituit in abbatis potestate, non ut ille ad suum libitum aliquid agat, sed ut juste discernat, sicut in hoc loco. Debet abbas cognoscere, ut qui plus indiguerit, ille accipiat illud; v. gr. si venerit vestis, et viderit, quia ille frater plus indiget, quam alii, illi debet dare, quia, si non dederit, peccatum facit. Et similiter si minus indiget, et alii plus, et illi fratri dedit, qui minus indiget, peccatum facit; nam si recte disponere vult, illi debet dare, qui indiget, sive illi, cui missa est ipsa vestis, sive alii.

Sequitur: *et non contristetur frater, cui forte directum fuerit.* Usque modo castigavit abbatem, ut recte disponat; nunc castigat monachum, si alicui dederit illud abbas, ut non debeat contristari. Reddit causam, quare, i. e. *ut non detur occasio diabolo,* quasi diceret: ille abbas debet recte disponere, ne detur occasio diabolo; si aliter fecerit, i. e. si injuste disposuerit, tunc datur occasio murmurandi vel detrahendi. Similiter et monachus non contristetur, ne detur occasio diabolo, subaudiendum est: murmurandi, si illi fratri plus quam alii indigenti, cui directum fuerit, non dederit, aut discordandi, si illi fratri dederit, cui directum fuerit, et minus quam alii indigenti. Jam quia dare vel accipere monachorum diximus, nec etiam in refectorio secundum hujus capituli auctoritatem debent accipere sibi invicem aut dare. Verum si dederint, isto modo dent aut accipiant: v. gr. si forte abbas aut fleuthomato aut debili transmiserit aliquid, tunc debet ille frater, cui direxerit, erigere se et inspicere ad abbatem. Et si ille innuerit alicui dare, tunc debet dare aut accipere, ut fiat cum licentia. Si autem non innuerit, tunc non debet dare. Similiter si cellararius forte dederit aut fleuthomato aut debili, et innuerit illi alicui dare, tunc debet dare; si autem non innuerit, non debet dare; ita tamen, si cellarario hoc jussum fuerit ab abbate; si vero non fuerit jussum, non debet cellararius hoc facere. Ideo diximus: si innuerit, ut ille postmodum tribuat, pro duabus causis, i. e. aut propter alium infirmum aut debilem, qui sedet juxta eum, aut certe si sanus fuerit ille frater, cui debet accipiens porrigere, propter honestatem aut etiam, ne revereatur solus manducare, et pro turpitudine singularitatis postmodum non manducabit ille, cui transmissum fuerit.

Sequitur: *Qui autem aliter praesumpserit, disciplinae regulari subjaceat.* Istud vero, quod dicit *disciplinae regulari subjaceat,* ad illa omnia, quae superius vetuit, respicit, i. e. si tribuerit vel acceperit aut litteras aut eulogias, i. e. majora munera, aut munuscula, h. e. parva, aut murmuraverit, aut contristatus fuerit, et reliq. disciplinae regulari subjaceat.

Cap. LV.

DE VESTIARIIS VEL CALCIARIIS FRATRUM.

Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus in eo, quod prius dixit de hospitibus, et subjunxit, ut non debeat quilibet aliquid accipere sine jussione abbatis, et postea dixit de vestiariis et calciariis fratrum, ne quis diceret: quia hoc, quod mihi directum est, volo habere, et statim adjecit, quid et quantum debeant monachi habere excepta speciali necessitate.

Sequitur: *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, aut aërum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.* Vestiarium est, ubi vestimenta ponuntur. Illud enim, quod dicit *qualitatem locorum*, duobus modis intelligitur, i. e. uno modo intelligitur *qualitatem locorum*, juxta quod potest in illo loco, ubi habitant, abbas vestimenta invenire; altero modo intelligitur *secundum qualitatem loci et aërum temperiem*, quod unum significat, ac si diceret: secundum qualitatem locorum; et exponendo, quid sit *secundum qualitatem locorum*, subjunxit, i. e. aërum temperiem. Sed iste sensus posterior verior est, ideo exponendo protelavit gradatim sententiam, cum dicit: *quia in frigidis locis amplius indigetur, in calidis vero minus.*

Sequitur: *Haec ergo consideratio penes abbatem est. Penes abbatem*, i. e. apud abbatem. In hoc loco attendendum est, quia sicut de cibis et potibus constituit in potestate abbatis, eo quod propter diversas qualitates corporum non potuit discernere, ita étiam nunc de vestimentis cognoscitur in arbitrio abbatis constituere, quia propter qualitates diversas locorum non potuit diffinire mensuram vestium. Verum non ita constituisse in arbitrio abbatis intelligendum est, ut sicut vult abbas injuste disponat, sed quia ille propter diversa impedimenta non potuit haec diffinire, ille abbas recte et juste discernat.

Sequitur: *Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam et tunicam; cucullam in hieme villosam, in aestate puram aut vetustam, et scapulare propter opera; indumenta pedum pedules et caligas.* Sciendum est, quia debent per debitum omnibus monachis cucullam et tunicam et melotam tam illis, qui foris, quam illis, qui intus sunt, dari,[1]) eo quod regula dicit dari; nam nisi quod regula jubet, aliter fieri non debet. Pellicias aut gunnas concessio est abbatum pro necessitate. *Mediocribus*, i. e. temperatis. *Cuculla* dicitur casula; *tunica* de lana intelligenda est esse; nam potest esse et linea et serica. Sed in hoc loco videtur intelligere de lana tunicam esse debere. *Scapulare* dicitur illud, unde graeci *schima*[2]) vocant, cum quibus capita tegunt et cingunt illa sibi, ad cujus similitudinem videtur esse illud vestimentum, quod nos melotam vocamus. Nam aliud est cuculla, aliud melota, eo quod S. Benedictus cucullam dicit, quam nos cappam vocamus. Et hoc manifestatur, ubi dicit *villosam*, quia ista *villosa* non ad tunicam refertur, sed ad cucullam. Sic enim dicit *cucullam et tunicam*; deinde solummodo dicit *cucullam in hieme villosam, in aestate puram aut vetustam.* Pedules sunt illa vestimenta, quae in modum tribuci facta sunt, sed pedes tegunt, unde, quia in pedes mittuntur, pedules vocantur. Sunt enim multi monachi, qui propter sudorem pedum dividunt illud, quod in pedes mittunt, ne grave sit ad lavandum. *Caligae autem*, ut Isidorus dicit, *vel a callo pedum dictae*, *vel quia ligantur*; *nam socci non ligantur, sed tantum intromittuntur.*[3]) *Casula enim*, ut Isidorus dicit, *est vestis cucullata dicta per diminutionem a casa*, *quod totum hominem tegat quasi minor casa*, *unde et cuculla quasi minor cella.*[4]) *Melotes*, *quae etiam pera vocatur*, *pellis est caprina a collo pendens praecincta usque ad lumbos. Est autem habitus proprie necessarius ad operis*

---

[1]) dare (?).

[2]) σχῆμα.

[3]) Etymol. lib. 19. c. 34. n. 12.

[4]) Etymol. lib. 19. c. 24. n. 17.

exercitium. Fiebat autem prius, ut quidam aestimant, de pelliculis melonum (melotum), unde et melotae vocatae sunt.[1] Melos est animal dictum, vel quod sit rotundissimo membro, vel quod favum petat et assidue mella captet. Nam qualiter debeat esse vestis monachi, quae corpus contegat ac nuditatis et frigoris retundat injuriam, instituta patrum docent hoc modo: *Vestis quoque monachi .... ablactatus est super matre sua.*[2])

Sequitur: *De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia, in qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea, sed mensurata. Accipientes nova vetera semper reddant reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes et propter lavare ipsas res. Jam quod supra fuerit, superfluum est, amputari debet. Et pedules et quodcunque est vetustum, reddant, dum accipiunt novum.* Quod enim dicit *de quarum rerum omnium colore et grossitudine non causentur monachi*, ita intelligitur: non debent monachi causari, si pedules albi fuerint, et tunicae fuscae, i. e. pedules alterius coloris fuerint, et alterius tunicae atque alterius cucullae, aut si grossi[3]) fuerint, sed quales inveniri possunt in provincia, in qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Usque modo admonuit monachos, ut de colore aut grossitudine vestium non causentur, quia mortificati debent esse; mortui enim non requirunt nobilia vestimenta, verum etiam nulla. Nunc autem cum dicit *quales inveniri possunt aut quod vilius comparari potest*, admonet abbatem. Attendendum est, quia non dicit: vile aut vilissimum, sed dicit vilius, i. e. mediocre. Et iterum castigat abbatem, cum dicit *abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta.* Quod

---

[1]) Etymol. lib. 19. c. 24. n. 19.

[2]) Cassiani coenobior. instit. lib. 1. c. 3. et c. 4. (Migne, tom. 49. col. 64—68.)

[3]) grossae. Cod. Divion. ex Marten.

enim dicit *sufficit monacho, duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes et propter lavare* — tunica attinet ad lavare, cuculla autem attinet ad frigus. Istud enim, quod dicit *vetustum quod est, reddant*, intelligitur: quod non potest portari. Istud autem vetustum, quod superius dicit *in aestate vetusta*, attinet ad illud vestimentum, quod vetus est et potest portari. Ideo enim dicit *quales in provincia inveniri possunt*, quia, si ita non dixisset, fuissent multi, qui in alienam provincia missent et ibi bona emissent, quae bona, quamvis in illa provincia, ubi facta sunt, viliora sunt, tamen in illa provincia, ubi monachi habitant, bona sunt. Provincia enim est, quae regem habet, veluti est Longobardia, Tuscia, Saxonia, Romania et reliq. *Provinciae autem*, sicut Isidorus dicit, *ex causa vocabulum acceperunt; principatus namque gentium, qui ad reges alios pertinebant, cum in jus suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt. Sciendum sane, quod quaedam provinciae primum de nomine auctoris appellatae sunt, postea a provincia gentis nomen est factum; nam ab Italo Italia, et rursus ab Italia Italus; et sic utimur ipso nomine gentis, quomodo fuit ipsum nomen auctoris, unde derivatum est nomen provinciae. Ex quo accidit, ex uno homine nominari et civitatem et regionem et gentem.*[1])

Sequitur: *Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant, quae revertentes lota ibi restituant: et cucullae et tunicae sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modice meliores. Quas exeuntes in via accipiant de vestiario, et revertentes lota ibi restituant.* Femoralia enim non dicit, ut generaliter habeant in monasterio, sicut in via, nisi quibus necessitas incumbit. Verum illa femoralia, cum illis dant, non in capitulo dant, et non sicut alia vestimenta generaliter, sed seorsum, quibus providet abbas necesse esse, ubi non generaliter illa aut accipiunt, aut tamen, si accipiunt, non generaliter portant. Quod enim dicit: *et cucullae et tunicae sint his, quas habere soliti sunt, modice meliores,*

[1]) Etymol. lib. 14. c. 5. n. 18. 19.

quas exeuntes in via accipiant, non dicit, cum prope vadunt ad notos homines, qui eos cognoscunt, sed quando longius ire debent, tunc accipere debeant. In hoc loco manifestatur, quia illa vestimenta, quae in monasterio habentur, vestiarius debet dare in capitulo. Ceterum vero, i. e. filum et palastrum potest dare foris capitulo. Quod autem dicit: vestimenta de vestiario debent accipere, qui in via diriguntur, ista fuit intentio S. Benedicti: [quia] mortificaverat [S. Benedictus] monachum, cum dixit, omni vilitate et extremitate debere esse contentum —[1]) quod enim dixit *quod vilius emi potuerit*, noluit[2]) illam mortificationem foris manifestare, sed cooperire, i. e. si portans sagum aut aliquem pannum in monasterio voluerit portare foras, tunc erit majus opprobrium quam mortificatio; nam illi, qui bona vestimenta portant intus, non debent alia vestimenta portare. Verum sunt alii, qui meliora vestimenta in monasterio portant, quam illa, quae S. Benedictus dixit in vestiario reservanda propter foris portanda. Non est via, si in obedientia vadit, veluti est in cella; sed illa est via, cum aut ad episcopum aut ad nobiles potentes homines vadit ignotos. Et non solum alia vestimenta debemus portare, cum in via imus, verum etiam si talis persona, quae est nobilis, venit ad monasterium, tunc ille frater, qui illi ministrare debet, meliora vestimenta debet habere propter fastidium rusticae monasticae vestis, quod antiqui monopsiath vocabant.

Sequitur: *Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena et capitale, quae tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne inveniatur; et si cui inventum fuerit, quod ab abbate non acceperit, gravissimae disciplinae subjaceat. Et ut hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab abbate, quae sunt necessaria, i. e. cuculla, tunica, pedules, caligae, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulae, ut omnis auferatur necessitatis ex-*

---

[1]) Anacoluthon (?).

[2]) noluit tamen . . .

cusatio; a quo tamen abbate semper consideretur illa sententia actuum apostolorum, quia dabatur singulis, prout cuique opus erat. Ita ergo et abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet. Hoc vero, quod dicit *frequenter scrutanda sunt lecta ab abbate*, isto modo debet fieri: Mane enim, quando capitulum fit, debet dicere abbas: Quod debuimus enim facere, non fecimus; vos enim fratres debuistis admonere, ut fecissemus. Cumque responderint fratres: Quae? debet dicere: lecta fratrum debuissemus scrutari; jam quia factum non fuit, debemus facere modo. Tunc nullus debet exire in illa hora de capitulo exceptis his, quos abbas decreverit. Nam debet abbas dirigere quatuor aut quinque juxta quantitatem fratrum, tales fratres, qui bonae sunt conversationis, ut scrutentur lecta fratrum. Deinde si aliquid invenerint, tunc debent deferre illud ante pedes illius, in cujus vel apud cujus lectum inventum fuerit. Deinde debet abbas interrogare fratrem illum, apud quem inventum est aliquid, quod per licentiam non habebat: quae est causa? Deinde si cognoverit ille abbas, illam esse rem, quam ipse dedit illi, tunc debet dicere, quia ego dedi, et tunc liberabitur ille frater. Si autem fuerit talis res, quam debuit reddere et non reddidit, veluti est cultellus, tabulae, mappula vel talis res, quas debuit reddere,[1]) sicut dixi, et non reddidit, si est hebdomada una, tunc sola illa confessione, qua dicit: mea culpa, liberabitur. Si autem plus est, ex quo debuit reddere et non reddidit, tunc in minori culpa tenendus est. Sed tamen plus gravius corripiendus est, i. e. aut debet unum gradum transcendere, hoc est si debuit corripi, tunc excommunicetur, aut certe in primo gradu plus durius est arguendus, i. e. si debuit publice admoneri, in ipsa admonitione publica durius arguatur, sicut jam diximus. Ubi dicit *districtiori disciplinae regulari subjaceat*, hoc modo debet intelligi *gravissimae*, sicut *districtiori*. Si autem furtim habuit illam rem, si

---

[1]) quae debuit reddi. Cod. Tegerns.

grandis est, sicut jam diximus, i. e. quatuor valens denariis, eo modo in minori culpa judicandus est. Si autem major est, tunc debet res incendi, et ipse in graviori culpa judicandus est. Si autem aliquis aut parens vel amicus aut cappam aut pannum vel denarios illi donaverit, et ille dixerit: quia oblivioni tradidi, et ideo non dedi, tunc debet inspici persona, si credibilis est annon. Si autem credibilis est, tunc liberabitur, si vero credibilis non est, tunc in graviori culpa judicandus est. Verum etiam potest isto modo dinosci, si illam rem semper habuit absconsam, aut forte in palam vestivit. Si autem absconse habuit, ut alii iterum debuisset illam rem absconse donare, furtum dignoscitur esse. Istud vero quod dicit *gravissimae vindictae subjaceat*, duobus modis, quos praediximus, intelligitur, i. e. aut graviori aut minori vindictae. — *Femora dicta sunt*, sicut Isidorus dicit, *quod ea parte a femina sexus viri discrepet; sunt autem ab inguinibus usque ad genua.*[1] Unde et femoralia — Bracae dictae, quod sint breves et verecunda corporis iis velentur, idem et femoralia, eo quod femora tegunt. *Stratus a sternendo dictus, quasi »storiatus«; in his solis antiqui ad dormiendum accubabant, nondum laneis stramentis repertis. Storia, quod sit terra strata, unde et stramenta.*[2] Matta vero est storia de papiris cum villis. *Sagum autem gallicum nomen est; dictum autem sagum quadrum, eo quod apud eos primum quadratum vel quadruplex est.*[3] Sagum dicitur trapelion. Lena dicitur toga duplex sive vestis regia Mappula dicitur manua, i. e. a manu. *Graphium enim graece latine scriptorium dicitur; nam γραφὴ scriptura est.*[4] *Tabulae a veteribus tagulae vocabantur, i. e. a tegendo, unde et tegulae.*[5] *Tunicae serpentum exuviae nuncupantur, eo quod his, quando senescunt, sese exuunt, quibus exuti in juventam redeunt. Dicuntur*

[1]) Etymolog. lib. 11. n. 106.
[2]) Etymol. lib. 20. c. 11.
[3]) Etymol. lib. 19. c. 24. n. 13.
[4]) Etymol. lib. 6. c. 9.
[5]) Etymol. lib. 19. c. 19. n. 8.

autem exuviae et induviae, quia exuuntur et induuntur.[1]) Sive tunica dicitur a tuendo vel etiam a tonando. Ideo dixit, meliores in via vestes portare, ne hypocritae esse videantur. Mappulam ideo praecipit dari causa sudoris tergendi in labore aut in via. Nam in Francia intelligitur, pro sudore et in via dixisse S. Benedictum mappulam habere; et quamquam forte intentio fuit S. Benedicti, ut etiam in monasterio pro facitergulo habeatur mappula, tamen modo in Francia in commune habetur pannos,[2]) ubi sibi fratres faciem tergunt. Nam sciendum est, quia non fuit intentio S. Benedicti, ut specialiter quis habeat facitergulum, sed sicut dixi in commune. Ea vero facitergia, quae ad caput habentur, superflua sunt, quia S. Benedictus de his non dixit. Nam non pro loco facitergii ipsa mappula debet haberi, quia, sicut dixi, in commune debent habere pannos, ubi se fratres faciem tergant. Mensura enim mappulae duo debent esse cubiti praeter oram in longitudinem, et unius pedis latitudinis. Et hoc sciendum est, quia si necessitas est caloris, potest ille monachus sine pedulibus jacere, ita tamen, ut ad nocturnas statim, ut surgit, debet illos indui et sic cum illis debet ire in ecclesiam. Nam in nullo tempore sine ipsis ire monachus debet, et fasciolas non debet habere. Quod si vult cum ipsis jacere, potest jacere, quia sic debet, si potest fieri. Ante debet sine femoralibus jacere, quam sine pedulibus. Pro concessione dixi, i. e. pro condescensione, sine pedulibus jacere; ita tamen, ad nocturnas debet illos indui. De sapone enim ita faciendum est: debet enim in uno loco constitutus esse sapon et pectines juxta multitudinem fratrum, tres aut quatuor, ita ligati, ut non possit quis illos furari. In illo quippe loco, ubi se fratres faciem lavant, debent esse ligati. Debet enim ibi habere facitergios quinque aut sex juxta multitudinem fratrum, ubi fratres faciem lavant et tergunt et

[1]) Etymol. lib. 12. c. 4. n. 47.
[2]) pannus (?)
= habentur panni. Cod. Divion. ex Marten.

pectinant. Nam facitergios nullatenus debent specialiter habere tam abbas quam monachi secundum auctoritatem sanctae regulae, praeter sicut superius diximus. De sapone quippe, si forte furatum fuerit, [tunc] debet facere pensari per mensuram abbas, ut omnes aequaliter habeant, sicut regula dicit praeter eos, qui plus indigent. Isto modo debet facere: debet enim saponem adducere in capitulum et omnibus aequali mensura ipsum saponem debet dare, unicuique juxta quantum praevidet prior, ut possit sufficere; ita tamen ut omnes aequaliter accipiant et uno tempore praeter eos, qui forte prae infirmitate plus indigent. Tunc debet abbas illis dare unicuique vasculum, ubi possit saponem servare ad lectum, et de hoc sapone solummodo manus et faciem debent lavare. Ad pannos autem, sicut diximus superius, — illi fratres, qui praeparant aquam et conchas ad pannos lavandos in tertia feria, [illi] etiam debent praeparare saponem ad sacerdotum manus lavandas tempore, cum missam debent cantare. Ille sacrista debet praeparare, saponem, et unusquisque, qui obedientiam habet, ubi opus sit, manus lavare, debet alium saponem habere, veluti est cellararius, infirmarius. Item magister infantum debet habere ad opus infantum simili modo pannos, unum aut duos juxta quantitatem infantum, et pectines et saponem in illo loco, ubi faciem lavant vel tergunt. Simili modo debet et unctum ad calcearios[1]) unguendos habere ad opus fratrum sive infantum. Isto modo debet esse, i. e. debet locum habere talem, ubi sit unctus communiter. Jam si talis fuerit necessitas, quia furatur aliquis illud unguentum, tunc debet pensare aequaliter et per singulos fratres dare usque ad praefinitum tempus in eodem vasculo, ubi saponem acceperunt. Hoc notandum est, quia illud vasculum, in quo saponem et unctum debent habere per singulos monachos, i. e. debet habere unusquisque unam capsam talem, in qua et unctum et saponem frater possit habere ad lectum suum. Notandum enim est, quia sunt talia monasteria, ubi, cum

[1]) calceos (?).

necessitas fuerit, femoralia de vestiario accipiunt; ista monasteria omnino bona sunt. Et iterum sunt alia monasteria, ubi omnes generaliter accipiunt femoralia, sed tamen non omnes generaliter semper utuntur, nisi cum necessitas exposcit, quamvis omnes generaliter illa accipiant. Ista monasteria bona sunt, eo quod illa maxima pars semper non portat. Et iterum sunt alia monasteria, ubi omnes generaliter accipiunt et generaliter portant; ista monasteria non sunt laudabilia; verum ubi generaliter accipiunt et generaliter illa utuntur, tunc sicut alia vestimenta in capitulo debent accipere.

Cap. LVI.

DE MENSA ABBATIS.

Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, cum dicit de mensa abbatis. Superius enim dixerat de susceptione hospitum, deinde quia solent hospites offerre aliquid fratribus, ne monachus sine licentia accipiat ea, quae ipse hospes dare voluerit, constrinxit monachum, ne illa sine licentia accipiat. Et iterum ne forte murmuret monachus: quare ita constrictus sum, ut non accipiam propter meam necessitatem, quod mihi amicus vel propinquus transmittit aut donat? ideo S. Benedictus studuit statim subjungere de calciamentis vel aliis necessitatibus tribuendis, quatenus malum murmurationis oriri non possit. Deindeque subjunxit etiam, cum quibus isti hospites, qui veniunt, manducare debeant, cum hoc capitulum constituit, in quo docet, ut ipse abbas cum ipsis hospitibus manducare studeat. Sed de loco, ubi ipse abbas manducet cum hospitibus, dubitatio apud quosdam existit. De qua dubitatione, qualiter certius teneatur, secundum quod Deus dederit, juxta capacitatem nostri sensus nunc dicemus.

Ait enim: *Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper.* Mensa enim a mense dicta est, sicut Cassiodorus dicit,[1]) quia eodem die convivia ritu gentilium exer-

[1]) Expos. in Psalm. 22. v. 6.

cebantur. Attendendum est in hoc loco, quia B. Benedictus hospitalitatem et humanitatem docuit. Hospites sunt, qui de eadem regione sunt, i. e. de prope. Peregrini sunt, qui de alia regione. Peregrinus enim dicitur, sicut dicit Cassiodorus,[1]) quasi pergens longius.

Sequitur: *Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorem tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam.*

Quaeritur in hoc loco, ubi debet abbas manducare, utrum in refectorio, an foris? Sunt alii, qui dicunt, quia in refectorio debet manducare. Quomodo ergo dimittere debet fratres duos cum fratribus in refectorio, si ille debet manducare ibi? Qui respondentes dicunt: propterea dixit B. Benedictus, seniores dimittere, quia sunt talia refectoria, in quibus ita sedent fratres propter multitudinem fratrum, ut ab abbate non possint videri, veluti sunt in S. Gallo. Et iterum sunt plurimi, qui dicunt, abbatem foris manducare debere, eo modo, cum silentio et lectione. Ubi animadvertendum est, quia si ille abbas ita fuerit mortificatus, sicut ista regula dicit, non est malum suspicandum de illo. Si autem fuerit gulosus et vagus et non ita mortificatus, sicut regula dicit, non solum non debet illic manducare, verum etiam ullam abbatiam non habere. Quod autem dicit *quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate*, non debet intelligi, ut illos, quos ad suum libitum vult, i. e. decanum aut praepositum sine necessitate, sed illos debet vocare, qui debiles sunt, quibus necessitas fuerit. Forte dicit aliquis. Quare illos debiles et non alios, cum regula non dicit: debiles, sed quos vult? Cui respondendum est, quia voluntas abbatis secundum sacram regulam semper debet esse bona. Sacra enim regula dicit: semper indigentium necessitatem debet inspicere, non voluntatem invidentium, et secundum necessitatem uniuscujusque debet illi tribuere; non debet considerare personas, sed necessitates,

[1]) Expos. in Psalm. 39. v. 15.

quia S. Benedictus non dat illi licentiam, ut contra rationem aliquid agat vel disponat, sed juste et recte debet agere et disponere. Forte dicit aliquis: Quare S. Benedictus praecepit abbati cum hospite manducare, cum alibi praeceperat, omnem necessitatem et omnem humanitatem hospiti exhiberi? Jam si ille abbas cum hospite debet manducare et hospiti omnem necessitatem et humanitatem exhibere, ergo abbas non videtur bonum exemplum dare fratribus? Cui respondendum est: intentio S. Benedicti fuit, et ideo illum mortificat, ut nihil contra regulam agat aut disponat; et quia ille mortificatus debet esse, ideo ut magis exemplum det fratribus, praecepit illi cum hospite manducare, ut cum ille de quatuor vel quinque pulmentis plus nil sumpserit, quam de tribus, et ibi continens fuerit, ceteri forte, qui de tribus pulmentariis nimium sumere cupierint, ejus exemplum capiant et doceantur, de tribus pulmentis mensurate manducare, si eorum abbas de pluribus pulmentis tantum manducat, quantum de tribus. Similiter et de honestate sentiendum est. De loco vero non satis claret, ubi manducare debeat. Potuit enim plenius intelligi, foris manducare debere, si non invenirentur talia refectoria, quae superius diximus, ita habere mensas ordinatas, ut omnes fratres ab abbate non possint videri. Sed hoc quid erit? Nam si ille talis est, qualem ista regula dicit, non est de illo malum suspicandum, ubicunque manducaverit. Forte dicit aliquis: Quare debet coquina abbatis juxta coquinam fratrum esse, si abbas extra refectorium debet manducare? Cui respondendum est: Illi, qui dicunt, abbatem non debere manducare extra refectorium, dicunt, coquinam abbatis esse erga coquinam monachorum. Notandum est enim, sicut diximus, quia de mensa abbatis, ubi esse debet, i. e. utrum in refectorio cum mensis fratrum, an extra refectorium, varie intelligitur. Aliter enim intelligunt spirituales abbates, aliter carnales. Dicunt quidem carnales abbates, quia cum hospitibus extra refectorium debet esse mensa abbatis. Assumunt in adjutorium sui erroris illud, quod S. Benedictus dicit: *Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fra-*

tribus vocare, in ipsius sit potestate; seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam. Quid enim necesse fuerat S. Benedicto dicere: *unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam*, si in refectorio abbas manducare debuisset, cum ipse abbas, si ibi manducat, potest disciplinam habere, ne aliquid inhoneste aut agatur aut loquatur?[1]) Et in eo, quod dicit *dimittendum*, apparet, quod alibi est ipse abbas et alibi sunt illi, super quos dimittuntur seniores propter disciplinam, et non insimul. Et ideo, quia dicit *dimittendum procuret*, vult, ut alibi sit abbas, et alibi sint fratres, cum quibus seniores dimitti jubet. Isti tales, qui ita intelligunt, quia carnales sunt, non spiritaliter intelligunt nec secundum intentionem S. Benedicti. Scimus autem, quia S. Benedictus spiritalis homo fuit et Deo devotissime deserviens, et ideo per hanc regulam ad instruendam vitam se sequentium spiritaliter vivere docuit. Ille enim docet et admonet abbatem, ut abbas nomen majoris factis implere debeat et magis exemplis, quam verbis, suos discipulos debeat docere, sicut habes: *Ergo cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis*, *i. e. omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat;* et iterum: *Omnia vero, quae discipulos docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.* Ac per hoc, si foris, i. e. extra refectorium manducaverit, jam non factis suos discipulos docebit, quia sui discipuli eum non vident, cum quanta moderatione, cum quanto silentio et cum quanta gravitate cum hospitibus manducat, sed magis ex hoc occasionem habere potest ipse abbas, si carnalis fuerit, cum foris manducaverit, aliquid loquendi aut inhoneste aliquid agendi; et cum hoc factum fuerit, in suis factis docet discipulos agere ea, quae agenda non sunt, cum debet in suis factis docere et non agere, quae agenda non sunt. Unde si in refectorio manducaverit cum illis hospitibus, cum quibus in refectorio

[1]) aut quis loquatur. Martenius ex Cod. Divionens.

debet manducare, tria bona erunt, quae ad salutem animae attinent, unum videlicet, quia exemplo suo docet, cum quanto silentio, cum quanta mensura et moderatione atque gravitate manducare[1]) debet cum hospitibus; secundum bonum est, ut hospites, cum viderint tam abbatem quam et monachos cum timore Dei et cum reverentia atque moderatione sive etiam gravitate manducare,[2]) glorificent Dominum, sicut Dominus dicit: *Videntes vestra bona opera et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est;* et quandoque Domino miserante ipsi hospites contemnentes ea, quae saeculi sunt, ad Dei servitutem venire festinabunt; tertium etiam bonum est, quia cum hoc fecerit, i. e. cum abbas in refectorio manducaverit, implebit illud, quod, sicut dictum est, S. Benedictus praecepit dicens, ut simul omnes dicant versum et orent et sub uno omnes accedant ad mensam. Vel quomodo potest esse verum hoc, quod dicunt, ut S. Benedictus dicat, abbatem non in refectorio cum fratribus et hospitibus manducare debere, sed extra refectorium cum hospitibus, cum superius dicat: *ad mensam autem, qui ante versum non occurrerit, ut insimul omnes dicant versum et orent, et sub uno omnes accedant ad mensam?* Ecce hic dicit, omnes accedere ad mensam et non exceptavit abbatem dicens *excepto abbate, qui cum hospitibus manducaturus est*, sed tantum dixit *omnes dicant versum.* Et hoc non sufficit ei semel dicere *omnes*, sed bis, cum subjunxit *et sub uno »omnes« accedant ad mensam.* Ac per hoc, cum ita intelligendum est, ut abbatis mensa in refectorio cum mensis fratrum esse debeat, illud, quod dicit S. Benedictus: *seniorem tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam*, [ita] discrete et rationabiliter intelligi debet. Dixit enim S. Benedictus in superiori capitulo, ubi de susceptione hospitum docet, ut abbas, si hospes ante legitimam horam refectionis venerit, debeat rumpere jejunium et cum hospite manducare, si non tale sit jejunium,

---

[1]) manducari (?).

[2]) cf. Cod. Divionens.

quorum non licet, sicut habes: *Jejunium a priore frangatur propter hospites; nisi forte praecipuus sit dies jejunii, qui violari non possit. Fratres autem consuetudinem jejuniorum prosequantur.* Et ideo, cum dicit abbati, suum jejunium frangere, hoc est, ante horam legitimam manducare, [et] fratres omnes non debere[1]) manducare, exceptis his, quos S. Benedictus jussit, eo quod prandium forte erit magnum, et hospites pauci, et ita pauci, ut superet prandium, quatenus ne superfluum manducent, quia pauci hospites sunt, sed cito et moderate ipsum prandium consumtum fiat. Sic enim S. Benedictus in isto prandio fieri jussit, cum fratres vocare praecepit, sicut Dominus praecepit Judaeis de comedendo pascha ita dicens: *si autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum, qui conjunctus est domui ejus juxta numerum animarum*, quae sufficere possunt ad esum agni, quatenus ista comestio fiat festine consumta et modesta absque superfluitate. Ita S. Benedictus fecisse videtur in hoc loco, sicut diximus; nam consuetudo scripturae divinae est, aliquando ita dicere, quasi ad omnes vel de omnibus dicat, cum non de omnibus vel ad omnes loquatur, veluti S. Paulus apostolus facere cognoscitur, cum Corinthiis loquitur; ait enim: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Quia[2]) adhuc adjungit et dicit: *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Ecce, gratiam Dei datam asserit, factos in omnibus divites dicit, in omni verbo et in omni scientia, Christi testimonium, i. e. quod de semetipso moriendo et resurgendo testatus est, in eorum vita confirmatum esse perhibet, et nihil eis deesse in ulla gratia testatur. Quis hoc credat, quia paulo post eos corripiat, quos ita laudat? Nam post cetera subjunxit: *Obsecro*

[1]) debent (?).
[2]) quin (?).

autem vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata. Quid enim potuit tam perfectis tamque laudabilibus schisma subripere? *Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Chloes, quia sunt contentiones inter vos. Hoc autem dico, ut unusquisque vestrum dicit: »Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi«.* Ecce, quos in omni verbo et in omni sapientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens ad increpandum leniter veniens divisos erga se ipsos reprehendit, et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Numquid mentitus est Paulus, ut prius eis nihil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat, unitatem deesse? Absit hoc! quis de illo talia vel desipiens credat? Sed [quia] erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus excessivi. Ecce in hoc loco non debemus intelligere omnes Corinthios laudasse, sed quosdam, cum dicit: *»In omnibus divites facti estis et nihil in ulla gratia vobis deest«.* Et quosdam ex illis debemus intelligere increpasse propter divisionem, quia divisi erant, cum se alii dicebant esse a Paulo, alii vero Cephae, alii autem Christi; quamquam videatur ita laudere Corinthios, quasi omnes laudasset. Ita etiam in hoc loco S. Benedictus intelligitur fecisse, cum dicit: *seniorem tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret propter disciplinam*, quasi [cum] de omni tempore dicat, quo cum hospitibus manducat; sed de illo tempore dicit, quo ante horam legitimam cum hospitibus, sicut diximus, manducat, eo quod non sibi contrarius est S. Benedictus, cum superius dicit, omnes simul orare ad mensam et simul dicere versum et omnes sub uno accedere ad mensam. Similiter Dominus legitur in evangelio dixisse discipulis suis, cum prius eis dicit: *Quo ego vado scitis et viam scitis,* et inferius dicit: *Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis.* Unde in hoc loco, ut recte intelligatur, debemus cognoscere, quia quidam erant, qui sciebant eum, quidam vero non; ac per hoc illis, qui sciebant,

intelligendum est dixisse: *et viam scitis et quo vado scitis*, nescientibus, quorum unus erat Thomas, dixit: *Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis.* Et ideo necesse est, ut lector discretus sit in intelligendo, quatenus in ipsa scriptura divina, quae Domino dictante veracissima est et valde discreta, aliqua contrarietas non inveniatur. Ac per hoc, sicut in dictis Domini et Pauli necessaria est discretio, ut intelligatur, aliis dixisse illud, i. e. laudem, qua digni erant, aliis dixisse errorem divisionis, quo increpandi erant; et Dominus aliis dixit, scire, et alios increpaverit, quia nesciebant, sicut Thomam;[1]) nam si omni tempore intelligitur dixisse Pater Benedictus, esse dimittendum unum aut duos seniores cum fratribus propter disciplinam, ut velit abbatem semper extra refectorium manducare, magis occasionem peccati procreat atque transgressionem praecepti, quam aedificationem generet animae, quia si abbas foris manducaverit, tunc si carnalis fuerit, manducabit more vanorum hominum cum scurrilitate atque levitate et joco. Transgressio quippe praecepti erit in eo, quod regula dicit, omnes simul accedere ad mensam, et non omnes accedent simul, eo quod nec abbas erit ibi neque qui cum abbate manducaverint. Et quia S. Benedictus cognovit, carnales homines invenire jocandi atque aliquid scurriliter agendi,[2]) inde praecepit superius, ut ille, qui pro sua tarditate [quia] tarde venit ad officium nocturnum, intrare[3]) intus, dicens: *quia forte erit talis, qui se aut recollocet aut fabulis vacet, et datur occasio maligno* — et propterea praecepit, ut ingrediatur intro. Similiter et in hoc loco facere videtur, eo quod cognoverat, juvenes et adolescentes agere aliquid inhoneste et vanitates loqui, si non viderint abbatem vel eos priores, quos revereutur et timent, et ideo, ne occasionem isti ita faciendi inveniant, praecepit, ut cum eis unus vel

---

[1]) Hoc loco, apodosis omissa esse videtur: ita etiam in dictis S. Benedicti necessaria est discretio.

[2]) occasiones (?).

[3]) intret (?).

duo seniores dimittantur, quatenus duo sint, unum, ut abbas cum hospitibus faciat caritatem, alterum, ut negligentes peccandi occasionem non inveniant.

Cap. LVII.

DE ARTIFICIBUS MONASTERII.

Sciendum est enim, quia nunc novo ordine adgreditur S. Benedictus, cum dixit de mensa abbatis et post subjunxit de artificibus monasterii. Sed hoc sciendum est, quia quamquam novo ordine dixerit de artificibus monasterii, tamen rectum ordinem tenuit, cum subjunxit de disciplina suscipiendorum fratrum. Quasi quis interrogasset S. Benedictum dicens: Quomodo possunt esse docti artifices, sicut tu jubes, et qualiter docendi sunt, ut sint tales, sicut tu jubes? Ille vero quasi respondens subjunxit de ordine suscipiendorum fratrum, quasi diceret: ut tales possint esse, ita debent ordinate suscipi, sicuti inferius dicemus. Nunc vero prius, sicut coepimus, de ipsis artificibus disponamus. Ait enim: *Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis evellatur*[1] *ab ipsa arte et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat.* Attendendum est, quia non dixit solummodo *cum humilitate*, sed *cum omni humilitate*, h. e. tam mentis quam corporis. Et non dixit solummodo *omni humilitate*, sed subjunxit *si permiserit abbas*, ac si diceret: tunc faciat illas artes cum omni humilitate, si abbas jusserit. *Erigatur*, i. e. evellatur. Et hoc notandum est, quia iste, qui pro scientia sua extollitur, non alteri subjacere debet poenitentiae, nisi ut evellatur ab ipsa arte, i. e. ut non exerceat illam. Hoc vero quod dicit *nisi forte humiliato ei iterum abbas jubeat*, attendendum est, quia dicit, ut non debeat pro extollentia artis suae iterum exercere, hoc est, quod

[1]) erigatur.

jubet: per illam non transeat, nisi ille humiliatus fuerit, ut abbas jusserit. Et hoc intuendum est, quia duo dicit, unum: si non humiliaverit, abbas non habet potestatem dandi exercendi illas artes; alterum: etiamsi humiliatus fuerit, non debeat exercere, nisi abbas jubeat.

Sequitur: *Si quid vero ex operibus artificum venumdandum est, videant ipsi, per quorum manus transienda sunt, ne aliquam fraudem praesumant inferre. Memorentur semper Ananiae et Saphirae, ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non surripiat avaritiae malum, sed semper aliquantulum vilius detur, quam ab aliis saecularibus, ut in omnibus glorificetur Deus.* — *Transienda sunt*, i. e. transierunt. Sciendum enim est, quia in eo quod dicit S. Benedictus *si quid venumdandum est*, ostendit, non esse periculum, si monachi suas res vendunt, ita tamen, ut vilius vendant, sicut ipse dicit S. Benedictus, et non ut lucrum faciant, sicut solent facere homines, qui minus comparant et plus vendunt causa amplificandi. Nam et emere possunt, sicut apostoli leguntur emisse cibos, sed non ut augeatur pecunia, sed ut suppleatur necessitas. Quod autem dicit *aliquantulum vilius*, ita agendum est, i. e. si alii volunt dare pro illa re viginti denarios, tu debes dare uno minus, i. e. pro decem et novem. Et quamvis non specialiter dicat regula, tamen subintelligitur, ut sic, cum emis aliquam rem, pro qua alii volunt dare XX denarios, tu debes dare XXI. Artifex est: grammaticus, cantor. Tamen in hoc loco non dicit de grammatico, sed de illo artifice, cujus artem vendere potes, veluti sunt fabri, caligarii et lignarii etc.

Artifex, sicut Isidorus dicit, *generaliter vocatur, quod artem faciat, sicuti aurifex, qui aurum.* »*Faxo*« enim antiqui pro *facio* dicebant.[1]) De eo quod alii sunt negotiatores illi, qui ipsam eandem rem comparando et emendo lucrum

[1]) Etymol. lib. 19. c. 1. n. 2.

faciant, et amplificant pecuniam discurrendo per diversas nundinas et diversas regiones; et alii iterum sunt, qui rem artificiose operatam manibus suis causa suae necessitatis vendunt[1]) — de quibus Joannes, aureum os, de verbis Domini, quibus dicitur: *et ejiciebat vendentes et ementes in templo*, docet hoc modo dicens; ait enim: *Et ejiciebat vendentes et ementes .... nec minuitur, nec veterascit.*[2]) Quod vero dicit: *ne forte mortem, quam Ananias et Saphira in corpore pertulerunt. hanc isti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur* et reliq., verum est, quod Ananias et Saphira in corpore pertulerunt mortem, tamen utrum in anima pertulissent, annon, certus non sum. Et hoc notandum est, quia hoc, quod dicit S. Benedictus: ut mortem, quam Ananias et Saphira pertulerunt — non fuit intentio S. Benedicti, ut cum dicit mortem corporis, definiret mortem illius Ananiae, utrum in anima fuisset mortuus, annon; sed quia intentio illius fuit, ut diceret, quam poenam debuissent illi habere, qui fraudem in monasterio fecerint, ideo mortem illorum in corpore dixit, quatenus visa poena, quam illi in anima perferre deberent, constringatur illorum mens, qui aliquam fraudem de rebus monasterii facere conantur. Nam de morte animae Ananiae et Saphirae nihil dicit, utrum fuissent ita in anima mortui, sicut in corpore. Quod vero dicit *ne forte mortem* et reliq. non dicit istud *forte* dubitando, ut de morte Ananiae et Saphirae dubitaret, sed ne contingat illis facientibus fraudem in monasterio illa mors in anima, quam Ananias et Saphira in corpore pertulerunt. *Mors est dicta*, sicut dicit Isidorus, *quod sit amara*,[3]) vel a morsu primi hominis appellata; nam cum primus homo, humani generis parens, lignum vetitum per inobedientiam contigit, per morsum mortem incurrit, unde et a morsu *mors* ipsa utique appellatur.

---

[1]) Anacoluthon.

[2]) Opus imperf. in Matth. hom. 38. ex cap. 21. (Migne, patrolog. graec. tom. 56. col. 839. 840.)

[3]) Etymol. lib. 11. c. 2. n. 31.

Cap. LVIII.

DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM.

Dicta autem ratione de artificibus monasterii nunc, sicut superius diximus, dicamus etiam de novitiis ordine suo, qualiter suscipiendi sunt, quorum capituli titulus iste debet esse: *De disciplina suscipiendorum fratrum. Disciplina* enim dicitur non solum correptio vel excommunicatio aut flagellum, sicut superius dicitur, sed etiam ordo et exercitio alicujus operis. Et quia in multis modis dicitur *disciplina*, ideo subjunxit *suscipiendorum;* et est sensus, cum dicit *De disciplina suscipiendorum fratrum*, i. e. de ordine suscipiendorum fratrum. *Disciplina a discendo nomen accepit*, sicut dicit Isidorus, *unde et scientia dici potest. Nam scire dictum est a discere, quia nemo nostrum scit, nisi qui discit. Aliter dicta disciplina, quia discitur plena.*[1]) *Disciplinae liberalium artium septem sunt: prima grammatica, i. e. loquendi peritia; secunda rhetorica, quae propter nitorem et copiam eloquentiae suae maxime in civilibus quaestionibus necessaria existimatur; tertia dialectica, cognomento logica, quae disputationibus subtilissimis vera secernit a falsis; quarta arithmetica, quae continet numerorum causas et divisiones; quinta musica, quae in carminibus cantibusque consistit; sexta geometrica, quae mensuras dimensionesque complectitur; septima astronomia, quae continet legem astrorum.*[2])

Sequitur: *Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus.* Sciendum est enim, quia aliud est *conversatio* et aliud est *conversio.* Conversatio enim attinet ad vitam et ad habitationem, conversio vero est de saeculo ad Deum, sicut in hoc loco dicitur. Quidam namque libri habent *conversionem,* quidam vero *conversationem*, sed sicut mihi videtur, melius habent illi, qui dicunt *conversionem*, quam illi, qui *conversationem*, eo quod conversatio attinet ad habitationem et ad vitam sive bonam sive

[1]) Etymol. lib. 1. c. 1.
[2]) Etymol. lib. 1. c 2.

malam, conversio autem ad mutationem sive de malo in bonum, sive de bono in malum, veluti in hoc capitulo habetur, cum de conversatione saeculari ad monasticam vitam convertitur. *Non facilis,* i. e. non leviter, non citius; facilis, i. e. non levis, non citatus. Nemo debet alteri facile se credere, sicut dicit Ambrosius, nisi cujus virtutem probaverit.

Sequitur: *sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Quod dicit *probate spiritus, si ex Deo sunt* — ac si diceret: probate impetus spiritus, si ex Deo sunt. Varii enim sunt impetus; est enim impetus carnis, est impetus spiritus, est etiam impetus diaboli, est impetus Dei; sicut dicit scriptura: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.*[1] Et propterea quia varii sunt impetus, probandi sunt, quia solet diabolus immittere homini, ut vadat in monasterium, ut se et alium decipiat.

Sequitur: *Ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi injurias et difficultates ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus.* Ita construitur, i. e. annuatur, h. e. concedatur, tribuatur ei ingressus post quatuor aut quinque dies, si veniens ad ingressus, hoc est fores monasterii et perseveraverit pulsans et visus fuerit portare illatas injurias et difficultatem et persistere petitioni suae. Ideo dixi *ad ingressus, hoc est fores monasterii,* quia ingressus accusativus casus est; et illud *ingressus,* ubi dicit *annuatur ingressus,* iste alter ingressus nominativus casus est. Ecce postquam constructum est, nunc dicendum est, qualiter fiat, i. e. cum venit ad monasterium quis, debet illi dicere injurias isto modo: Frater, tu forte fecisti furtum aut adulterium aut aliquod scelus: et nunc venisti ad monasterium et te decipere et alium. Sed tamen in prima vice duriter debet illi dicere injurias, in secunda autem vice jam leniter, et hoc facto vel dicto, si quatuor vel quinque

---

[1]) Ezech. 1, 12.

diebus istam moram vel injurias patienter portaverit, tunc debet illum suscipere in hospitale, sicut ipse dicit: *annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus.*

Postea autem sit in cella novitiorum, ubi meditetur et manducet et dormiat. Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat et sollicitus sit, si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Praedicentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum; et si promiserit de stabilitate sua perseverantiam, post duorum mensium circulum legatur ei haec regula per ordinem, et dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere, si vero non potes, liber discede et reliq. Hactenus S. Benedictus depinxit et designavit, quid facere illi novitio debeat. Sed ita construi debet, i. e. annuatur ei ingressus et tunc sit paucis diebus in cella hospitum, si promiserit de stabilitate sua perseverantiam, hoc est, duobus mensibus, et tunc legatur ei regula post circulum duorum mensium per ordinem. Nam quot sunt isti dies pauci, manifestat inferius, cum dicit *post duorum circulum mensium,* quia duobus mensibus debet stare in cella hospitum: *et post duorum circulum mensium legatur ei haec regula per ordinem et dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis; si potes observare, ingredere, si non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum*, i. e. quam superius diximus, *ubi meditetur*, i. e. discat et manducet et dormiat. *Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit,* et reliqua. Jam postquam construximus hoc, dicendum est nunc, qualiter faciendum sit, i. e. primum, postquam venerit ad monasterium, et debet suscipi, et non debet suscipi per quinque dies sub hac dubitatione. Ideo dico: debet suscipi et non suscipi, quia suscipi debet ad mansionem praebendam, non debet suscipi ad consensum praebendum. Deinde suscipiatur in cella hospitum adhuc laicus; debet enim illum suscipere ille, qui hospitale tenet, et debet illi imperare, ut discalceat hospites et faciat focum et serviat, quae necessaria sunt hospitibus, et debet ille

frater hospitalis illum admonere, qualiter obediens et mortificatus esse studeat. Si autem illum cognoverit frater hospitalis per duos menses, tunc debet dicere abbati ejus vitam et ejus sollicitudinem. Tunc debet illi legi regula — ac si diceret: non ante duos menses legatur ei regula, sed post duos menses. Attendendum est, quia absolute dicit *legatur regula*, subaudiendum est: ab illo, cui jusserit abbas. Bene dixit *legatur ei regula per ordinem*, ut sciat, quae observare debeat, et manifestare illi debet totum sensum regulae, et ob hoc sub duobus vel tribus diebus potest illi legere regulam et manifestare sensum regulae. Et debet dicere illi: *Ecce lex, sub qua militare vis.* Ista lex spiritalis est, et spiritaliter debet illi manifestare. Deinde postquam in hospitali legerit regulam, tunc, si adhuc steterit, debet se indui suis bonis vestimentis, et lorica et scuto et lancea et spata et balteo et debet se praeparare, sicut diximus, et debet venire in capitulum, sicut praeparatus est saecularibus vestibus et armis, et debet stare in capitulo. Tunc debet abbas illi facere sermonem de regno Dei, i. e. quanta gaudia Deus praeparavit his, qui pro suo nomine abrenuntiant saeculo et serviunt sibi. Deinde debet dicere, quanta poena praeparata est illis, qui saeculum deserunt, et postmodum negligentes et tepidi ad saeculum revertuntur. Et tunc debet dicere illi abbas: Quid vis? Ille respondens dicit: Volo arma deponere et Deo omnipotenti servire. Tunc ille abbas debet illi dicere: Audi frater, tu vis arma deponere, vide forte, si non potes observare regulam, tunc non licebit tibi ad saeculum reverti, quia canones Niceni concilii dicunt: »*Si homo, postquam arma deposuerit, reversus fuerit ad saeculum, decem annos poeniteat*« etc. Melius est, ut, quamvis hoc regula non dicat, demus tibi spatium, ut cogites de hoc apud te, si forte non potes adimplere; et tunc debet illi dare inducias. Et iterum si deliberaverit, tunc debet iterum venire in capitulum, et ibi coram fratribus aut balteum aut armillas aut spatam solummodo deponat. Jam si ille dixit: quia nullatenus revertor ad saeculum, tunc ibidem deponat omnia illa sua

vestimenta et debet radi et tunc debet aliis vestibus, i. e. clericalibus indui, et postmodum mittere[1]) in cellam novitiorum, et debet habere magistrum novitiorum, qui aptus sit ad lucrandas animas, et qui super eum omnino curiose intendat et sollicitus sit. Attendendum est, quia multi sapientes sunt et non sunt solliciti vel apti in ista sollicitudine. Intelligendus est intellectus et studium et fervor. Cum dicit *et curiose omnino super eum intendat*, i. e. vigilanter videat, si studiosus est ad opus Dei, i. e. postquam dixerit illi, qualiter cum festinatione debet ire ad opus Dei et ad obedientiam, tunc cognoscat sollicite, si studiosus est [pro bona] ad obprobria, i. e. contraria bonitati, quia *ob* ponitur pro *contra*; *probria* quasi *probra*, i. e. pro bona. *Praedicentur ei omnia dura et aspera, sicut scriptum est: »Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras«.* Dura et aspera unum significant. Et hoc notandum est, quia ille hospitalarius debet illum fratrem admonere, quatenus absque ulla mora audito signo vadat ad officium, et debet eum studiose providere in omnibus suis actibus, qualis sit. Debet enim ille magister novitiorum illum docere isto modo, i. e. debet facere per se lavare scutellas et scopare domum et cetera per omnia, sicut monachus acturus est, et cum manducat, lectionem audiat et sileat. Et ille magister novitiorum debet cum illo manducare et dormire, et per omnia intentus debet esse et nullo modo debet illum dimittere, et ita debet admoneri et corrigi et excommunicari et flagellari sicuti monachum.[2]) Quod enim dicit *liber discedat*, subaudiendum est: a professione monachica; nam non debet intelligi ita *liber discedat*, ut ad saeculum revertatur, quia canones Nicaeni concilii dicunt: *Qui arma deposuerit, non revertatur iterum ad saeculum.* Ita enim se habere videntur. Est enim capitulum duodecimum: *Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiae cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum*

---

1) mitti (?).

2) monachus (?).

sunt relapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent et beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum et speciem poenitentiae convenit explorare. Quotquot enim metu et lacrimis atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes tunc demum fidelibus in oratione communicent, postmodum vero licebit episcopo, de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt et habitum introeundi[1] *ecclesiam arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.* Hoc autem, quod dicit *liber discedat*, subaudiendum est: a professione monachica, quia si ante discesserit, debet subjectus esse lege canonica. Et episcopus illius parochiae non debet illum sinere ire ad saeculum secundum canonicam auctoritatem. Hoc notandum est, quia non debent novitios flagellare, si autem novitius in minoribus culpis invenitur, potest illum excommunicare, si talis fuerit culpa; si vero in gravioribus culpis inventus fuerit, debet expelli. Si autem humiliaverit se et dixerit, quia volo in omnibus vobis obediens esse, secundum quod cognoverit illum et intentionem ejus, tunc eum debet aut recipi aut expelli.[2] Similiter etiam de levioribus culpis facere debet. Sciendum est enim, quia tres distinctiones facit S. Benedictus in isto capitulo, i. e. ad portam monasterii quatuor vel quinque diebus antequam sermo concessionis ei dicatur. Deinde duobus mensibus in cella hospitum et postea in cella novitiorum decem mensibus. Sunt, qui intelligunt, quando promittit regulam, i. e. post unum annum debeat novitius radi et arma deponi. Isti non intelligunt bene, eo quod non intelligunt canones Nicaeni concilii, quid super hac ratione dicunt. Dicunt enim, decem annos poenitere, si ad saeculum reversus fuerit. Deinde sunt, qui intelligunt, ut

[1]) Non introeundi (?).

[2]) recipere aut expellere (?).

antequam in cellam novitiorum mittatur, debeat illi legi regula, et debet arma deponi atque radi, et postmodum esse in cella novitiorum, quia S. Benedictus semel dicit *liber discede*, cum dicit *legatur ei regula*. Nam in secunda vel tertia vice, cum dicit *legatur ei regula*, non subjungit statim *liber discede*, ut daretur intelligi, usque dum mittitur in cellam novitiorum, hoc est, per duos menses semper est liber, i. e. non solum a regula, verum etiam a canone. At postquam intravit in cellam novitiorum, si liber est a regula, non est liber a canone Nicaeni concilii. Et ideo noluit dicere postea *liber discede*, i. e. postquam intraverit in cellam novitiorum, quia cognovit, eum teneri a canone.

Sequitur: *Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum et iterum probetur in omni patientia, et post sex mensium circulum relegatur ei regula, ut sciat, ad quod ingreditur, et si adhuc stat, post quatuor menses legatur ei iterum eadem regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione sciens, se lege regulae constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub jugo regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit ei excusare aut suscipere. Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientia coram Deo et sanctis ejus, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* — Quod autem dicit *post quatuor menses iterum legatur ei eadem regula*, non dicit, ut post annum fiat hoc, sed in uno anno ita agat: et ideo hoc *post quatuor* ponitur, quasi *erga quatuor menses*. Quodsi intra quatuor ista tertia vice legitur, nil nocet.

Sequitur: *et si habita secum deliberatione* etc. *Habita*, i. e. facta deliberatione, i. e. definitione, — ac si diceret: Si definierit et statuerit, se observare regulam, hoc est, quod postea subjunxit, *promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur, sciens se lege regulae constitutum*, i. e. sub lege regulae constitutum. Hoc autem isto modo est faciendum: Postquam compleverit

annum et visus fuerit patiens et obediens et probatus, tunc venire debet in capitulum, et debet dicere illi abbas: *Si potes observare?* et ille si responderit: *Domino juvante possum et volo*, tunc debet illi dicere abbas: *Ecce frater, si vis Deo omnipotenti monachico habitu deservire et placet tibi s. regula, vade, vende omnia tua et da pauperibus et veni, sequere Christum.* Si ille dixerit: quia in hoc monasterium volo tribuere, tunc dicat illi abbas: *Frater! adjuvante Deo non est necessaria nobis tua res, eo quod habemus, nostra indigentia*[1]) *unde suppleatur. Sunt enim alii pauperiores nobis aut etiam monasteria, vel certe parentes tui forte plus sunt pauperes quam nos, et ideo melius est, ut pro mercede illis tribuas, qui plus indigent, quam nobis.* Si autem ille dixerit: quia volo pro mercede animae meae magis in hoc monasterium tribuere, quam alteri dare, tunc debet donare rem suam aut pauperibus aut in monasterium. Cum hoc fecerit, tunc debet venire in oratorium et ibi exui suis vestibus et vestiri rebus monasterii in uno angulo oratorii, petitione jam facta. Et hoc notandum est: sive antequam promittat, sive post vestietur in oratorio nil obstat; tantum ut caput ejus post promissionem veletur, et in die septimo[2]) debet develari, quia vice baptismi est demelota.[3]) Deinde debet venire ante altare et ibi dicere debet: *Promitto me de stabilitate mea et conversione morum meorum et obedientia coram Deo et sanctis ejus.* Deinde illam petitionem suam, quam scriptam habet, secundum regulam debet ponere super altare. *Altare enim*, sicut Cassiodorus dicit,[4]) *ab altitudine dictum est quasi altae arae, ubi Domino sacrificatur, ut conspectibus populorum misericordiae ipsius dona pandantur.* Et postquam posuerit, tunc debet dicere tribus vicibus: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea.* Deinde

[1]) nostram indulgentiam. Cod. Divion. ex Marten.

[2]) Infra legitur: *die tertio.*

[3]) melota. Cod. Divion. ex Marten.

[4]) Expos. in psalm. 25. v. 6.

omnis congregatio tribus vicibus, sicut regula dicit, debet respondere. Tunc debet ille novitius prostratus jacere in terra et omnis congregatio solummodo flexis genibus et debent pro illo cantare istos Psalmos, i. e. *Miserere mei Deus*. et *De profundis* aut ceteros psalmos, qui ad hoc pertinent. Post hoc debet [1]) surgere et dicere haec capitula: *Salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te. Convertere Domine aliquantulum et deprecabilis esto super servum tuum. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum*, et orationem postea dicat [2]) pro illo. Hoc etiam sciendum est, quia sunt sapientes, qui disputant et inquirunt varie de tonsione ipsius novitii. Alii enim dicunt, quia non debet laicus tonderi ante unum annum, quia dicit *liber discedat*. Quomodo potest jam discedere liber, si tonsus ante fuerit? Alii vero econtra dicunt: tonderi debet ante et jam tonsus debet venire; nam ipse laicus se debet facere tondere et sic venire ad monasterium, quia istud *liber discedat* non pertinet ad laicum, sed a monastica disciplina discedat liber. Nam suscipere eum debet canonica disciplina, quia canones Nicaeni concilii dicunt: *Qui arma deposuerit* etc. Nam iste laicus talem intentionem debet habere, postquam ad monasterium vult venire, ut nunquam postea portet arma. Ideo melius est, ut tonsus veniat, quam apud Deum arma deponat, excepto, si non talis est laicus, ut ea intentione veniat, ut non deponat arma, nisi ante probaverit se. Nunc vero explanandum est nobis: *morosa*, i. e. longa *deliberatione*, definitione — ac si diceret: *sub tam morosa deliberatione*, i. e. sub isto annuali spatio. Notandum est enim, quia tria promittit, i. e. *de stabilitate sua* primum. Stabilitas enim attinet ad perseverantiam, quia tunc recta est sua conversio, si usque in finem perseveraverit, sicut dicit B. Gregorius papa: *Virtus nimirum boni operis est perseverantia, et voce veritatis dicitur: »Qui perseveraverit usque in finem,*

---

[1]) debent. Cod. Divion.

[2]) oratio postea dicatur. Cod. Divion.

hic salvus erit«; et praecepto legis cauda hostiae in sacrificio jubetur offerri, in cauda quidem finis est corporis. Et bene ille immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitae perducit actionis. Hinc Joseph talarem tunicam habuisse describitur; tunica quippe usque ad talum est bonum opus usque ad consummationem.[1] Et in Ezechiel cum stantibus stabant et cum ambulantibus ambulabant. *Stare* enim est in incoepto bono opere perseverare. Ubi animadvertendum est, quia, si non perseveraverit in illo coepto opere aut desiderio, sed aut minus aliquid aut ex toto non perseveraverit, iste talis, si videatur stare in monasterio coram hominibus, tamen coram Deo non stat. Deinde secundum est, quod promittit, *de conversione morum suorum.* Conversio morum est eradicatio vitiorum et plantatio virtutum. Sunt enim talia vitia, quibus possumus pleniter abstinere; et iterum sunt talia vitia, a quibus non possumus abstinere, veluti est commotio corporis et animi. Et propterea debemus tales virtutes e contrario assumere, quae comprimant illa vitia, a quibus penitus non possumus nos abstinere. Si enim non eradicaveris vitia et plantaveris virtutes, non est conversio morum; si enim eradicaveris vitia et tamen non plantaveris virtutes, non eris laudabilis; ille est laudabilis, qui et eradicat vitia et plantat virtutes. Si enim non est laudabilis, qui solummodo eradicat, et tamen non plantat, quid erit de isto, qui nec eradicavit neque plantavit? Pejus est pagano aut saeculari, quia quantum plus religiosiorem habitum sumit quis, tantum pejus est illi periculum, si non recte et rationabiliter vixerit. Tertium est, quod promittit: *et obedientiam coram Deo.* Obedientia est, quae in prosperis non habet de suo, et in adversis de suo, hoc est, quae ad honorem et delectationem et prosperitatem saeculi pergit invite, ad tristitiam, ad probra et adversitatem saeculi pergit sponte. Si enim ad gaudia et prosperitatem ieris sponte, non es obediens; si autem ad tristia et tentationes perrexeris invite, non es obediens: unde con-

[1] Homil. XXV in Evang. (Migne, tom. 76. col. 1189.)

siderare debes, quae est obedientia, quam agis, et vide,[1] quali animo agis. Si autem animus tuus delectaverit obedire in adversis et compressus fuerit in prosperis, tunc victor eris [similiter et, si invite]. Ubi animadvertendum est, quia non est illa obedientia, si in prosperis aut in commoditatibus voluntarie obedit. Sciendum est enim, quia haec regula maxime in obedientia consistit, unde inprimis auditorem suum obedientiam praecipit sumere, cum dicit: *obedientiae fortissima atque praeclara arma assume.* Obedientia est gladius, scutum, cassis et caetera arma; et sicut perit ille, qui sine armis pugnat in proelio, ita et monachus perit, qui obedientiam respuit. Tunc enim quis Deum irridet, cum, quod promittit voce, opere non complet, quia si hominem deridet, cui homo facit fidem et mentitur, multo magis Deum irridet, cum promittit illi quis servire et mentitur. Isti tali tolerabilius erat in saeculo perire, quam [ut] sumere habitum sanctitatis et mentiri Deo. De talibus dicit Dominus in evangelio: *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris.* Quod enim dicit: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea* — ac si diceret: Domine eloquium tuum est, quod dixisti: »*Qui reliquerit omnia, quae possidet, centuplum accipiet*« etc. Et ecce ego propter hoc eloquium tuum, i. e. praeceptum tuum deserui saeculum et omnibus meis renuntiavi; et nunc rogo, ut suscipias me. Et reddit causam, quare, cum dicit *et vivam; et* pro *ut* est, i. e. *ut vivam;* et rogo, *ne confundas me ab exspectatione mea,* ac si diceret: Rogo clementiam tuam, ut quia tamdiu distuli converti, ne ob hoc confundas me et ne sit mihi confusio et verecundia ante te.

Sequitur: *Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus, quippe quia ex illo die nec*

[1]) videre (?).

proprii corporis potestatem sciat se habiturum. Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda, ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii projiciatur. Illam tamen petitionem ejus, quam desuper altare abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reservetur. Quod autem dicit: *Res si quas habet aut eroget prius pauperibus aut facta solemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat; mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii* — illic subjungendum est: *suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua* et reliq. Novitius non debet rem suam vendere nec donare ante unum annum i. e. antequam fiat monachus. Ideo enim dicit illud, vestimentum reservari, ut postmodum illi detur propter turpitudinem, etiam si purpureum vestimentum adduxerit. Quod enim dicit *reservanda*, tam diu debet reservari, donec potest servari; post vero, si non habuerit illud vestimentum, debet pro illo simile dari. Quod vero dicit, illam suam petitionem non reddi, non [enim] satis claret; forte ideo dicit, non reddi, ut si forte aliquando negaverit habitum monachicum aut forte clericalem, habeatur, quo illi probetur ab episcopo, quia aut in monasterio aut certe sub canone constitutus etiam coacte ab episcopo, postquam exit de monasterio, vivere debet juxta auctoritatem Nicaeni canonis. Quod vero dicit *non liceat ei egredi de monasterio*, non dicit de illo, si pro obedientia exierit, vel de illo, si pro melioratione exierit, aut certe, si in illo monasterio regulae non est rectitudo, sed de illo dicit, si nolens obedire regulae exierit, tunc non debet exire. Nam si aut in eremum aut in aliud monasterium ierit causa meliorationis, tunc magis regulae se subjicit. Sciendum est enim, quia tres sunt causae, pro quibus potest monachus rationabiliter de monasterio exire, i. e. pro melioratione, pro

salvatione atque obedientia. Pro melioratione vero, ut, licet bene vivat in monasterio, tamen quia in aliis locis et plus studiosius ordo regularis servatur et custoditur, currit ad eundem locum, quatenus et ipse in eodem loco melius vivat, quam in suo, sicut leguntur sancti patres fecisse, veluti illi, qui de monasterio, quod erat in Bethlehem, exeuntes perrexerunt ad monasteria, quae erant in Aegypto, quae melius et studiosius vivebant; et ceteri alii multi similiter fecerunt. Pro salvatione autem exeunt, veluti si est ipse locus malus et inibi regula non custoditur, et ideo possunt de hoc monasterio exire causa salvationis animae suae, ad illum locum, ubi diligentius regularis ordo custoditur, quatenus inibi salventur. Ubi notandum est, quia si ille pro melioratione possunt exire et ad meliorem vitam pergere, cum possent in suis locis utcunque salvari, multo magis possunt isti, qui timent periculum animae suae in locis pessimis, quia non possunt ibi salvari, pergere ad ea loca, ubi salvari possunt. Tertio vero modo possunt etiam exire de monasterio causa obedientiae et ire, quo mittuntur. — Hoc notandum, quia si venerit aliquis ad monasterium ad abbatem rogandum, et rogaverit abbatem, ut sinat illum intrare in monasterium, ille abbas non debet illi assensum praebere cito, ne videatur facilis ingressus; sed debet illi dicere: Frater! non potes observare hoc, quod petis; melius est tibi in saeculo esse, quam huc venire et promittere ea, quae non potes observare. Forte tu fuisti malus in saeculo, nunc vis te et alios perdere. Verum debet unus e fratribus dicere illi semotim: Frater! nostra regula dicit, ut te non recipiat noster abbas cito, sed si perseveraveris pulsando, faciet tibi, sicut tu postulas, quia regula dicit *non facilis tribuatur ingressus;* ideo tibi noster abbas non dixit venire. Sed tu veni ad portam monasterii et nos tibi exhibeamus aliquod adjutorium et supplementum.[1]) usquequo iterum loquaris cum illo. Notandum est, quia bene dixit *aptus sit ad lucrandas animas*, quia sicut ille,

[1]) sublevamentum. Cod. Divionens. ap Marten.

qui opus vult agere aut debet, si nescierit, magis damnum facit, ita et ille, si aptus non fuerit, magis frangit illum hominem, quam ad perfectionem ducat. Sciendum est enim, quia sunt nonnulli minus intelligentes, qui aliis suadent ad monasterium venire pro zelo Dei. Isti tales minus intelligunt hoc, quod in Canticis Canticorum dicitur: *Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis* et reliqua. Isti tales assumunt hoc, quod dicitur: *Qui audit, dicat: Veni.* Non est ita intelligendum: *Qui audit, dicat: Veni*, ut debeamus suadere cuiquam venire in monasterium, cum, si hoc facimus, contra regulam facimus, quia regula illum dicit probari et pene rejici, et tu adducis ad monasterium illum hominem? Nam: *Qui audit, dicat: Veni*, intelligitur isto modo, i. e. qui intelligit de dulcedine patriae, nunciet illam aliis. De hac vero sententia, qua dicit: *Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis* et reliq. docet etiam Beda (?) hoc modo dicens, ait enim: *Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit:* Filias Jerusalem sanctas et pacificas doctorum animas dicit, quas per munda et velocia animalia, quae ruminare non desinunt et in campis sanctarum scripturarum aluntur, conjurat, ne suscitare faciant dilectam, donec ipsa velit. Quod Paulum apostolum fecisse cognoscimus, cum virginibus de conservanda sanctimonia non praeceptum, sed concilium dedit. Et in evangelio diviti dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Et in alio loco spadones laudantur, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Et statim adjicitur: *Qui potest capere, capiat.* Et iterum Apostolus, dum ad continentiam fideles hortatur: *sed hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est et facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Et rursum ad Philemonem: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Tunc etenim dilecta, quoadusque velit, nullo modo suscitatur,

quando sanctorum vota voluntate Domino offerantur. Item: Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque etc. Hanc sententiam jam in senioribus constitutam, in quantum Deus adjuvit, adhibitis testimoniis pertractasse meminimus. Sed idcirco iterum in hoc libro arbitror repetitam, ne quisquam doctorum vel muneribus sollicitet, nec minis deterreat credituros; sed tantum quae sancta sunt, praedicet et voluntarie ad fidem vel religionem credituros sive convertendos adducat. De hac re etiam B. Gregorius docet hoc modo dicens: *Non ergo, fratres, audemus vobis dicere, ut omnia relinquatis, et tamen, si vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic temporalia geritis, ut tamen tota mente ad aeterna tendatis.*[1]) Item Gregorius: *Relinquat ergo omnia, qui potest; qui autem relinquere omnia non potest, cum adhuc rex longe est, legationem mittat; lacrimarum, eleemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit, quia portari non possit iratus.*[2])

INCIPIT ORDO, QUALITER DEBET AGERE NOVITIUS, QUANDO REGULAM PROMITTIT.

Inprimis cum venit in oratorium, debet promittere coram omnibus his verbis: *Ego ille promitto de stabilitate mea et conversione morum meorum et obedientia secundum regulam S. Benedicti coram Deo et angelis ejus.* Et cum hoc dixerit promittens, tunc debet facere petitionem, i. e. aut tunc debet scribere ipsam petitionem, aut si scripta fuerit ipsa petitio, tunc ibi in praesentia debet scribere aliquid ibi, hoc est nomen suum, aut si non sapit scribere, tunc in praesentia fratrum ibi debet facere signum crucis. Deinde cum hoc fecerit, tunc debet ipsam petitionem manu sua ponere super altare; deinde cum eam posuerit super altare, statim debet inclinato capite dicere istum versum tertio, i. e.: *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea.* Et cum

---

[1]) Homil. 36. in evangel. lib. 2. n. 12. (Migne, tom. 76. col. 1273.)
[2]) Homil. 38. in evangel. lib. 2. (Migne. tom. 76. col. 1281. n. 10.)

dixerint fratres ipsum versum, debent etiam subjungere: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, et reliqua. Deinde cum hoc dixerint, tunc debet ille novitius ponere genua in terram et salutare omnes fratres volvendo se in gyro, ut omnes orent pro eo. Deinde cum salutaverit omnes fratres, sicut dixi, tunc debet se ipse novitius prosternere et prostratus jacere ante altare in terra, et omnes fratres debent ponere genua in terra, et sic genibus flexis cantare pro illo quinque psalmos ad illud opus pertinentes, i. e.: *Levavi oculos meos in montes; Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis; Nisi quia Dominus erat in nobis,* et *De profundis* atque *Miserere mei Deus* cum Gloria. Omnes debent cantare et tribus vicibus dicere Kyrie eleyson. Deinde cantatis his quinque psalmis, tunc debet aut abbas, aut si non vult abbas, tunc presbyter debet dicere *Pater noster*, deinde: *Et ne nos inducas in tentationem*, atque capitula debet dicere ad ipsum opus[1]) pertinentia, i. e. *Salvum fac servum tuum; Convertere, Domine, usque quo; Dominus custodiat te ab omni malo; Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in saeculum; Dominus vobiscum* et orationem ad ipsum opus pertinentem. Deinde cum haec omnia fuerint facta, tunc debent se erigere omnes atque novitius, et erecto novitio tunc debet abbas induere caput novitii cum melota, et post haec debet ille novitius omnes fratres osculari et usque tertium diem coopertum caput habere. In die tertio debet offerre[2]) et communicare, et sic abbas debet caput novitii discooperire ante altare.

Cap. LIX.

DE FILIIS NOBILIUM VEL PAUPERUM, QUI OFFERUNTUR.

Perseverat adhuc B. Benedictus in expositione sua. Jam quia coepit dicere de ordine novitiorum et dixit de

[1]) ad ipsum versum. Cod. Divion. ex Marten.
[2]) auferre. Cod. Divion. ex Marten.

his, qui legitimam aetatem habent, nunc [vero] dicit de infantibus hoc capitulum, cujus clavis est ista: *De filiis nobilium vel pauperum, qui offeruntur.* Nobiles enim appellat divites, quamquam scriptura divina appellet nobiles liberos, quia solent multi pauperes esse nobiles genere, eo quod de nobili genere sunt orti. Et iterum solent multi divites ignobiles esse, i. e. quia de rustica progenie sunt nati. Unde B. Benedictus sive sint nobiles sive ignobiles, i. e. de illis dicit, qui divitias habent, et iterum nobiles dicit de divitibus. Sciendum est autem, quia tres distinctiones facit B. Benedictus, i. e. divitum, mediocrum et nihil habentium.

Ait enim: *Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor aetate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant in palla altaris et sic eum offerant.* Puerum enim non dicit illum, cujus aetas ab octavo inchoatur anno, sed illum puerum vocat, qui per se non potest profiteri secundum legem, quoniam parentes ejus vivunt.[1]) Parentes enim nominat solummodo patrem et matrem, quia parentes de matre et patre dicuntur a pariendo. Quod enim dicit: *faciant petitionem, quam supra diximus,* illa intelligitur, in qua dicitur *de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientia* et reliqua. Ita faciendum est: debet, si pater est vivus, dicere pater; si autem mortuus est, dicere mater — nam alius propinquus non debet — i. e.: *Promitto ego ille coram Deo et sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua et conversione morum suorum atque obedientiam habendam;* et debet habere petitionem scriptam et promissionem in manu pro filio suo. Verbi gratia, cum lectum fuerit evangelium, quando debent offerre, antequam incipiant Offertorium, debet ponere in dextera manu filii sui oblatam cum mappula, in sinistra autem amulam vini. Deinde debet illum pater ante se

[1]) profiteri legem, secundum quam parentes ejus vivunt. Cod. Tegerns.

tenere infantem, et debet involvere manum filii sui in illa mappula, cum qua offert, quia de ipsa mappula dicitur *palla altaris*, non de altaris panno sacrato. Deinde debet tenere manu sua manum filii sui involutam in illa mappula et petitionem, qua firmat filium suum in illo monasterio, et debent adesse testes. Tunc debet abbas interrogare illum isto modo: Quid petis frater? Ille debet respondere dicens: Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio, quia sic praecepit Dominus in lege filiis Israel, ut offerrent filios suos Deo; et propterea ego volo hunc filium meum similiter Deo offerre. Deinde debet dicere abbas testibus: Auditis, fratres, et videtis, quid iste dicit. Illi debent dicere: Audivimus et videmus. Tunc debet ille pater ante se filium suum ducere ad illum locum, ubi homines offerre consueverunt. Deinde debet presbyter tollere oblatam et amulam de manu infantis tenta [1]) in manu patris, et abbas debet recipere infantem et tollere petitionem, ita tamen, ut pater illam petitionem super altare reponat, eo quod abbas illam petitionem desuper altare debet tollere, quia sic in capitulo LVIII dicit: *desuper altare ponat*, et alibi: *non reddat illam petitionem, quam desuper altare tulerit*. Verumtamen melius est, si potest fieri, ut abbas cantet missam, ut ille accipiat etiam illam oblatam et vinum. Ideo praecepit B. Benedictus, cum oblatione offerri, ut per hoc, quod foris ostenditur, significetur hoc, quod geritur, i. e. sicut oblatio efficitur holocaustum Domino, ita etiam ille infans holocaustum Domino efficiatur. Non enim dicit in illo panno altaris involvi, qui sacratus est, i. e. qui super altare ponitur, sed de illo panno, cum quo nos offerimus, quem nos mappulam vocamus, et hoc altaris pannus est, quia officium altaris per hoc agitur.

Sequitur: *De rebus autem suis aut in praesenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suspectam personam nec quolibet modo ei aliquando ali-*

---

[1]) tentam. Cod. Divionens. ex Marten.

quid dent occasionem tribuendi;[1]) *vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas donare volunt monasterio, donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario, atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus.* Quod vero dicit: *De rebus autem suis in praesenti petitione promittant sub jurejurando* et reliqua, — ac si diceret: juret, ut nunquam det illi aliquid aut per se aut per aliquam personam aut certe aliqua occasione, qua ille possit de monasterio exire. Isto enim modo debet fieri, i. e. quando offert filium suum, tunc debet dicere: *Sic promitto per viventem in saecula, quia nunquam do illi hereditatem suam aut aliquid quidquam, sed exhèredo illum ab omni mea hereditate, ut exheres sit in perpetuum, ita ut per nullum ingenium possit quaerere de mea hereditate pro successione sua.* Hoc enim, quod dicit: *vel certe si hoc facere noluerint et aliquid offerre voluerint in eleemosynam* et reliqua, ita intelligitur, i. e. si hoc noluerint facere, hoc est si eum exheredare de rebus suis noluerint, sed voluerint ejus portionem offerre in monasterium, tunc offerant etiam ejus portionem cum ipso infantulo. Debet enim isto modo fieri, i. e. si voluerit offerre ejus portionem in monasterium, tunc debet etiam dicere, quando offert filium suum: *Offero etiam ejus portionem pro mercede animae meae in hoc monasterium.* Si voluerit *usufructuario*, etiam hoc potest facere, i. e. ita: *Offero ejus portionem in hoc monasterium, ut dum ego vixero, ejus portionem »usufructuario«*[2]) *habeam; post meum vero decessum, tunc veniat ejus hereditas in hoc monasterium, aut certe aliquid plus quam portionem suam. Obstruantur*, i. e. claudantur, ac si diceret: ita claudantur, ut nullus aditus sit aut remaneat, per quem possit de mona-

---

[1]) In editis exemplaribus legitur: *nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent aut tribuant occasionem habendi.*

[2]) usufructuarium. Cod. Divion. ex Marten.

sterio exire, aut deceptus pereat, quod absit, i. e. quod malum nunquam sit. *Experimento*, i. e. probatione; *didicimus*, i. e. cognovimus. Hoc quod dicit *quod experimento didicimus*, in dubio est, utrum pater adtraxerit filium suum, an filius sponte de monasterio exierit.

Sequitur: *Similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant et cum oblatione offerant filium suum coram testibus.* Quod vero dicit *pauperiores similiter faciant*, — ac si diceret: sicut dixi facere divites, ita per omnia faciant pauperiores, i. e. mediocres. Quod autem dicit *qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant et cum oblatione offerant filium suum coram testibus*, ita intelligi debet, i. e. si tales sunt, qui per omnia nihil habent, non est opus, ut alio modo faciant promissionem, sicut divites et mediocres, sed simpliciter petitionem faciant. *Simpliciter*, i. e. sine datione; *et cum oblatione offerant filium suum coram testibus*, i. e. sine ulla datione substantiae, sed solummodo cum oblatione offerant filium suum, quia oblatio attinet ad panem et vinum, quae in sacrificium offeruntur. Quod enim dicit *parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus*, intelligitur: quia sic debet ille pater vel mater promittere pro filio suo, i. e. de stabilitate et conversione morum ejus et obedientia coram Deo et sanctis ejus, sicut illi faciunt, qui in legitima aetate veniunt ad monasterium. Quaeri potest, quare S. Benedictus praecepit, hic jurare, cum Dominus dicat, non jurare omnino. Ita enim solvitur: Dominus enim non omnino prohibuit jurare, sed prohibuit, ut juramentum pro omnimodo non esset bonum appetendum, quia juramentum non omnimodo est bonum; sed quia sunt quaedam res, quae pro se non sunt appetendae, tamen pro aliis omnimodis bonis accipi debent; sicut Paulus legitur jurasse, non ut cognovisset, juramentum omnimodo bonum esse, sed pro aliis omnimodo bonis rebus juravit, sicut habes suprascriptum. Ita S. Benedictus in hoc loco facere videtur, cum dicit jurare, non ut pro omnimodo bonum esset appetendum, sed pro salute animae pueri, quae pro

omnimodo bona est appetenda, quatenus parentes pueri timeant et timendo occasionem non dent puero peccandi, ut puer pereat in aeternum, ac per hoc timorem incussit parentibus, ne dent aliquam occasionem peccandi, et per ipsam occasionem puer pereat.

Cap. LX.

DE SACERDOTIBUS, QUI VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE.

Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur, tamen si persiterit omnino in hac supplicatione, sciat, se omnem regulae disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: Amice, ad quod venisti? Adhuc S. Benedictus ordinem servat in eo quod prius dixit, qualiter laici majoris aetatis seu etiam minoris aetatis suscipiantur, et nunc etiam exponit, qualiter sacerdotes suscipiantur. Sacerdotis nomen ad episcopum seu presbyterum attinet atque diaconem, sicut ipse inferius dicit. In hoc, quod nunc dicit *non citius*, manifestat, quid sit, quod superius dixit de laicis: *non facilis. Tamen si omnino persiterit in hac petitione, assentiatur ei*, h. e. quod superius dixit de laicis: *ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi injurias et difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, annuatur ei ingressus.* Et in hoc loco, in quo subsequitur dicens: *sciat se omnem regulae disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur*, intelligitur, quia per omnes gradus debet probari veluti laicus, etiam plus quam laicus; nam tres sunt gradus, quibus probari debent novitii, i. e. unus ad portam monasterii per quatuor aut quinque dies; deinde secundus in hospitio paucis diebus, h. e. duobus mensibus; tertius est in cella novitiorum per decem menses. Sciendum est enim, quia sunt, qui intelligunt in hoc loco, ubi dicit *sciat, se omnem regulae disciplinam observaturum, nec aliquid ei relaxabitur*, non attinere disciplinam ad flagellum, quia multis modis dicitur disciplina, sed ad observationem

vitae. Nam disciplina potest dici de grammatica, de rhetorica, de dialectica etc. et de ceteris aliis artibus, eo quod disciplina dicitur, quia discitur plena. Deinde sunt alii, qui intelligunt etiam de flagello dixisse S. Benedictum, quia quantum major est gradu, tantum majus est ejus peccatum, et idcirco major debet esse disciplina. Et illi respondent: non debet frater presbyter flagellari, quia canones dicunt, non presbyterum flagellari, sed per XLIV ei testes testificari, sicut dicit S. Silvester in suis decretis,[1]) ne haereticis contra sanctos religiosos presbyteros daretur facultas aut occasio surgendi adversus presbyterum. At modo quia omnes catholici sumus et sacerdotes reperiuntur insipidi, ideo necesse est, ut dimittamus hoc, quod Silvester dixit, et teneamus hoc quod evangelium dicit: *In ore duorum et trium testium stet omne verbum;* ita et de flagello intelligendum est; propter viles presbyteros debet flagellum in presbyteris commoveri, et quia ita est, iste sensus utrimque tenendus est, i. e. boni et honesti non flagellentur, viles et mali flagellentur. Quia si tenuerimus ita, ut nunquam flagellentur mali, malis presbyteris non erit terror nec disciplina. Si autem tenuerimus, ut semper flagellentur, tunc boni non frangentur, h. e. semper ministerium suum adimplere studebunt. Et hoc sciendum est, quia illi, qui dicunt: flagellandi sunt presbyteri, sunt simplices et zelantes legem Dei; illi autem qui dicunt, non esse flagellandos, sunt acutiores et perspicaciores. Nam sciendum est, quia illi, qui dicunt, ad observationem vitae attinere hoc, quod superius diximus, dicunt, adjuvari illos illud testimonium,[2]) quod subjungitur: *Amice, ad quod venisti?* — subaudiendum est: fac et adimple. De susceptione presbyterorum intelligendum est, quia plus debet presbyter probari quam laicus, praeter si talis fuerit, ut religiosus videatur, non ita tunc debet probari, sicuti laicus, eo quod majorem religionem habeat, quam laicus, et hoc intelligitur in eo loco. ubi dicit:

---

[1]) cf. Migne, tom. 130. col. 609.

[2]) illo testimonio (?).

liceat ei missas tenere et benedicere, si talis fuerit ejus vita. Si ergo propter vitam promovendus est, cur non propter vitam similiter et laicus? Non; quia presbyter meliorem semper ducere debet vitam, quam laicus. Nunc autem, quia S. Benedictus de sacerdotibus dicit, dicendum est nobis, quare sacerdos aut presbyter vel diaconus dicatur. Dicit enim Isidorus in libro ethymologiarum ita: *Sacerdos autem nomen habet . . . . dispensatio habetur.*[1]) *Cleros et clericos . . . . presbyter, episcopus.*[2])

Sequitur: *ut sit, sicut scriptum est: Amice, ad quod venisti?* Istud, quod hic dicit B. Benedictus, Dominus tempore traditionis suae Judae dixit. Sed sunt, qui istum locum in evangelio varie intelligunt. Alii dicunt, quia dolentis vox est, quasi dolenter dixisset Dominus: *Amice, ad quod venisti?* i. e. ad quod scelus delapsus es! Venisti discipulus tradere magistrum, servus Dominum, creatura creatorem, et cum esses apostolus, effectus es traditor. Sunt iterum alii, qui intelligunt: *Amice, ad quod venisti*, subaudiendum est: *fac*, i. e. non venisti osculum pacis dare, sed tradere, quasi diceret: ad quod venisti, fac, i. e. trade et imple, quod spopondisti. Et secundum hunc sensum S. Benedictus in hoc loco illud intellexit: *Amice, ad quod venisti, fac*, i. e. non venisti imperare, sed imperari, servire, non serviri, subesse, non praeesse.

Sequitur: *Concedatur tamen ei post abbatem stare et benedicere aut missas tenere, si tamen jusserit abbas. Sin alias, nullatenus aliqua praesumat sciens, se disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det.* Quod vero dicit *concedatur ei post abbatem stare et benedicere et missas tenere*, subaudiendum est: si ejus vita talis fuerit digna, ac si diceret: si dignus est, i. e. si talis fuerit ejus vita, ut omnibus praeferatur, stet post abbatem, et si non dignus, non stet, sed sive in medio, sive in ultimo secundum quod dignus fuerit, ibi stet. Benedicere intelligendum est: cibum aut potum in refectorio, aut certe lec-

[1]) Etymol. lib. 7. c. 12. n. 17-22. [2]) Etymol. lib. 7. c. 12. n. 1-3.

tori in ecclesia; similiter et quod dicit *missas tenere*, intelligendum est, sicut diximus, de loco, h. e. si dignus fuerit, ut missam cantet, cantet; si autem non dignus fuerit cantare, non cantet, h. e. si fecit adulterium, i. e. cum uxore alterius aut cum femina sacrata, aut homicidium, aut certe talia, pro quibus canones illum prohibent missam cantare, quia, si Paulus apostolus de illis dicit, qui mortali peccato tenentur, non communicare, [1]) — quanto minus missas cantare [non] debent. Ait enim: *Si quis indigne manducaverit corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, reus erit corporis et sanguinis Domini* et reliq. In hoc vero quod superius dixit: *sciat, se omnem regulae disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur*, et nunc dicit: *sciens, se disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis exemplum omnibus det*, datur intelligi, ut tam in admonitione secreta quam in publica correptione aut excommunicatione aut nimiis jejuniis vel flagello aut oratione seu expulsione, sicut ille laicus, qui conversus est in monasterium, ita tamen si talis fuerit, ut flagellari dignus sit, flagelletur. Si vero aut senex aut sapiens aut talis voluntatis durae, ut pro flagello sit postmodum pejor, non debet flagellari, sicut jam de monachis diximus, quia medicina debet adhiberi, non vulnus, quia, sive monachus sive presbyter, medicari debet, non vulnerari. Sciendum est enim, quia ubi dicit *post abbatem stare*, ideo dicit, quia tunc erant pauci sacerdotes et melioris vitae quam nunc sint, et ideo dicit *post abbatem stare*. Sed nunc de omnibus intelligendum est, quia non omnes sacerdotes boni sunt et hoc manifestatur, ubi dicit: *si jusserit abbas*. In eo quod dicit *si jusserit abbas*, manifestatur, quia per probationem vitae debet jubere. Et quomodo probatur vita sacerdotis? Potest per famam sanctitatis aut malitiae, quam foris habuit, sive etiam, quia non dicit regula, ut statim, ex quo intrat, stet post abbatem, ubi datur intelligi, quia prius et postquam intraverit, etiam cognosci debet ejus vita. Quod vero vitae aestimatio debet

---

[1]) Anacoluthon.

esse in sacerdote manifestatur etiam in hoc, cum S. Benedictus non de uno dicit, sed de omnibus, quid agendum sit. Si tres sunt sacerdotes aut plus, quomodo possunt poni post abbatem, quia si unus fuerit, alter [vero] non potest esse? Ac per hoc, cum ita sit, vita prius cognoscatur, et tunc secundum meritum vitae concedatur ei post abbatem stare vel missas tenere et benedicere, si tamen jusserit ei abbas. Et hoc sciendum est, quia in eo quod dicit *concedatur ei stare post abbatem*, et non dicit: secundus vel tertius vel quartus vel plus, datur intelligi, etiamsi in decimo loco steterit post abbatem cognoscitur stare; et ideo quia ita est, vita necesse est ut inspiciatur, ut si dignus est, sit secundus aut tertius aut quartus aut juxta vitae suae meritum.

Sequitur: *Si forte ordinationis aut alicujus rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in monasterium, non illum, qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur, et ipse tamen si promittit de observatione regulae vel propria stabilitate.* Quod vero dicit: *Si forte ordinationis aut alicujus rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quem habuit, quando ingressus est in monasterium, non illum, qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est* — ac si diceret: si forte fuerit dignus, ut decanus aut praepositus[1]) aut consiliator aut certe alicujus utilitatis, cum tali humilitate et subjectione debet abbati consilium dare aut certe agere hoc, quod illi injunctum est, cum quali humilitate et reverentia seu subjectione locutus fuerat, quando monasterium ingressus est. Quod enim dicit: *Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio se sociare voluerit, loco mediocri collocetur* — ac si diceret: si mediocrem ejus vitam cognoverint; nam si talis fuerit, ut etiam juxta abbatem stet aut debet collocari, collocetur. Similiter, si talis fuerit, ut in ultimo stet, sicut diximus de sacerdotibus, ita agendum est. Notandum est, quia in clericorum nomine comprehenditur dia-

[1]) praepositus fiat. Cod. Divion. ex Marten.

conus. Hoc tamen sciendum est, quia non satis claret, utrum dicit, pulsari ita sacerdotes, sicut laicos, eo quod capitulum divisit de clericis et sacerdotibus et laicis. Et quia dicit, omnem disciplinam regularem scire eis[1]) servaturum, intelligitur, quia omnis disciplina est regularis, etiam illa pulsatio laicalis. De hoc vero quod superius diximus, flagellari presbyterum, si necessitas coegerit, notandum est, quia illi, qui dicunt, flagellari debere ipsos presbyteros, assumunt testimonium hoc, quod propheta dicit: *Qualis populus, talis et sacerdos*, ac per hoc, si talis fuerit sacerdos, qualis populus, tunc sicut laicus probandus inprimis, deinde ita excommunicandus, ita etiam flagellandus. Sed videamus, quod B. papa Gregorius dicat de hoc quod dicitur: *Talis populus, qualis et sacerdos.* Dicit enim in libro pastorali cap. XVIII hoc modo:[2]) *Qua autem mente animarum praesul honore pastorali inter caeteros utitur, si in terrenis negotiis, quae reprehendere in aliis debuit, et ipse versatur? Quod videlicet ex ira justae retributionis per prophetam Dominus minatur dicens: »Et erit sicut populus, sic sacerdos (Oseae IV, 9.)«* Sacerdos quippe est ut populus, quando agit ea is, qui spiritali officio fungitur, quae illi nimirum faciunt, qui adhuc de studiis carnalibus judicantur. Et hoc sciendum est, quia cum canit quis missam, si vult orare pro paganis et haereticis et schismaticis, ut convertantur, potest, et ideo unusquisque sacerdos sive sit canonicus sive etiam monachus, quia missam cum canit, pro omnibus malis, ut convertantur, potest et debet rogare.

Cap. LXI.

DE MONACHIS PEREGRINIS, QUOMODO SUSCIPIANTUR.

Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio et contentus est consuetudine loci, quam invenerit, et non forte superfluitate sua perturbet monasterium, sed simpliciter contentus est, quod invenerit, suscipiatur, quanto tempore cupit.

[1]) se (?). [2]) Migne, tom. 77. col. 40.

Si qua sane rationabiliter et cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit, tractet abbas prudenter, ne forte pro hoc ipso cum Dominus direxerit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, et maxime, quia hospitalitatis tempore potuit ejus vita dignosci. Perseverat adhuc B. Benedictus in proposito suo, quia jam superius coeperat dicere, qualiter suscipiantur hospites, et dixerat de [1]) majoris et minoris aetatis et sacerdotibus atque clericis, nunc vero dicit etiam de monachis, qualiter suscipiantur; ait enim: *Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit* etc. usque *suscipiatur, quanto tempore cupit.* Longinquam provinciam dicit, quae longo spatio distat, i. e. quae multis milliariis, veluti est Ravenna, Burgundia. Nam non dicit longinquam provinciam, i. e. ut de tertia civitate vel eo amplius intelligatur, sed de spatio milliariorum dicit. *Contentus*, i. e. continens, hoc est simul tenens. Sive enim dicatur *consuetudine loci*, sive *consuetudine regulari*, unum significat, quia consuetudo monasterii regularis est. *Simpliciter contentus*; simpliciter, i. e. innocenter. *Superfluitate*, i. e. in cibo aut potu vel in aliquo alio opere. *Quanto tempore cupit*, i. e. uno anno vel duobus annis et reliq. Quod enim dicit: *Si qua sane rationabiliter et cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit*, intelligitur, quia sunt tales, qui reprehendunt verbis, et iterum sunt alii, qui nolunt verbis reprehendere, sed operibus manifestare. *Tractet abbas prudenter, ne forte pro hoc ipsum Deus direxerit*, i. e. debet dicere abbas apud se: forte ad nostram eruditionem illum direxit Dominus. *Et maxime, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci*, ac si diceret: ob hoc maxime ejus voluntas non renuatur, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci.

Sequitur: *Quodsi superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, verum etiam dicatur ei honeste, ut discedat, ne*

---

[1]) de laicis (?).

ejus miseria etiam alii vitientur. Quodsi non fuerit talis, qui mercatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verum etiam suadeatur ei, ut stet, ut ejus exemplo alii erudiantur, quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur. Quod enim dicit *quod si superfluus aut vitiosus fuerit* et reliq. *Superfluus* attinet ad incessum sive ad illud, si plus, quam regula dicit, dicat agere; *vitiosus* attinet ad illud, si minus, quam regula dicit, agit, i. e. ad negligentiam. Quod vero dicit *dicatur ei honeste*, hoc modo debet illi dici: Optabamus, frater, te meliorem esse, sed nunc, quia tui mores cum nostris non conveniunt nec nostri cum tuis, ideo tolle, quod tibi in via sufficiat, et vade. Istud namque, quod dicit *quia in omni loco uni Domino servitur et uni regi militatur*, hoc ad abbatem attinet, i. e. cum rogat illum peregrinum monachum stare, ille respondens dicit: Non possum stare, quia ad monasterium meum volo reverti et ibi volo Domino servire; abbas vero debet respondere dicens: Frater, noli timere, quia in omni loco uni Domino servitur et uni regi militatur. *Servitur* et *militatur* unum significat in hoc loco. Bene dicitur: uni regi militatur et uni Domino servitur; Deus enim ubique est, i. e. in omni loco, h. e. totus et semper, ac per hoc illi Domino et illi regi servimus et militamus hic, cui tu servisti et militasti illic, unde tu venisti.

Sequitur: *Quem si etiam talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest abbas in majore quam ingreditur loco, si ejus talem perspexerit vitam. Caveat autem, ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis sui aut literis commendatitiis, quia scriptum est: »Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris«.* Quod vero dicit *liceat eum in superiore aliquantulum constituere loco*, juxta meritum illius vitae intelligitur, i. e. si dignus est, juxta abbatem ponatur vel prope abbatem sive in medio vel in ultimo, sicut dixi, pro vita ejus, vel ut necessitas ejus exposcit, licet abbati eum con-

stituere. Quod autem dicit: *Non solum autem monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest abbas in majore, quam ingreditur, loco, si ejus talem perspexerit esse vitam* et reliq., — ac si diceret: non solum monachum peregrinum potest abbas in superiori loco constituere, sed etiam de ipsis gradibus sacerdotum vel clericorum potest in majori loco stabilire, si ejus vitam talem conspexerit esse. *Caveat*, i. e. custodiat. *Notum* monasterium est, unde cognoscis visu vel auditu aut monachos vel abbatem, sive etiam vicinos eorum, aut certe illi monachi cogniti sunt in illo loco, in quo habitas. In hoc namque loco, in quo dicit de noto monasterio, subintelligitur, quia de ignoto monasterio suscipere potest sine literis commendatitiis. In hoc etenim loco notandum est, quia tribus modis datur licentia eundi monachum ad aliud monasterium, i. e. primo *consensu*, i. e. cum rogat abbas quispiam alterum abbatem, ut cum suo consensu habeat monachum pium, et ille consentit. Altero modo *literis* noto abbati de illo fratre in hoc modo: Ego humilis abbas. Noverit dilectio tua, quia suggessit ille frater, nomine Joannes vel Paulus, nobis, ut ei licentiam daremus vobiscum habitandi. Nos autem, quia te cognovimus regularem ordinem tenere, assensum illi praebuimus, vobiscum habitandi. Nunc autem illum tibi commendo, ut tractes illum, sicuti ego, et pro illo Deo rationem, sicut ego, reddas. Tertio modo fit generaliter omnibus, i. e. omnibus episcopis seu cunctis ordinibus sanctae ecclesiae necnon cuncto populo fideli. Notum vobis sit, quia ego dedi licentiam isti fratri nomine Joannes vel Paulus, ut, ubi sibi invenerit commodum habitare regularem ordinem ducendo, habeat licentiam habitandi ad suam utilitatem et monasterii. Non enim aequaliter agendum est cum illo, qui pro persecutione fugiens, et illum, qui leviter exiit de suo monasterio et venit ad alterius monasterium; nam ille, qui leviter de suo monasterio exiit, dicunt canones: non recipiatur sine licentia sui episcopi. Ille vero, qui pro persecutione fugiens venit ad alterius parochiam, dicunt canones, durum esse, si non

recipiatur, ex consilio Neocaesariensi cap. XX de suscipiendis his, qui persecutionem patiuntur. Hosius episcopus dixit: *Suggerente fratre et coepiscopo nostro Olympio etiam hoc placuit, ut si aliquis vim perpessus est et inique expulsus pro disciplina et catholica vel defensione veritatis effugiens pericula innocens et devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit aut injuria ejus remedium acceperit, quia durum est, cum, qui persecutionem patitur, non recipi, cum etiam et larga benevolentia et humanitas ei est exhibenda.* Omnis synodus dixit: *Universa, quae constituta sunt, catholica ecclesia in universo orbe diffusa custodiet.* Sciendum est enim, quia aliae litterae sunt commendatitiae, aliae formatae, aliae vero absolutae. Commendatitiae sunt, quae noto cuilibet, abbati aut episcopo absque graecis litteris mittuntur; hae ignobilibus dantur. Formatae sunt, quae noto quidem, sed graecis litteris insignitae diriguntur. Absolutae non solum notis, sed generaliter abbatibus, episcopis et omni populo porrigendae traduntur. Quod vero dicit: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*, i. e. si forte aliud monasterium est ditius et exiit monachus tuus propter paupertatem tui monasterii et vadit ad illud ditius, et tu non vis, sic nec tu debes alteri dare, quod sustinere non vis. Et hoc sciendum est, quia isto modo debet peregrinus monachus facere stabilitatem suam: *Ego ille veniens de longinquis provinciis in hoc monasterium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci et illis mea placuit, ideo stabilitatem meam in hoc monasterio per hanc scripturam manu mea scriptam perpetuum confirmo.* Si autem nescierit litteras, debet rogare alium, qui scribat et debet dicere inferius, manu mea pro majori firmitate subscriptam. Verum non debet nominare monasterium, unde fuit.

INCIPIT FORMATA EPISCOPORUM.

80.	1.	300.	5.	100.	400.	70.	200.	1.	3.	10.
π.	α.	τ.	ε.	ρ.	ὑ.	ο.	σ.	ἁ.	γ.	ι.
70.	200.	80.	50.	5.	400.	40.	1.	300.	70.	200.
ο.	σ.	π.	ν.	ε.	υ.	μ.	α.	τ.	ο.	σ.

Graeca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter graeci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latino sermone formatas vocat, aliqua fraus falsitatis temere praesumeret, hoc a Patribus trecentis decem et octo Nicaeam congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut formatae epistolae hanc calculationis vel supputationis habeant rationem, i. e. ut assumantur in supputationem prima graeca elementa Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est, *π*, *υ*, *α*, quae elementa octogenarium, quadringentesimum et primum significant numeros. Petri quoque apostoli prima littera, i. e. *π*, quae numeros octoginta significat, ejus, qui scribit, episcopi prima littera, cui scribitur secunda littera, accipientis tertia littera, civitatis quoque, de qua scribitur, quarta, et indictionis, quaecumque est id temporis, i. e. qui fuerit, numerus adsumatur, atque ita omnibus litteris graecis, quae, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis unam, quaecunque collecta fuerit, summam epistola teneat. Hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressam, addit praeterea separatim in epistola etiam nonagenarium et nonum numerum, qui secundum graeca elementa significat: Amen *(ἀμήν)*.[1])

I. III. I. L. LXX. C. I. XL. II. V. C. CCC. LXX. CC. XL. I. X. L. I. C. IIII. LXX. CC. II. V. C. III. I. XL. LXX. CC. — *α. γ. α. ν. ο. ρ. α. μ. β. ε. ρ. τ. ο. ς. μ. α. ι. ν. α. ρ. δ. ο. ς. β. ε. ρ. γ. α. μ. ο. ς.*[2]) indictione octava η (VIII) — fiunt insimul DLXXXIV.[3])

Incipit exemplar formatarum: *π. υ. α. π. α. α. ι. γ. ϑ.*[4]) DLXXXIV.

---

[1]) cf. Migne. tom. 129. col. 1387. cf. etiam col. 1383—1386 et col. 1388—1398.

[2]) Agano, Rambertos, Mainardos, Bergamos.

[3]) Iste numerus est summa sequentium: *π (πατηρ*, LXXX.*)*, *υ (υιος*, CCCC.*)*, *α (άγιος*, I.*)*, *π (πετρος*, LXXX.*)*, *α (αγανο*, I.*)*, *α (ραμβερτος*, I.*)*, *ι (μαιναρδος*, X.*)*, *γ (βεργαμος*, III.*)*, *η* (indictio, VIII.)

[4]) Certo *η* debet scribi pro *ϑ*.

Dilectissimo et reverendissimo fratri atque coepiscopo *Ramberto*[1]) servus servorum Dei *Agano*[2]) etiam in Domino salutem.[3]) Sanctitati tuae erga divinum cultum vigil piaque devotio. Cum apud ecclesiam Brixianam religionem augere contenderet, monasterium studuit aptissimo loco extra muros praefatae urbis, quo beatissimi martyris Faustini corpus requiescit, conditum iri. His itaque piis aemulationibus tuis fratrum quoque et coepiscoporum favor comitatus suffragia opportuna non abnuit, interque, quia nostram quoque humilitatem convenire voluisti, rogans, ut presbyterum atque monachum nostrum, virum honorabilem et apprime officiis monasticis institutum, *Mainardum* nomine, concederemus, quatenus eum in praedicto monasterio Abbatem ordinares, licet difficile, quia ejus collegio non modice delectabamur, tamen apostolica moti sententia, quae dicit: *Caritas non quaerit, quae sua sunt*, ad tantam utilitatem tuae sanctitati remisimus, et ut in praefato sancto loco a te pater monasterii consecrari deberet concessimus. Hunc ergo a nobis absolutum tuaeque sanctitati commissum profusis jam hunc precibus commendamus, ut in vestra ecclesia divini famulatus vestrum sacerdotumque vestrorum suffragium mereatur et cooperante gratia Dei abbatis officium, ad quod exercendum eundem vobis concessimus, strenue valeat exhibere communi omnium auxilio fultus et manu sua scribat. Deus te incolumem custodiat, frater. Amen.

Item alter π. υ. α. π. Domino fratri Ramberto Brixiensis ecclesiae praesuli Wolfleoz,[4]) Constantiensis episcopus sedis, aeternam in Domino salutem. DLXI.[5]). Cognoscat paternitas vestra, quod hunc clericum, nomine Elgilmannum

[1]) def. c. a. 844.

[2]) Episcopus Bergam nsis c. 867.

[3]) Haec literae jam typis sunt impressae apud Mabillonium *Vetera Analecta* (Paris 1723), p. 417, et in ejusdem Annalibus (tom. II. p. 618.) Ipse Mabillonius se has literas ex Hildemari commentario sumpsisse dicit.

[4]) Wolfleoz def. c. 839.

[5]) Summa numerorum: π. υ. α. π.

(Eigilmannum) in nostra parochia doctum ac detonsum, sicut ipse desideravit, per hanc dimissoriam epistolam permisimus, licenter vestrum expetere adjutorium et sub vestro regimine suis utilitatibus deservire. Vobis etiam licentiam dedimus, ut si eum doctrina et moribus dignum censueritis, ad sacros ordines promovere non dubitetis. Et ut haec permissio certior vestrae claritati reddatur, graecis hanc literis juxta patrum constitutionem firmare curavimus. Sancta Trinitas vos ubique bene valere concedat. *αμην* = XCVIIII. indictione VIIII. datos.[1]) *υ α γ ς* = DCIV. fiunt insimul MCCLXXIII[2]) (hanc literam pro *v* ponimus, quae est prima litera Wuolfleoz, sicut *eu*angelium pro *ev*angelio dicimus) in Dei nomine. — Incipit epistola, quae formata dicitur sive commendatitia: Reverendissimo atque religiosissimo et a nobis cum summa veneratione nuncupando ill. episcopo ego ille extremus sub pontificali officio Deo famulantium perpetuam in Domino Jesu opto salutem. Praesens noster frater petiit ab extremitate nostra licentiam ad vestram almitatem proficiscendi atque vobiscum sive cum vestris habitandi. Cui et nos benevola mente et fraterno affectu non solum ei copiam ad vos veniendi non negavimus, verum etiam ut a vobis sive a vestris gratifice suscipiatur exposcimus. Et si vobis placuerit, ut aut in gradu, quem modo tenet, sacris altaribus ministret aut ad altiorem gradum promoveatur nostro sive vestro testimonio suscepto, id ei facere liceat; quippe qui nihil in eo tale noverimus, quod id faciendi ei licentia denegetur. Bene namque in ecclesia, in qua hactenus fuit educatus, bene conversatus, hoc nobis de se sive de sua vita ostendit, ut in quantum humana fragilitas scire potest, administratione sacrorum mysteriorum non sit indignus. Nos itaque ut homines divini sensus inscii et arcanorum ignari probemus de fratre, qualem scimus, per testimonium. Deus est enim, quem occulta non fallunt et qui omnium

---

[1]) *δατος* (?).

[2]) Summa numerorum: 99 (*αμην*) + 9 (indictio) + 604 (*υαγς*) + 561 (*πυαπ*) = 1273.

secreta rimatur juxta illud: *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Has ergo literas ideo illi petere et nobis facere libuit, ut ille non solum pro profugo aut abjecto non habeatur, verum etiam nostrae humanitatis et caritatis commendatione a vestra fraternitate libentissime suscipiatur. HCVIIII.[1]) Salus aeterna et in hoc praesenti tempore vobis longaevam salutem et in futuro cum sanctis et electis sempiternam largiri dignetur. DCLXXIIII.[2])

QUALITER QUIS SINE PECCATO VOTUM SUUM SOLVERE POSSIT.

Haec vestra, nisi fallor, fuit interrogatio, utrumne peccet, qui votum vel consuetudinem cujuslibet bonae actionis aut propter melius opus aut propter aliquam contrarietatem, quae bono ex opere generatur, aut mutat aut deserit. Cum igitur hujus interrogationis solutio in subtilissimis dialecticae artis contineatur regulis, verumtamen et hoc modo utcunque discuti et solvi et intelligi potest; fecit enim Deus hominem rationale animal et ob hoc ipsius voluntate nulla praeferenda est ab aliquo actio. Qui vero bono, quod agere deliberaverit, melius bonum et contrarietatem non invenit, et ita levitatis aut certe suavitatis causa illud deserit, nimirum peccat, quippe quia nec melioris operis nec ullius contrarietatis causa vel voluntate aut opere simul et voluntate post se rediit, cum econtrario de sanctis animalibus scriptura dicat divina: *Animalia ibant et non revertebantur.* Animalia itaque sancta post se non redeunt, quia sanctorum intentio in deterius non mutatur, quamquam aliquando opus mutatur. Nam ille, qui semper eandem habet voluntatem in bono, si contigerit, ut proficiendo intelligat, aliter esse vivendum vel agendum, quam quod prius vovendo agendum esse disposuit, ideo non peccat, si illud deserens ad hoc transeat, quia, si hoc, quod nunc videt, tunc videre potuisset, hoc, non illud agere decre-

[1]) Scribendum esse videtur: XCVIIII. = *αμην.*

[2]) Summa numerorum esse videtur: 561 *(π. υ. α. π.)*, 99 *(αμην)* et 14 (indictio).

visset. Quapropter opus mutando non peccat, cui semper, quod melius est, placet. Sancti quippe apostoli cum vellent ire alicubi, instructi alibi pergunt. Non est enim ipsorum voluntas mutata, quia illuc ire optabant, ubi plures credituri reperiri possent. Verum si nil melius re illa, quae disposita est, sed tantum contrarietas invenitur, tanto securius res illa, i. e. consuetudo pristina dimitti potest, quanto magis ipsa contrarietas animae saluti comprobatur esse adversa. Numquid censura silentii multorum aedificationi rite potest praeferri? aut abstinentia ciborum praeferenda est patientiae? aut vigilia sensui? Non enim mediocriter errat, qui magno bono praefert mediocriter bonum. Nonne rationalis hominis dignitatem amittit, qui vel jejunium caritati aut vigiliam praefert sensus integritati, ut propter immoderatam et indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem aut amentiae aut tristitiae notam incurrat? Numquid verborum flecti multitudine Deus ut homo potest? Non enim verbis tantum, sed rebus orandus est Deus, quia non eget ipse multitudine verborum, sed cordis puritate; quod etiam ipse in evangelio manifestat, cum dicit: *Cum oratis, nolite multiloqui esse, sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Quapropter melior est quinque psalmorum cum cordis puritate ac serenitate et spiritali hilaritate, quam psalterii modulatio cum anxietate cordis et confusione mentis, quae nonnunquam pronuntiantis festinatione generatur dum residuorum psalmorum, qui cantandi sunt, modum numerumque considerans non distinctionem sensuum audientibus studet pandere, sed ad finem synaxeos properat pervenire. Cum igitur pro centum animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno diceretur, quilibet ipsorum accipit. Audiat itaque, qui ea, quae necessaria sunt, corpori subtrahit, illud, quod per prophetam loquitur Dominus: *Ego Dominus diligens judicium, odio habens rapinam in holocaustum.* De rapina vero holocaustum Deo offert, qui vel cibum vel vestimentum vel somnum vel cetera, sine quibus humana infirmitas subsistere non potest, sicut in collationibus legi-

tur; sibi subtrahendo indiscrete, i. e. ultra mensuram corpus suum affligit. Et iste talis, quia ita indiscrete agit, sicut S. Gregorius narrat, non hostem, sed civem percutit atque necat. Sic enim loquitur: *Ille enim laudabiliter spicula mittit, qui prius hostem, quem feriat, conspicit. Male namque arcus validi cornua subiit, qui sagittam fortiter dirigens civem ferit.* Videat iste, quid Paulus apostolus dicat: *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis in concupiscentiis.* Qui enim curam carnis in concupiscentiis interdixit, in necessariis eam concessit. Unusquisque itaque Israelita cum veris Israelitis dicat: *Via regia gradiemur, non declinabimus neque ad dexteram neque ad sinistram.* Tunc quippe neque ad dextram neque ad sinistram declinamus; quando nec manifesto malo neque simulato bono decipimur. Haec ad interrogata sub brevitate dicta sint, nam multa restant adhuc, quae suo dicentur tempore.

Ex collatione abbatis Joseph secunda cap. VIII quod perfecti viri nihil absolute debeant definire, vel utrum sine peccato possint definita rescindere.

Sanum quidem est atque perfectum . . . . ac salubre.[1])

Item ex eadem collatione Joseph cap. IX, quod plerumque aliquando utilius sit, statuta interrumpere. *Quod liquidissime sancti apostoli . . . . . obligari.*[2])

Cap. LXII.

DE SACERDOTIBUS MONASTERII.

Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconem ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam nec quidquam praesumat, nisi quod ei ab abbate praecipitur, sciens se multo magis disciplinae regulari subditum, nec occasione sacerdotii obliviscatur regulae obedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat.

Rectum ordinem tenuit S. Benedictus in hoc loco, cum de sacerdotibus monasterii dicit. Superius enim dixerat de

1) Migne, tom. 49 col. 1050—1053. 2) Migne, l. c. col. 1053—1055.

illis laicis, qui majoris et legitimae aetatis veniunt ad monasterium, qualiter suscipiantur, et subjunxit postmodum de pueris minori aetate, qualiter et ipsi suscipiantur; dicit etiam de sacerdotibus illis, qui de saeculo veniunt, et de monachis peregrinis. Deinde cum fecit mentionem de sacerdotibus illis, qui de saeculo veniunt, rectum fuit, ut diceret etiam de sacerdotibus, qui in monasterio ordinantur, qualiter et quo ordine ad sacerdotium promoveantur. Dicit enim: *Si quis abbas sibi sacerdotem vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi.* Istud quod dicit *sibi*, intelligitur: ad suam et sui monasterii utilitatem. Bene dicit *eligat*, quia, ubi electio fit, non de qualicunque dicit, sed de meliore et optimo intelligitur. Ac per hoc, cum dicit *eligat de suis*, *qui dignus sit*, non dedit potestatem abbati, ut ad suam voluntatem faciat presbyterum, qualemcunque voluerit, sed per electionem, et qui dignus invenitur; hoc autem *qui dignus invenitur*, est, quod Paulus apostolus dicit: *Si quis sine crimine est.* Quod vero sit *sine crimine*, B. Augustinus docet in evangelio, ubi de verbis Domini dicitur: *Si ergo filius vos liberavit, vere liberi eritis. Prima ergo libertas est carere criminibus; ideo etiam apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos, et quicunque ordinandus est ad praepositaram ecclesiae, non ait: »Si quis sine peccato est«; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, sed ait: »si quis sine crimine est«, sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, vel fraus, sacrilegium et cetera hujusmodi.*[1]) Item ibi superius: *Est autem crimen peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum.*[2]) Videndum est nunc, pro quibus peccatis non possit quilibet ad honorem sacerdotii pervenire. De his enim dicit Gelasius papa in suis decretis hoc modo cap. 2. epist. 9. ut ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur, vel, cum defuerint clerici, de

---

[1]) tractat. 41. in evang. Joan. n. 9 10. (Migne, tom. 34. col. 1697.)
[2]) l. c.

monachis eligantur. *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis . . . . . praestitisse devotio.* [1])

Insuper et ipse magister Hildemarus scripsit etiam hoc de eo,[2]) quod qui homicidium quolibet tempore fecerit, quamvis ejus vita probabilis sit vel alicujus doctrinae, nequaquam promoveri potest; de eo, quod, qui cum uxore alterius vel cum sanctimoniali peccaverit, promoveri non potest; si vero in juvenili aetate cum virgine vel vidua peccaverit et ipsius vita postmodum probabilis atque imitanda per omnia fuerit, si necessitas tanta fuerit, ut desint, qui administrare possint, hic cum pavore promovendus est. De eo, quod, qui in pueritia vel in adolescentia tactu nefando inquinantur diuque in hac coinquinatione permanent, si contigerit, ut divina inspiratione tacti ad portum munditiae confugerint immunditiaeque malum horrendo in sanctitate et puritate nutrierint, hi cum pavore promovendi sunt, ita tamen, si desint, qui ecclesiasticum officium nobilius peragere possint. Ceterum si sodomitico more peccaverint, nec cum pavore accedere debent. De eo, quod, qui furtum in majoribus, maxime in ecclesiasticis Deoque consecratis rebus fecerit, nequaquam promovendus est. Si vero in minoribus et maxime pro necessitate fecerit, cum pavore promoveri potest. De eo, quod, qui infirma aetate causa levitatis aliquid alteri juraverit et hoc ipsum violaverit, cum pavore promovendus est. Si vero in perfecta aetate perjuraverit, nec cum pavore promovendus est, et maxime, si cupiditate juraverit. De eo, quod, qui falsum dixerit testimonium in hujuscemodi causa, ut ille non puniatur vel proscribatur, adversus quem prolatum est testimonium, et ejus vita in omnibus fuerit pura atque imitanda, cum pavore promoveri potest. Ceterum si vel punitus vel proscriptus aliquis fuerit ejus falso testimonio, nequaquam promovendus est. Verumtamen sciendum est, quia, si ita docuerit mo-

[1]) Migne, tom. 59. col. 49.

[2]) Haec ab auditoribus vel notariis aut ab eo, qui scripta digessit, sunt inserta.

nachos, sicut dixi superius, sub illa custodia, non dubitat de eo fratre, qui ita custoditus fuerit, ut non possit fieri presbyter vel diaconus. Si autem alter est frater, qui non fuerit sub tali custodia nutritus, tunc debet pro hoc sermonem facere ad ejus confessorem et debet ab illo consilium petere. Ille alter debet dicere: Nescio adhuc, tamen sine me ire ad illum, et interrogabo illum et postea dicam vobis. Nam debet illum presbyterum interrogare, cui ipse confessus fuit, qui vocatur ad honorem, et interroget illum utrum dignus sit talis frater, qui vobis confessus est, presbyter fieri. Tunc ille presbyter non debet ille peccatum fratris dicere, sed dicere debet: Nescio ejus voluntatem, utrum velit annon. Deinde debet ire ad fratrem et dicere: Domnus abbas te vult promovere ad presbyteratus honorem; tu quid dicis? Si dixerit: Nolo, tunc debet abbati dicere, quia non vult; si autem, quod absit, dicit: quia volo, tunc debet ille presbyter dicere: Quia contrarium est tibi tale peccatum, et ideo non debes. Si autem ille frater dixerit: quia omnino volo, tunc debet ille presbyter dicere abbati: Nescio, quid vobis dicam; ego nec hortor nec dehortor. Tunc ille abbas, cum ita audierit, non debet eum promovere, nec debet manifestare peccatum sive ita discendo, sive ita presbyter dixerit: Ego nec hortor nec dehortor; sed debet praetendere aliquam occasionem tantum, ut non fiat. Tunc debet abbas pro illo fratre dicere sermonem ad fratres: Ego volo cum Dei adjutorio facere talem fratrem presbyterum, unde rogo dilectionem vestram, ut tam pro amore Dei et salvationem nostram[1]) et animae suae, qui sapit aliquid de isto fratre, per auctoritatem nostram dicat. Et de hoc mihi quidem de illo jam nunciatum est, sed nolo dicere et manifestare, sed per vos scire; nam in processu temporis majori vos conjuratione constringam, si hoc non manifestaveritis. Hoc dicto debet dare inducias per octo dies. Deinde debet venire in capitulum, si aliquis non dixerit neque indicaverit illi de illo fratre, et conjurare

[1]) salvatione nostra. Cod Divion.

omnes isto modo: Adjuro vos et conjuro per communionem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi et per sanctum baptismum et remunerationem coelestis gaudii et professionem nostram, quam professi sumus, ut quicunque cognovit illum in tali peccato detentum, quod illum prohibet ad oblationem sacrificii,[1]) nuntiet mihi atque manifestet, quatenus ego praevaricator hujus praecepti non existam. Deinde si aliquis cognoverit, veniat et nuntiet; si autem non venerit, tunc debet specialiter unumquemque vocare et interrogare de motu et incessu illius. Deinde si non poterit cognoscere indignum, tunc offerre debet ad ordinandum. Si autem cognoverit indignum esse, non debet offerre, i. e. si major pars dixerit illi sive male sive bene, et spirituales fuerint, qui dixerint, tunc credendum est illi majori parti. — In hoc enim loco, quo dicit *sciens se multo magis disciplinae regulari subditum*, intelligunt alii, ut debeat duci per septem gradus, i. e. ut etiam flagelletur, et hoc comprobant per hoc, quod inferius dicit: *nec occasione sacerdotii obliviscatur regulae obedientiam et disciplinam.* Obedientia attinet ad exercitium operis, disciplina vero attinet ad septem gradus, quia in hac regula, ubi de judiciis dicit, disciplinam appellat, quamquam etiam aliis modis disciplinam dicat, sicut est illud: de disciplina psallendi et suscipiendorum fratrum. Et hoc notandum est, si talis est sacerdos, i. e. senior aut forte durus et sapiens, qui cognoscitur pejor fieri per flagellum, sicut jam diximus de monachis, non est flagellandus. Si autem juvenis est, qui noluerit emendare alio modo, flagellandus est; necnon etiam illud, in quo dicitur *non sacerdos, sed rebellio judicetur*, — quasi diceret: non sicut sacerdos sed ut rebellio, hoc est, sicut superbus judicetur; necnon et illud maxime, in quo dicitur *obedire aut subdi regulae noluerit*, datur intelligi: aut suscipiat judicium regulae, aut certe, si noluerit, de monasterio expellatur. Obedire attinet ad obedientiam, subdi vero ad suscipiendam disciplinam. Et hoc

[1]) *accedere* ad oblationem sacrificii. — Cod. Divionens ex Marten.

notandum est, quod ad hoc attinet illud, quod dicitur *et saepe admonitus, si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Saepe admonitus*, i. e. per septem gradus ductus. Istud *judicetur* duobus modis intelligitur, i. e. pro *condemnetur* uno modo, et altero modo pro *aestimetur*. Et ideo varie intelligunt sapientes istum locum. Sed illi, qui intelligunt pro *aestimetur*, ut sacerdos non flagelletur aut excommunicetur, sed credatur, pro reverentia canonica hoc intelligunt, et pro hoc, quod S. Benedictus dicit: *et saepe admonitus si non correxerit, adhibeatur episcopus in testimonium.* Si vero depositus fuerit, tunc postea potest flagellari aut excommunicari. Sed videndum est, quid agendum in eo, quod intelligitur *judicetur*, i. e. aestimetur, putetur et credatur, i. e. si debet ille sacerdos missam cantare, quamdiu aestimatus fuerit rebellio. Si enim tanta est ejusdem sacerdotis contumacia, ut subdi nolit, sicut regula dicit, et ipsa contumacia non fuerit subitanea, quamdiu aestimatus fuerit rebellio, non debet missam cantare. Forte dicit aliquis: Quare? Cui respondendum est: Si regula dicit de eo, qui pro scientia suae artis extollitur, ut ipsam artem non faciat, nisi humiliaverit se, multo magis iste sacerdos non debet missam cantare, cum officium missae summam humilitatem quaerit. Et hoc sciendum est: quamquam varie intelligunt istum locum, in quo dicit *judicetur*, tamen in monasteriis Francorum ita flagellatur presbyter, veluti monachus.[1]) Alii sunt, qui intelligunt propter istud *judicetur*, ut non debeat excommunicari vel flagellari aut per septem gradus duci sacerdos, sed solummodo *judicetur*, i. e. aestimetur, ac si diceret: si peccaverit sacerdos, non debet sicut alius monachus excommunicari vel flagellari, sed solummodo debet aestimari rebellio, i. e. superbus et non sacerdos, et illud, quod dicit *regulae obedientiam et disciplinam*, non ad excommunicationem et flagellum attinet, sed ad obedientiam et regularem eruditionem. Unde quamquam ista sint verba in hoc loco ita conjuncta, ut facile

---

[1]) Alius monachus. Cod. Divion.

possit quis intelligere, quod dicat, tamen sanior est sensus, ut, sicut diximus de monachis, si talis est persona, cui non competit, flagellum nullo modo debet illi adhibere, si talis est, quam adjuvet flagellum et non noceat; adhibeatur flagellum. Notandum est, quia pro illis sacerdotibus, qui sacerdotes veniunt in monasterium, non dicit regula adhiberi episcopum in testimonium, sed solummodo pro illis sacerdotibus, qui in monasterio consecrantur; ideo pro illis sacerdotibus, qui sacerdotes veniunt in monasterium, eo quod illi in alio titulo fuerunt consecrati, non est opus episcopum adhiberi in testimonium. Illi autem sacerdotes, quia in illo titulo fuerunt consecrati, ideo necesse est, ut adhibeatur episcopus in testimonium.

Sequitur: *Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est in monasterium praeter officium altaris, aut si forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitae merito eum promovere voluerit. Qui tamen regulam a decanis vel praepositis constitutam sibi servare sciat. Quod si aliter praesumpserit, non sacerdos sed rebellio judicetur; et saepe admonitus, si non emendaverit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis projiciatur de monasterio, si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire regulae nolit.* Quod vero dicit *locum vero illum attendat, quo ingressus est in monasterium praeter officium altaris* — ac si diceret: illum locum debet tenere, quo ingressus est, praeter officium altaris, hoc est, praeter quando officium altaris agit. Quod autem dicit: *si forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitae merito eum promovere voluerit, qui tamen regulam a decanis et praepositis sibi constitutam servare sciat;* — ac si diceret: si eum promovere voluerit electio congregationis et voluntas abbatis, non debet pro hoc superbire, sed quod a decanis et praepositis sibi imperatum fuerit, custodiat, et hoc est, quod subjunxit: *et saepe admonitus* — ac si diceret: non per gradus ducatur, sed admoneatur. Quod vero dicit: *quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis projiciatur de monasterio, si talis fuerit ipsius contumacia, ut subdi*

aut obedire regulae nolit, manifestatur, quod iste sacerdos per octo gradus duci debet, non per septem, sicut alius monachus non sacerdos,[1]) i. e. primus gradus est secreta admonitio, secundus publica correptio, tertius gradus est excommunicatio simplex, quartus est nimiis jejuniis, quintus gradus est, si dignus est, flagellum, sextus gradus est oratio, septimus episcopus, deinde expulsio. Hoc autem quod dicit *si subdi aut obedire nolit* — quasi diceret: si contumax fuerit. Quod enim dicit *non sacerdos*, *sed rebellis judicetur*; — rebellis enim ipsam malitiam proprie significat, rebellis vero dicitur superbus; nam in hoc loco rebellis pro superbo ponitur, sive, ut Servio placet, rebellis dicitur homo, ipsa vero res rebellio, non rebellatio. Superbia attinet ad illud, si plus petit, quam dignus est, elatio autem ad inflationem attinet, i. e. si pro bonis suis alios despicit.

Cap. LXIII.

DE ORDINE CONGREGATIONIS.

Hactenus B. Benedictus dixit specialiter in eo, quod prius dixit *noviter veniens ad conversationem;* deinde subjunxit de parvulis et sacerdotibus, qui in monasterio habitare voluerint, et de monachis peregrinis et sacerdotibus monasterii; et nunc subjunxit de toto corpore monasterii generaliter, cum dicit de ordine congregationis.

Sequitur: *Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversationis tempus et vitae merito*[2]) *discernit, utque abbas constituerit* — quasi diceret: Sic debent fratres ordines suos custodire, sicut conversi sunt, h. e. intraverunt in monasterium, et vitae meritum, h. e. juxta vitae meritum, utque abbas constituerit, h. e. et sicut abbas constituerit. Istud enim, quod dicitur: *utque abbas constituerit*, duobus modis intelligitur, i. e. sicut abbas cognoverit meritum vitae, quia ille debet cognoscere meritum vitae. Alii sunt qui intelligunt dicentes: tertius gradus est iste, in quo dicitur:

---

[1]) Monachus *vel* sacerdos. Codd. Divionens. Tegerns. et Mellicens.

[2]) meritum. Cod. Tegerns.

et ut abbas constituerit. Primus est juxta conversationem,[1]) secundus juxta vitae meritum, et sicut abbas constituerit causa necessitatis; v. gr. sunt tales, qui pro merito vitae non debent promoveri, tamen pro necessitate debent promoveri, quia sunt tales, qui bonam vitam non habent, sed tamen cantare sciunt, et quamvis pro merito vitae isti non promoventur, tamen pro necessitate cantandi promoveri debent. Similiter et in ceteris causis agendum est. Verum si aliquis solummodo pro necessitate promovetur, i. e. si vita sua non fuerit melior, quam aliorum, solummodo quando in choro stant, tunc debent promoveri, in aliis autem locis sicut intraverunt, ita stent. Si autem tales fuerint, qui vitam habuerint talem qualem et alii, et habuerint scientiam vel artem, non solum illic, ubi necessitas cogit, sed etiam in omnibus locis possunt promoveri. Si autem tales fuerint, qui meliorem vitam habuerint quam alii, et nullius utilitatis fuerint, isti non debent promoveri.

Sequitur: *Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid, sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines, quos constituerit, et quos habuerint, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum, et in omnibus omnino locis aetas non discernatur in ordine nec praejudicet, quia Samuel et Daniel presbyteros judicaverunt. Ergo exceptis his, quos, ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes, ut convertuntur, ita sint; ut v. gr. qui secunda hora diei venerit in monasterium, juniorem se noverit illius esse, qui prima diei hora venit, cujuslibet aetatis vel dignitatis sit.* In hoc enim loco, ubi dicit: *qui abbas non conturbet gregem sibi commissum* et reliq., frenum posuit abbati, quasi diceret: Quia in arbitrio abbatis constitui discernendi sive per meritum vitae, sive per necessitatem, non conturbet gregem sibi commissum, ut contra rationem aliquid dis-

[1]) conversionem. Cod. Tegerns.

ponat, quia de omnibus judiciis et operibus suis Deo redditurus est rationem. Istud ergo, quod dicit: *Ergo secundum ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres* et reliq., superius respicit, ac si diceret: ergo si ita est, ut juxta conversionis tempus et vitae meritum et secundum quod constituerit abbas tam pro merito vitae, quam pro necessitate,[1]) sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, i. e. ad antiphonam psalmi imponendam, in choro standum, i. e. illi, qui possunt aut psallendo aut legendo defendere, illi[2]) stent. Quod vero dicit *et in omnibus omnino locis aetas non discernatur*, subaudiendum est: usque XV annum. Verum ipsi infantes, qui minus XV annis sunt, inter se debent ordinem suum tenere. *Praejudicet*, i. e. ante judicet sive praevaleat. Quia Daniel seniores judicavit, cum de falsis senioribus judicium dedit; Samuel autem seniores judicavit, quia Israelem judicavit et ab infantia prophetavit. Verumtamen sciendum est, quia decani minores vel circatores pro hoc, quia decani sunt vel circatores, non debent praeesse aliis, h. e. non debent praeponi in choro aut in capitulo aut in aliquo loco, excepto si deest abbas aut praepositus aut decanus major; tunc unus illorum debet praeponi, qui teneat locum abbatis; nam ideo dixi, non debere praeponi, quia non est ratio, ut in isto uno anno, cum habent ministerium, superponantur, in altero autem anno, cum non habent ministerium. iterum sedeant inferius in loco, in quo intraverunt. Decanus vero major aut praepositus debent praeponi pro eo, quod illi servant locum abbatis, si est; quando non est abbas, servat praepositus locum abbatis, quando vero non est praepositus, servat decanus major locum abbatis in excommunicando et in omnibus. *Ergo exceptis his, quos, ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit vel degradaverit. Praetulerit*, i. e. superposuerit; *degradaverit*, i. e. locum detulerit, v. gr. tunc degradatur frater, cum in graviori

---

[1]) locum teneant (?)
[2]) illic (?).

culpa dignus est judicari, cum dicit *suscipiatur in ordine vel in choro, quo abbas decreverit.* Nam aliud est degradare, aliud vero tibi fratrem praeferre; v. gr. si alterum tibi praeponit, non te degradat, quia locum tuum habes; si vero te pro aliqua culpa digna in inferiori loco aut ultimo ponit, tunc degradat. In minoribus culpis degradari debet etiam duobus modis, v. gr. si excommunicatur frater frequenter in excommunicatione simplici et non emendaverit, debet eum abbas ad adjutorium excommunicationis degradare, i. e. ut magis timeat excommunicationem et pro hoc emendetur. *Degradari*, i. e. in ultimo loco jubeatur stare. Altero vero modo degradari debet frater, cum nimiis jejuniis affligitur frater frequenter et non emendaverit, tunc ad adjutorium jejunii, ut emendetur frater, debet etiam in excommunicatione nimii jejunii in ultimo loco stare. Notandum est, quia in hoc loco, ubi dicit *juniorem se noverit illius esse, qui prima hora venerit diei, cujuslibet aetatis vel dignitatis sit*, intelligitur, quia nullus pro aetate aut dignitate tam saeculari quam etiam ecclesiastica, debet praeponi, si ejus vita non fuerit digna, aut necessitas non fuerit; v. gr. sive presbyter aut diaconus fuerit, sicut dixi, non debet praeponi, nisi eum vita sua commendaverit.

Sequitur: *Pueris per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur priores suos honorent, priores juniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine, sed priores juniores suos fratres nominent, juniores autem seniores nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, dominus et abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. Ubicunque autem sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petat, transeunte majore minor surgat et det ei locum sedendi, nec praesumat junior consedere, nisi ei praecipiat senior suus, ut fiat, quod scriptum est: »honore invicem*

praevenientes.« Pueri parvi vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur; foris autem vel ubi et ubi custodiam habeant et disciplinam, usquedum ad intelligibilem aetatem perveniant. — Sciendum est enim, quia haec, quae B. Benedictus dicit: *nulli liceat puro nomine alium vocare, sed majores juniores suos fratres et juniores priores suos nonnos vocent*, et *transeunte priore junior surgat et det ei locum sedendi, et non liceat juniori sedere, nisi prior jusserit*, quamvis parva sint, non sunt parvipendenda, sed summo studio observanda et custodienda, quia ex hoc nutritur charitas, retinetur pax et concordia. Quod autem dicit *pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur*, subaudiendum est: ab his, qui non indigent disciplina et qui noverint disciplinam. Bene dicit *pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur*, quia illa aetas infirma est et non potest per se adjuvari, ideo necesse est, ut ab aliis adjuvetur, quia si dum ista aetas infirma est adjuta, postmodum melius valebit in fortiore aetate ille homo se exercere et in Dei servitio plus sollicitus esse. Nam si tunc non fuerit adjutus, cum infirmus est, post erit semper negligens atque tepidus. Nam ob hoc debet abbas praeter illos magistros, i. e. tres vel quatuor, quos jam diximus superius, specialiter constituere, qui eos jugiter et ubique usque ad tempus debeant custodire, etiam alios fratres jubere, qui illos pueros custodiant. Nam si illi opus fuerit, coquinam facere vel aliud agere, cum ipso infante potest agere. Verumtamen tales debent isti esse, quibus abbas injungit curam infantum custodiae cum illis tribus vel quatuor, de quibus securus sit abbas; nam alii, qui nesciunt disciplinam, sed magis indigent, permitti non debent infantes arguere vel excommunicare aut flagellare, quia si illis stultis permissum fuerit et negligentibus, per terrorem poterunt infantes magis pejores facere quam bonos. Notandum est et manifestandum, qualiter debent juniores priores suos honorare, et minores priores suos venerari, quia nihil valet, verba solummodo dicere, et qualiter agendum sit, non manifestare;

v. gr. sicut dilectissimus filius patri suo honorem impendit, i. e. cum quanta dilectione illi impendit honorem, cum tanto scilicet amore debet iste junior priori suo impendere honorem. Deinde iterum: cum quanta dilectione amoris affectum impendit pater filio suo dilecto, cum tanto amore debet ille senior dilecto suo juniori dilectionem impendere. Et propterea jussit B. Benedictus, ut nullus vocetur puro nomine, i. e. solo nomine, quia per istam adjunctionem nominis voluit designare honorem. Ait enim: *sed priores juniores suos fratrum nomine* — subaudiendum est: vocent. Bene fratres jussit appellari, quia uno sacro fonte baptismatis sunt renati et uno Spiritu sanctificati et unam professionem professi et unam remunerationem adipisci desiderant et una matre, i. e. sancta ecclesia editi sunt. Et hoc notandum est, quia melior est ista fraternitas spiritualis, quam carnalis. Dicit enim Cassiodorus, quia fratres, et qui diligunt et qui diliguntur. *Juniores autem priores suos nonnos vocent*, *quod intelligitur paterna reverentia.* Bene patres sive doctrina sive honorem aetati deferentes[1]) dicuntur. Quaeri potest, quid est, quod S. Benedictus jubet juniores priores suos patres vocare, cum Dominus dicat: *Nolite vocare patrem super terram?* Non est contrarium hoc, quia, si nos patres vocamus super terram, non auctorem vitae nostrae vocamus, sed aut causa honoris deferentes[2]) patrem dicimus, aut doctrina. Quod autem dicit *non sua assumptione sed honore et amore Christi*, est, ac si diceret: abbas debet vocari dominus et abbas, verum non debet assumptione sua hoc facere abbas, i. e. non debet se abbas praesumere, ut se faciat clamari abbas et dominus, sed cum clamatur, amore et timore Christi clametur. Quod autem dicit *junior a priore benedictionem petat*, subaudiendum est: in his locis et horis, ubi licet loqui; verum si aliis locis et horis fuerit, in corde suo petat benedictionem inclinato capite. Quod autem dicit *trans-*

---

[1]) deferendo (?).
[2]) deferendi (?).

eunte majore junior surgat et det locum sedendi, *nec praesumat junior consedere*, *nisi praecipiat senior suus*, ita intelligitur, i. e. sicut ille junior praecipitur surgere, ita etiam ille senior dicere debet juniori sedere. Et notandum est, quia si ille senior vult sedere, tunc debet dare locum sedendi junior priori. Quod autem dicit *transeunte majore junior surgat*, ita debet intelligi, i. e. si ille senior venit ad illum juniorem fratrem et vult sedere vel aliquid tale, tunc debet ille junior surgere et dare locum sedendi. Nam non debet intelligi, si ille solummodo senior frater transierit, ut quoties ille transierit, toties junior surgat, v. gr. sedet infans aut alter junior in claustra et forte legit; quod si transierit frater senior, non ut veniat ad juniorem fratrem, sed tantum transeat, non debet ille junior surgere, quia non est ratio, ut, si decem fratres seniores transierint, ille decies surgat, eo quod non dicit de talibus, sed de illis, qui ad eum veniunt et sedere forte volunt aut aliquid tale agere, tunc praecipit juniori surgere et dare ei locum sedendi. Isto enim modo debet fieri: v. gr. sedes tu, qui es junior, et vides seniorem venientem, et sicut tu surgis, ita etiam statim debet prior jubere sedere. Sicut enim superius dicit *juniores priores suos debent honorare*, sicut filius patrem, ita etiam majores debent amare juniores suos, sicut pater filium suum. Animadverte nunc, si pater, qui nimis diligit filium, cum viderit illum ante se surgere, dicit illi sedere, quia non patitur illum stare, ita et isti seniores debent junioribus facere, et hoc est, quod inferius dicit *honore invicem praevenientes*, i. e. sicut iste junior praevenit priorem suum in levando, ita debet etiam ille senior juniorem suum praevenire in innuendo sedere aut dicendo; et sicut ille junior servat illi honorem in loquendo et in levando, ita et ille senior debet recompensare juniori suo laborem surrectionis [cum] humilem locutionem in dulces sermones et blanda verba dicendo. Debet etiam abbas constituere unum aut duos seniores, qui doceant, cum viderint juniores surgentes ante seniores suos, et debet illis dicere: Quare surrexisti frater coram seniore tuo? et illi priori dicere:

Quare benedixisti? Ille cum non sapuerit illi dicere rationem, debet illum statim docere: Sic debes facere, i. e. ita debes surgere et cum tali reverentia et honore tuo priori, sicut dilectus filius patri; et illi priori debet dicere: Qua intentione benedixisti tuum juniorem? Ita debes illum benedicere, sicut pater dilectissimo filio suo reddit votum dilectionis. Hoc notandum est, quia si viderit junior priorem suum ad se venire et viderit, velle illum sedere, tunc debet surgere et dare locum illi ad sedendum; si autem viderit illum transire, debet parum surgere et inclinare caput petens benedictionem. Et hoc notandum est, quia in eo loco maxime debet sedere, cum aliquid operatur, ubi non est locus frequenter ad transeundum seniorem. Hoc vero sciendum est, quia debet in capitulo abbas docere, ut sicut junior surgere debet ante suum priorem, ita et ipse prior statim innuat juniori sedere. Quod si non dixerit statim sedere prior juniori suo surgenti, admoneatur regulari disciplina, sicut diximus, per septem gradus; si autem non se emendaverit, debet in ultimo gradu illum priorem constituere, et discat, qualiter prior debeat minori suo sedere dicere. Quod vero dicit: *Pueri parvi vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur*, ordines suos dicit debere servare inter se, qui in custodia sunt; nam si XV annum habuerint et sua vita concordaverit aetati, tunc debet in choro stare et ordinem suum inter omnes habere. Si autem XV annos habuerit et vitam non habuerit talem, ut possit de generali custodia exire, non debet exire. Quod autem dicit *foris autem ubi et ubi*, h. e. in omni loco; nam cum dicit *ubi ubi*, nullum locum praetermittit. *Custodiam habeant et disciplinam*, h. e. dicere: pueri vel adolescentes, i. e. qui, quamvis majores sint aetate, sed quia minus intelligunt, sub custodia puerorum debent esse, sicut ipse dicit, usquedum ad intelligibilem aetatem perveniant — ac si diceret: tamdiu habeant custodiam et disciplinam a magistris suis, donec veniant ad illam aetatem, in qua cognoscantur posse sine disciplina esse. Similiter et adolescentes tamdiu debent esse sub

custodia et disciplina, donec veniant ad illam aetatem, in qua possunt credi sine magistris esse, v. gr. si usque ad viginti vel triginta fuerit necesse sub custodia esse, sub custodia debent stare. Et hoc notandum: usque ad quintum decimum annum, sicut inferius dicturus est, debent illi infantes sub custodia esse, et sub omnibus, quibus injunctum est. Deinde post XV annum, si visus fuerit ille infans bonus et sobrius, ita ut non sit illi necessitas, magistros habere, debet exire de illa disciplina, et debet illum abbas solummodo uni specialiter fratri bonae et sanctae conversationis commendare, qui illum custodiat, atque dare, non ut illi serviat sicut manipulus (?), sed ut ille illum custodiat, i. e. cum illo sedeat, quando legit et quando obedientiam ubique agit. Et ille senior debet illum sollicite custodire et videre, utrum levis sit in suo motu aut forte familiaritatem habeat cum aliis infantibus, suis coaevis etiam. Si illum cognoverit vitiosum esse, tunc debet abbati de illo nunciare post unum annum, ex quo egressus est de custodia, sive ante, i. e. juxta quo eum cognoverit sollicitum esse. Tunc ille abbas debet illum infantem ita esse, sicut majores sunt, constituere. Sciendum est enim, quia, si necessitas fuerit, ut pro hospite de officio exire debeat aliquis, ille debet exire, qui obedientiam hospitum habet; nam de hospitibus monachis ita in Francia agitur: Si est familiaris monachus, in dormitorio monachorum dormit et in claustra cum aliis monachis legit et in refectorio manducat et mane et sero et ad capitulum venit fratrum. Si iste talis videt ibi negligentiam, debet admonere, ut emendetur. Si vero novus hospes fuerit, tantum ad capitulum venit fratrum causa aedificationis ex lectionis traditione et ducitur in refectorium fratrum ad manducandum; dormire vero — foris dormit in dormitorio hospitum monachorum. Nam prima vice cum venit iste novus, ducit eum prior per tota officina monasterii dicens: Frater, ubi negligentiam forte vidisti, caritatis amore deprecamur, ut dicas, quatenus emendemus. Si vero fuerit monachus hospes aut clericus nobilis, tunc, cum exeunt de refectorio, cum abbate exeunt post fratres. Si vero pauper

fuerit ille, hospitalis apprehendit eum, et ante omnes exeunt foras, et ducit illum vadens ante omnes ad oratorium.

Cap. LXIV.

DE ORDINATIONE ABBATIS.

Sequitur: *In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore consilio elegerit. Vitae autem merito et sapientiae doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis* et reliqua. — Forte quaerit aliquis, quare S. Benedictus hoc capitulum in primordio non scripsit. Cui respondendum est: Bene in hoc loco hoc capitulum scripsit, nec aliter etiam debuit facere, qui imprimis scripsit de illo vel pro illo, cum dixit: *Ausculta o fili, praecepta magistri*, eo, quod discipulum admonuit, ut obediret magistro. Deinde totum corpus comprehendit, cum de generibus vel vita monachorum dixit; ait enim: *Ad coenobitarum fortissimum genus adjurante Christo veniamus.* Post vero quasi caput hujus corporis constituit, cum de abbate dixit, qualis debeat esse, tam in se, quam in exterioribus. Post vero de instrumentis bonorum operum dixit. Deinde de duodecim gradibus humilitatis dicit; post autem de officiis divinis, deinde de judiciis, postmodum autem qualiter suscipiantur novitii, deinde de ordine congregationis. Deinde ordinato capite cum corpore suo, quia non potest aliter, ut istud caput, i. e. abbas non moriatur, ideo nunc de restauratione capitis, i. e. abbatis congruo loco hoc capitulum constituit. Dicit enim: *In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei* — subaudiendum est: elegerit — *sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore consilio elegerit.* Notandum vero est, quia tres distinctiones in hoc loco fecit S. Benedictus: primam, cum dixit *si omnis concors congregatio cum timore Dei elegerit.* Et bene dixit *cum timore Dei*; quia et est mala concordia sine timore Dei, sicut inferius dicturus est,

cum dicit: *Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa aliquantulum in notitiam episcopi, ad cujus dioecesim pertinet locus ipse, vel ad abbates aut christianos vicinos claruerint, prohibeant pravorum praevalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant, sicut econtrario peccatum, si negligant.* Secundam distinctionem fecit, cum dicit *sive etiam pars quamvis parva saniore consilio elegerit.* Tertiam vero distinctionem fecit illam, quam praediximus, cum dicit *quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit*, et reliq. Hoc notandum est, quia in hoc loco, quod dicit *quamvis parva*, subintelligitur: si media pars congregationis saniore consilio, sive etiam pars major congregationis saniore consilio elegerit, illis consentiendum est, qui saniori, i. e. meliori consilio eligunt. Quid est parva congregatio? Verbi gratia, si quinquaginta monachi sunt, qui malum abbatem eligunt, et sunt duo boni fratres, qui meliorem abbatem eligunt, istis duobus consentiendum est et non illis quinquaginta. Similiter si centum sunt, qui negligentem abbatem eligunt, et tres sunt, qui meliorem abbatem eligunt, illis tribus consentiendum est et non illis centum. Similiter si ducenti vel treceuti aut etiam quingenti, et fuerint tres aut quatuor vel quinque boni, qui meliorem eligunt, istis tribus vel quatuor aut quinque fratribus consentiendum est et non illis ducentis vel trecentis aut quingentis. Et bene dixit *etiamsi ultimus fuerit in congregatione*, quia in tali electione nullatenus ordo servari debet. Verbi gratia, si fuerit talis, qui per triginta annos fuerit in monasterio et non fuerit dignus, et alter fuerit, qui uno anno habitavit in monasterio et fuerit dignus, iste est eligendus, qui uno anno habitavit in monasterio studiose et diligenter, et non ille, qui per triginta annos tepide et negligenter habitavit in monasterio. Hactenus B. Benedictus dixit, qualiter eligatur abbas. Nunc vero subjunxit, quae persona eligatur,

cum dixit: *vitae autem merito et sapientiae doctrina eligendus est*, *qui ordinandus est*, *etiamsi ultimus fuerit in congregatione.* Attendendum est, quia duo dixit B. Benedictus habere illum, qui eligendus est ad abbatem consecrandum, i. e. vitam et sapientiam. Notandum est enim, quia si inveniri potest, qui ista duo habeat, i. e. sapientiam et vitam bonam, ipse est eligendus; si vero non fuerit inventus, qui ista duo habeat, sed divise, v. gr. si inventus fuerit talis frater, qui vitam bonam habuerit et tamen non habuerit sapientiam, et iterum invenitur alter frater, qui vitam bonam non habuerit, et tamen habuerit sapientiam, ille eligendus est magis, qui vitam bonam habet, quamvis non habeat sapientiam, quam ille, qui sapientiam habet et non bonam vitam. Si autem talis fuerit illa persona, quae vitam bonam habet et tamen non est affabilis, ut aliis possit prodesse, sicut solent multi esse, eo quod non sunt affabiles nec zelum habent, et iterum est alter, qui sapientiam habet et potest aliis prodesse eo, quod est affabilis et zelans, et quamvis ejus vita sit fragilis, tamen non multum est mala, iste est potius eligendus, qui, quamvis ejus vita sit fragilis, tamen non multum est mala, si sapientiae doctrina affabilis est, ut aliis proficiat. Si autem iste, qui, quamvis sapiens sit, tamen ejus vita multum est mala, ille eligendus est, qui vitam bonam habet, quamvis non sit ita doctus, ut aliis proficiat. — *Dioecesim*, i. e. parochiam. *Aliquatenus*, i. e. aliquo modo. *Caste*, i. e. sine corruptione vanae gloriae vel praemiorum. Sicut enim merces est, si hoc malum sine vana gloria aut praemio prohibent, ita e contrario peccatum est, si negligant. Bene dicit *si illud caste et zelo Dei faciant*; cum dicit *illud*, subaudiendum est: *bonum*, i. e. ut bonus ordinetur abbas, non malus. Ac per hoc ut merces sit illis, qui pro bono ordinando abbate laboraverint, ideo dicit: *scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant* — quasi diceret: scient, se pro hoc labore a Deo mercedem recepturos, si hoc pro Dei amore laboraverint et sine ullius muneris retributione. *Caste* enim attinet ad hoc, ut sine corruptione fiat, i. e.

sine permixtione vanae gloriae aut alicujus muneris vel retributionis. *Zelo Dei* attinet ad amorem Dei; zelus Dei est amor perficiendi Dei praecepta. Talis enim sensus est in hoc loco, cum dicit *caste et zelo Dei*, qualis est in illo loco, ubi dicit propheta: *Beatus qui excutit manum suam ab omni munere;* quem sensum B. Gregorius exponit in evangelio, ubi Dominus dicit: »*Gratis accepistis, gratis date*«: *Praesciebat namque nonnullos . . . . in publico ostendat.*[1])

Sequitur: *Ordinatus autem abbas cogitet semper, quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem vilicationis suae; sciatque, sibi oportere prodesse magis, quam praeesse.* Hactenus dicit, qualiter fiat abbas. Nunc ordinatum abbatem docet [illum], qualiter agat, et mittit frenum illi, cum dicit: *Ordinatus autem abbas cogitet semper, quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem vilicationis suae* et rel. Per hoc autem, quod dicit *ordinatus autem abbas cogitet, quale onus suscepit* et reliq., attendendum est, quia non dicit solummodo *cogitet*, sed dicit *semper*, i. e. non per intervallum cogitet, sed semper. Sciendum est enim, quia non dicit *honor*, sed *onus*, i. e. pondus. Et bene pondus dixit illum suscepisse et non honorem, quia, qui hoc pondus suscipit, non ut honoretur, suscipere illud debet, sed ut laboret et aliis proficiat, sicut ipse subjungit *sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse.* Attendendum est, quia non dicit *praeesse*, sed *prodesse*, quasi diceret: Cognoscat abbas, ideo hoc officium suscepisse, quia oportet [illud],[2]) ut aliis proficiat et non praesit. Mali e contrario non se sciunt prodesse, sed praeesse, i. e. ideo accipiunt officium pastorale, ut honorati et praelati videantur, non ut aliis possint prodesse, i. e. adjutorium praebere, sed ut magis ac magis divitias et honores sibi exposcunt[3]) assumi. — *Praeesse*, i. e. superesse. *Vilicationis suae*, i. e. ministerii sui; vilicus enim derivatur a villa, unde quidam hoc

---

[1]) Homil. 4. n. 4. 5. (Migne, tom. 76. col. 1091. 1092.)
[2]) illum. Cod. Mellicens.
[3]) exposcant (?).

nomen per duo *ll* pronuntiant *villicus* dicentes, sed hoc euphonia judicat (iudicat?), quae pro longo usu utitur in regulam. *Vilicus* enim proprie, sicut Isidorus dicit, villae gubernator est, unde et a villa villicus nomen accepit. Interdum autem vilicus non gubernationem villae, sed dispensationem universae domus Tullio interpretante significat, quod est universarum possessionum et villarum dispensator.[1])

Sequitur: *Oportet ergo eum esse doctum lege divina, ut sciat et sit, unde proferat nova et vetera.* — Bene dixit, esse abbatem doctum lege divina, quia debet cognitionem novi et veteris testamenti habere, quia, sicut dicit B. Gregorius papa, ars artium est gubernatio et doctrina animarum. Nam quare dixerit, illum esse doctum lege divina, manifestat, cum subjunxit dicens *ut sciat et sit, unde nova et vetera proferat*, quasi diceret: ut cognoscat et sit tale vasculum, unde possit nova et vetera proferre. Nam cum *sit* dicit, vas eum fecit; hoc est dicere: *sciat* per doctrinam, *sit* per vitam. Ille enim scit nova et vetera proferre, qui cognoscit dicere poenam perpetuam et gaudium patriae coelestis. Quid enim per nova nisi gaudium, et quid per vetus nisi poena intelligitur? *Quia*, sicut dicit B. Gregorius, *ille in sancta ecclesia doctus praedicator est, qui et nova scit proferre de suavitate regni, et vetusta dicere de terrore supplicii, ut vel poenae terreant, quos praemia non invitant. Audiat de regno, quod amet, audiat de supplicio unusquisque, quod timeat, ut torpentem animum et terrae vehementer inhaerentem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minet.*[2]) Bene dicit *ut sciat et sit*, quia scriptura dicit: tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis praedicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. Vera est enim illa doctrina, quam vivendi sequitur forma.

[1]) Etymol. lib. 9. c. 4. n. 33.
[2]) hom. 11. in Evang. (Migne, tom. 76. col. 1117.)

Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone praedicat, explere operibus negligat; tunc enim praedicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Unusquisque doctor et bonae actionis et bonae praedicationis habere debet studium; nam alterum sine altero non facit perfectum, sed praecedit, justum bene agere, ut sequenter bene possit docere. Sicut in numismate metallum et figura et pondus inquiritur, ita in omni doctore ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humilitas designatur. Qui vero ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit.[1])

Sequitur: *Castum, sobrium, misericordem, et semper superexaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur.* Istud enim, quod dicit *castum* — ipse castus appellatur, qui post perpetrationem sceleris se continet. Notandum est, quia si ante perpetravit illud vitium, abbas potest esse, eo quod sacrificium abbas ob hoc, quia abbas est, non offert. Nam differentia est inter castitatem et continentiam, sicut dicit Cassianus in libris, qui de octo vitiis continetur,[2]) hoc modo: *Nemo tamen ex hoc negare nos putet . . . aliquando turbari.*[3]) Nunc videndum est, quare prius castum dicit S. Benedictus et non aliud? quia nullum vitium ita est Deo abominabile, quomodo immunditia corporalis, et ob hoc prius dixit, eo quod, si in aliqua immunditia corporis jacuerit, nullo modo abbas fieri debet, quia malum hoc valde Deo horribile est. — *Sobrium;* bene dicit sobrium, i. e. non gulosum, non vagulum; sed temperatus et modestus esse debet. *Misericordem;* bene dicit, misericordem debere esse abbatem, quia, sicut Dominus dicit: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequuntur.* Notandum, quia misericordem oportet illum esse in cibo et potu et vestitu. Si autem in vitiis ventum fuerit et ibi

[1]) S. Gregorii Moral. in cap. 41. B. Job. (Migne, tom. 76. col. 711. 712.)

[2]) continentur (?) = comprehenduntur (?).

[3]) De coenobior. instit. lib. 6. c. 4. (Migne, tom. 49. col. 270—272.)

dubium fuerit, utrum poenam exerceat an misericordiam, tolerabilius est flectere ad misericordiam quam ad poenam. *Misericors enim*, sicut Isidorus dicit, *a compatiendo alienae miseriae vocabulum est sortitus*, *et hinc appellata misericordia*, *quod miserum cor faciat dolentis alienam miseriam. Non autem occurrit ubique haec etymologia*; *nam est in Domino misericordia sine ulla cordis miseria.*[1] Quod vero dixit *semper superexaltet misericordiam judicio*, — quasi diceret: semper superponat misericordiam judicio, i. e. poenae; quasi diceret: semper majorem faciat misericordiam in judicio quam poenam, quia melius est, ubi offendere videtur, in misericordia offendat, sicut diximus, quam in crudelitate offendere. Quod enim in mensura judiciorum dandorum magis ad misericordiam flectendum sit quam ad poenam[2]) crudelitatem, docet Joannes, os aureum, in tractatu suo super Matthaeum, ubi Dominus dicit: »*Alligant autem onera gravia et inportabilia et imponunt super humeros hominum, ipsi autem digito suo nolunt ea movere*«: *Quantum ad Pharisaeos quidem et Scribas*, *de quibus loquitur*, *onera gravia* ... *tributi in civitate.*[3])

Sequitur: *ut idem ipse consequatur.* Cum dicit *idem*, subaudiendum est: opus misericordiae: quasi diceret: sit misericors, ut misericordiam a Domino consequatur. Quod enim dicit *oportet eum esse doctum lege divina*, subaudiendum est: cognitione[4]) veteris et novi testamenti habere, sicut superius diximus. Lex enim dicitur ex eo, quod animos nostros liget suisque teneat obnoxios constitutis, ut qui voluntarie ea, quae recta sunt, non vult, constrictus a lege agat invitus. Unde dicit Paulus apostolus: *Lex non est posita justo*, *sed injustis*, eo quod justus non vult tantum agere, quantum lex praecipit, sed etiam plus; v. gr.: lex enim praecipit, non inebriari. Justus enim homo non solum

[1]) Etymol. lib. 10. n. 165.

[2]) poenae (?)

[3]) Opus inperfect. in Matth. homil. 43. (Migne, patrol. graec. tom. 56. col. 877. 878.)

[4]) cognitionem. Cod. Tegerns.

non vult inebriari, sed etiam ipsum vinum parcius bibit. Injustis autem posita est lex, quatenus constricti a lege mala, quae facere volunt, non audeant, et bona, quae facere nolunt, agant, sicut diximus, inviti.

De eo, quia abbates presbyteri esse debent, Eugenius Papa in decretis suis[1]) dicit hoc modo: *Abbates per monasteria tales ordinentur, qui sibi subjectos bene regere possint, sacerdotalem quoque honorem adepti.*[2])

Sequitur: *oderit vitia, diligat fratres.* Sunt enim multi, qui pro amore hominis etiam vitia ejus diligunt. Et iterum sunt alii, qui horrendo vitium etiam hominem, in quo vitium est, horrent. Et quia hoc malum est, ideo S. Benedictus dicit *oderit vitia diligat fratres*, h. e. hominem debet diligere, et vitium ejus solummodo debet horrere. Unde dicit Psalmista: *Perfecto odio oderam illos.* Perfectum enim odium est hominem diligere, quantum creatura Dei est et ad similitudinem factus est Dei. Vitium vero ejus debemus horrere et contemnere, sicut boni medici faciunt, qui languores odiunt, ipsos vero homines diligunt, et adeo laborant, ut expulso languore atque fugato homo sanus efficiatur. Et sic debet facere abbas. Monachos debet diligere, infirmitates vero eorum, i. e. superbiam, invidiam, inobedientiam et cetera mala debet horrere, et ita debet laborare, cum illis prudenter et cum caritate, quatenus expulsis ipsis malis per poenitentiam atque correptionem et emendationem justi ante Dominum inveniantur.

Sequitur: *In ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere aeruginem, frangatur vas, suamque fragilitatem semper suspectus sit.* Quod autem dicit *in ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis*, — ac si diceret: Cum aliquem corripit et eum emendare vult, prudenter faciat, ut non nimis, i. e. plus quam debet. Et reddit causam, quare, dum dicit *ne dum nimis cupit aeruginem eradere, frangatur vas. Nimis*

---

[1]) Cap. 27.

[2]) Cf. Pertz. tom. II. legum, parte II. pag. 16.

est: plus quam oportet. Nam quid sit *nimis*, B. Augustinus in *Beati immaculati* exponit, ubi dicitur: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hoc modo dicens, ait enim: *Nimis quippe dicitur, quidquid plus fuerit quam oportet. Nam parum et nimium duo sunt inter se contraria. Parum est, quod minus est quam oportet; nimium, quod plus est quam oportet. Horum in medio modus est, quod dicitur: satis est. Cum itaque utile sit in vita et moribus, ut amplius, quam oportet, nihil omnino faciamus, profecto veram esse sententiam: »ne quid nimis,« fateri potius quam negare debemus. Sed aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut »nimis« pro eo, quod est »valde« et positum inveniamus in literis sacris, et ponamus in sermonibus nostris. Nam et hic: »Tu praecepisti mandata tua custodiri nimis,« non nisi valde intelligimus, si recte intelligimus. Et »nimis te diligo,« si alicui carissimo dicimus, non utique plus quam oportet, sed valde nos diligere intelligi volumus. Denique illa graeca sententia non habet hoc verbum, quod hic legitur; ibi enim est ἄγαν, quod est nimis, hic est autem σφόδρα, quod est valde. Sed aliquando, ut diximus, nimis pro eo, quod est valde, et dictum invenimus et dicimus, unde nonnulli etiam latini codices non habent: »tu praecepisti mandata tua custodiri nimis«, sed »valde«.*[1]) Nam naturalem doctrinam docet, dum dicit *ne dum nimis cupit eradere aeruginem, frangatur vas*, quia sicut in vasis invenitur aerugo, ita etiam in hominibus inveniuntur vitia; v. gr. est enim tale vas, quod tantum in summitate habet aeruginem; et iterum est aliud vas, quod usque in medio habet aeruginem; est et aliud tertium vasculum, quod profundius habet, i. e. usque in aliam partem egressam aeruginem. Deinde si volueris istud vas aeruginare, quod in summo habet aeruginem, potes illud absque fractione aeruginare. Similiter si istud vas, quod usque in medium habet aeruginem, velis aeruginare, potes absque ruptione aeruginare. Si autem istud vas, quod profundius habet aeruginem,

---

[1]) Enarrat. in psalm. 118. v. 4.

velis aeruginare ita, sicut illud, quod in summo, vel sicut illud, quod usque in medium habet aeruginem, tunc absque ulla mora franges illud vasculum. Ita et in hominibus intelligendum est. Sunt enim tales homines, qui quasi naturaliter habent illud vitium; et sunt iterum alii, qui ipsum vel aliud non quasi naturaliter habent, sed postea adsumunt. Deinde istis, qui non habent illud vitium quasi naturaliter, potes emendare; illis autem, qui quasi naturaliter habent illud vitium, emendari non potest; tamen ab aliis vitiis emendantur, ab ipso autem, quia quasi naturaliter habent illud vitium, non possunt emendari. Tu autem si volueris ita istos homines, qui illud vitium quasi naturaliter habent, ipsum vitium persequi pro eo et castigare, sicut illos, qui emendari possunt, tunc franguntur, i. e. forte moriuntur, antequam emendentur. Verum debent illi castigari et non dimitti, sed tamen non sic acriter, sicut illi, qui possunt emendari. Nam sunt carnales doctores nescientes discretionem docendi, qui *per rabiem furoris*, sicut Isidorus dicit, *disciplinae modum ad immanitatem crudelitatis convertunt, et unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Ideo sine mensura ulciscitur culpas praepositus iracundus, quia cor ejus dispersum in rerum curis non colligitur in amorem unius Deitatis. Mens enim soluta in diversis catena caritatis non adstringitur, sed male laxata male ad omnem occasionem movetur.*[1]) Bene dixit *suam fragilitatem semper suspectus sit*, ac si diceret: semper debet se fragilem cognoscere, i. e. aut cecidit forte in illud peccatum, aut si non cecidit, posse[2]) cadere, quia si hoc consideraverit, tunc cognoscit aliis misericordiam facere. Nam qualiter agenda sit correptio circa delinquentes, B. Augustinus docet in libro de sermone Domini in monte cap. XIX, ubi Dominus dicit: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis festucam ejicere de oculo fratris tui*, i. e. *primum abs te expelle odium et deinde poteris . . . . occultarent.*[3])

---

[1]) Sententiar. lib. 3. c. 40. [2]) potest (?)
[3]) Cf. Migne, tom. 34. col. 1298. 1299. n. 64–67.

Qualiter ergo sine culpa corripientis existat ipsa correptio, quam corripit, doctor B. Gregorius mirificentissime docet in libro vigesimo tertio Moralium dicens hoc modo: *Nos enim quia infirmi homines sumus . . . . iniquitas increpari.*[1])

Sequitur: *memineritque, calamum quassatum non conterendum.* Hoc Jeremias propheta de Domino Jesu Christo dixit, ait enim: *Calamum quassatum non conteret, linum fumigans non extinguet.* Per calamum enim intelligitur omnino peccator; per linum vero fumigans homo, qui non per omnia malus est, quia jam quando fumus exit de illo, tunc aliquid boni habet; quasi diceret: peccatorem non despicit, sed ad poenitentiam illum revocat. *Calamus quassatus*, i. e. non penitus ruptus, sed flexus et incurvatus et quod potest reparari. Ita enim et nunc dicit B. Benedictus *calamum quassatum non conterendum*, i. e. non in tantum persequatur illum hominem, qui quasi naturaliter habet illud vitium, ut pereat. Non dicimus, ut illum hominem pro suo vitio non castiget, sed non ita fortiter persequatur, sicut illum, qui non quasi naturaliter habet illud vitium, sicut jam diximus; et hoc est quod subsecutus est dicens: *In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet;* ac si diceret: vitia emendet et non nutriat, sed tamen prudenter ea amputet et cum dilectione. Per hoc quod dicit: *ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus,* — ac si diceret: sicut cognoverit unicuique expedire, i. e. congruere vel convenire; hoc est: cui flagellum expedit, flagellum adhibeat, et cui non expedit, non adhibeat. V. gr. ecce duo fratres: istum unum nisi flagellaveris, non emendabis; tunc flagelletur; iste autem si flagellatus fuerit, numquam emendabitur, sed magis deterioratur; tunc non debet flagellum illi adhiberi, sicut dicit papa Gregorius: *Unde unus medetur, alter moritur.*

---

[1]) Moral. lib. 23. in cap. 33. B. Job. (Migne, tom. 76. col. 266. n. 25.)

Sequitur: *et studeat plus amari quam timeri*; subaudiendum est: a bonis. Isto modo potest hoc praeceptum impleri: v. gr. si flagellum adhibet, debet illi postea dulcem confabulationem porrigere vel hujuscemodi, quatenus [ut] ad amorem provocetur. Et hoc est, quod dicit S. Benedictus: *in quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet. Prudenter* dicitur, quasi *porro videnter*, i. e. finem rei videnter. Ideo prudenter dicit, quia semper debet videre, i. e. considerare, si ad profectum venit illa correptio aut flagellatio aut excommunicatio, hoc est debet animadvertere, si melius erit ille frater per ipsam doctrinam aut pejus aut certe nec melius nec pejus, sed sicut fuit. Et hoc ipsum cum caritate faciat, i. e. cum zelo Dei et dilectione illius fratris, quia vult eum salvum esse, corripiat atque admoneat. Hoc sciendum est, quia pulchre dicit *prudenter et cum caritate*; quia semper fieri debet illa correptio cum dilectione, non cum odio, et sicut superius diximus, semper debet finem aspicere; nam melius est prudenter sine caritate, quam cum caritate et non prudenter.

Sequitur: *Non sit turbulentus et anxius; non sit nimius et obstinatus; non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia nunquam requiescit.* Turbulentus enim dicitur ille, qui in vultu suo hilaritatem non ostendit. Anxius est superfluus, sicut nos dicimus; sive anxius est ille, qui uno in tempore diversa cupit agere sine aliqua interpositione. *Nimius* enim et *obstinatus* unum significat: obstinatus est, qui aliquid praecipitanter et sine revocatione facere festinat; *obstinatus*, i. e. irrevocabilis; nam in priore, qui obstinatus est, h. e. qui per aliorum consilium nil vult agere, malum vitium est istud, et ob hoc ad malum finem solet pervenire ille princeps. Quod vero dicit *non sit zelotypus et nimis suspiciosus*, unum significat. *Suspiciosus* non dicit, ut in divinis rebus non sit, sed in temporalibus rebus; v. gr. si dederit ministerium alicui fratri, veluti est cellararius aut vestiarius, et rel., de his non sit nimis suspiciosus, ut forte plus quam oportet. Et hoc notandum est, quia de istis

non dicit, ut nullo modo suspicetur, sed dicit, ut nimis suspiciosus non sit. Ideo dicit *nimis*, ne usque ad odium perveniat. Verum in divinis rebus, h. e. in silentio, in lectione, et ceteris aliis, quae ad divina opera attinent, semper sollicitus et suspiciosus sit.

Sequitur: *In ipsis imperiis suis sit providus et consideratus, et sive secundum Deum sive secundum saeculum sit, opera, quae injungit, discernat et temperet, cogitans discretionem S. Jacob dicentis: »Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die«.* — Quod autem dicit *sive secundum Deum sive secundum saeculum sit, opera, quae*[1]) *injungit, discernat et temperet*, notandum est, quia *sit* debet dici, et non *sint* pluraliter; et est sensus: sive sit hoc, quod injungit secundum saeculum sive secundum Deum, videlicet opera, quae injungit; ac si diceret: opus illud quod injungit aliis, temperet, h. e. non plus quam oportet debet imperare suo monacho. Discernere vero est, utrum agenda sunt, necne. Nam non dicit, ut ille abbas, sive sit secundum Deum sive secundum saeculum, debeat esse, quod omnimodo refutandum est; sed dicit: sive sit opus spiritalis sive temporalis, illud opus discernat et temperet. Item, *sive secundum Deum sit, sive secundum saeculum*, ita construitur: i. e. discernat ac temperet opera, quae injungit; quae opera? i. e. sive secundum Deum, sive secundum saeculum sint illa opera, quae injunguntur. Et hoc sciendum est, quia nullo modo debes intelligere, ut abbas sit secundum saeculum, sed potius secundum Deum, sed tantum [ad] illud, quod agi necesse est, quia si abbatem regularem secundum saeculum intellexeris, erras, quia non est canonica auctoritas. Item quod vero dicit *opera, quae injungit, discernat et temperet*, ita intelligi debet: i. e. *discernat*, utrum agenda sunt necne; *temperet*, i. e. moderetur, ac si diceret: prius discernat et postmodum temperet, i. e. moderetur, ut non plus, quam oportet, illud injungat. Quod vero dicit *cogitans discretionem S. Jacob dicentis: »Si*

[1]) quam. Cod. Divion.

greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti uno die,« ac si diceret: debet cogitare discretionem S. Jacob, i. e. sicut ille fuit discretus super gregem suum, ita et abbas debet esse. Nam Jacob habuit in grege suo tales oves, quae poterant ire cito, sed tamen habebat tales, quae forte pro infirmitate aut pro parvitate non poterant sic cito ire, sicut illi sani, et propterea S. Jacob noluit consentire illis, qui plus poterant ire, sed magis illis, qui minus; quisi,[1]) sicut fortes, issent minores vel debiles, omnes morerentur una die. Ita et abbas faciat et consideret, qualiter illis in ambulando non offendat, sed magis in augmentando quotidie proficiant; v. gr. si fuerint tales fratres spiritales, qui dixerint abbati, plus quam regula dicit jejunare, et viderit abbas ille, non posse jejunium illud jejunare omnes aequaliter, non debet illis consentire. Si vero sibi, i. e. soli illi fratres spiritales de vino et cetera voluerint abstinere, considerare debet, ut, si possunt, faciant, si vero non possunt, non consentiat. Similiter etiam in labore debet facere: v. gr. si fuerint in illo opere tales fratres duo vel tres, qui potuerint fortiter laborare, ut alii similiter laborent, qui non possunt, non debet abbas illis consentire, sed magis debet illos constringere, ut non laborent, quatenus possint infirmi cum illis laborare aequaliter. Et hoc est, quod inferius dicit: *Sic omnia temperet, ut et fortes sit quod cupiant, et infirmi non refugiant.* Non enim dixit: *sint* pluraliter, sed *sit* singulariter dici debet, ut sit sensus: Sic temperet opus et disponat, ut tale sit illud opus, quod fortes cupiant facere, et infirmi non refugiant illud; quia si temperatum fuerit opus, infirmi illud non refugiunt, et fortes cupiunt illud agere, sicut superius diximus; quia, si fortes, qui possunt laborare, refrenaverit, illi fortes semper desiderabunt illud opus agere, eo quod volunt, sicut possunt, et non sinuntur, et infirmi non refugiunt, veluti cum quis ducit equum nimis cupienti[2]) ambu-

[1]) quodsi?

[2]) cupientem. Cod. Divion.

lare, et iterum ducit debilem: illi cupienti mittit frenum, ut nimis non ambulet, et debilem non constringit, sed in sua libertate dimittit, ut ambulet, prout vult.

Sequitur: *Haec ergo aliaque testimonia discretionis, matris virtutum, sumens sic omnia temperet, ut et fortes sint*[1] *quod cupiant*[2] *et infirmi non refugiant, et praecipue ut praesentem regulam in omnibus conservet, ut dum bene ministraverit, audiat a Domino, quod servus bonus, qui erogavit triticum cum servis suis in tempore suo: »Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.«* Bene dixit *discretionis* [*esse*] *matris virtutum*, eo quod discretio mater est virtutum, et quod virtutes a discretione procedunt. Pulchre enim dicit, discretionem esse matrem omnium virtutum, quia, quidquid sine discretione agitur, rectum coram Deo esse non potest. Unde Dominus dicit ad Cain: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Nam qualiter doctor in locutione sua discretionem habeat, B. Gregorius in homilia undecima primae partis Ezechielis eminentissime docet hoc modo dicens: *Pensare etenim doctor debet, quid . . . semina spargit.*[3] Non solum enim in verbis sancti praedicatores solent habere discretionem, sed etiam in factis. Docet idem ipse B. Gregorius in ultima parte moralium libro vigesimo octavo cap. XI. n. 28—30. hoc modo dicens: *Dicatur nunc, quemadmodum . . . . hoc, quod appetit, contemplatur.*[4] Quod autem dicit *et praecipue ut hanc regulam in omnibus conservet,* subaudiendum est: ille abbas. Ubi sunt illi, qui dicunt: non debent abbates hanc regulam sicut monachi observare, cum hic dicitur, ut abbas praecipue hanc regulam observet? Quod vero dicit: *ut dum bene administraverit, audiatur a Domino, quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: »Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.«*

---

[1]) sit (?)

[2]) ut et forte sit, quod cupiat. Cod. Fürstz.

[3]) Homil. XI. in Ezech. n. 12—20. (Migne, tom. 76. col. 910—914.)

[4]) Migne, tom. 76. col. 464. 465.

quasi diceret: quia si bene suum peregerit ministerium tam in se quam in aliis, i. e. ut eum, qui increpari dignus fuerit, increpaverit, quem rogari, rogaverit, quem excommunicari, excommunicaverit, et illis etiam temporalia ministraverit, a Domino mercedem constitutam accipiet, sicut ille servus constitutus, qui bene ministravit, i. e. tempore suo dedit conservis suis cibum. Dicit enim Beda: *Magnae quippe scientiae est*, *dare in tempore conservis cibaria et audientium considerare personas.* Nunc videndum, quid est, quod dicit: *super omnia bona sua constituit eum.* Quomodo super omnia bona eum constituit, cum multi sunt boni dispensatores? Jam si unus super omnia bona constitutus fuerit, quomodo alter potest constitui? Vere potest, eo quod coelestis patria non est sicut terrena. Terrenam namque hereditatem quantum unus plus habuerit, tantum alius minus. Illa vero coelestis hereditas non est ita; sed quantum plus quis illam habuerit, tantum alius plus habet, quia gaudium alterius suum esse credit. Ecce enim B. Benedictus docuit, qualiter et quam recte abbas habeat sollicitudinem vitae suae et de vita discipulorum suorum. Nunc autem dicendum est, si forte pro fragilitate ab ipsa rectitudine deviaverit, utrum debeat a discipulis suis admoneri, et si admoneri debet, qualiter admoneatur. Unde necesse est, ut verba B. Gregorii, quibus de hac re docet, in hoc loco adhibenda sunt, quae ita se habent: *Saepe aliquid a majoribus dispensatorie . . . . ad vitam ipse suscitavit.* [1])

Cap. LXV.

DE PRAEPOSITO MONASTERII.

Congruum ordinem tenuit B. Benedictus in eo, quod prius dixit de abbate et postmodum de praeposito monasterii.

Sequitur: *Saepius quidem contingit, ut per ordinationem praepositi scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint*

[1]) Moral. lib. 5. in cap. 3. B. Job. n. 24 et 25. (Migne. tom. 75. col. 691—693.)

aliqui maligno spiritu superbiae inflati et aestimantes, se secundos esse abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt et dissensiones in congregatione faciunt, et maxime in illis locis, ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus, qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam praepositus ordinatur. — Cognovit B. Benedictus, magnum malum esse discordiam, et adeo magnum malum, ut omne bonum pro discordiae malo posse[1]) deperire. Ideo studuit etiam hoc capitulum componere, quatenus corpus monasterii possit esse conjunctum, ne si separatum per discordiae malum fuerit, adversus hostem non possit consistere, quia si civitas vel exercitus pugnans adversus hostem divisa vel divisus fuerit, non poterit vincere, sed per eos, quos partis adversariae habet, in manus inimicorum suorum tradetur. Sic et monasterium si divisum fuerit, non solum ipsi pereunt, sed etiam illi, qui potuerant esse forte boni, solent perire. Et adeo malum discordiae S. Benedictus insequitur, ut etiam ipsum praepositum, si post ejectionem praepositurae humilis non fuerit, de monasterio jubeat expelli, ne diabolus, amator discordiae, suos[2]) habere in congregatione possit, per quem alios possit decipere. *Tyrannidem*, i. e. crudelitatem vel terrorem. Sed dicendum est, qualiter praepositus assumat crudelitatem. Quia enim se esse aestimat secundum abbatem, quibus potest blandiri, blanditur, ut ad se trahat, et quibus fratribus non potest blandiri, terrorem incutit aut aliquam crudelitatem exercet. Quasi diceret, cum dicit *assumentes sibi tyrannidem*, i. e. crudeles se esse ostendentes.[3]) Praepositus enim appellatur eo, quod sit subjectorum ac famulantium ordinator vel rector.

Sequitur: *quod quam sit absurdum, facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia datur superbiendi,*

---

[1]) possit (?)

[2]) suum (?)

[3]) Verba hujus loci ita forsitan ordinanda sint: Cum dicit: *assumentes sibi tyrannidem* — ac si diceret, i. e. crudeles se esse ostendentes.

dum ei suggeritur a cogitationibus suis, exutum eum esse a potestate abbatis sui, quia ab ipso est ordinatus, a quibus et abbas. Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exinordinationes,[1] *ut*[2] *dum contraria sibi invicem abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est sub dissensione animas periclitari. et hi, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem; cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideo nos praevidimus expedire propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui.* Quod vero dicit *quod quam sit absurdum, facile advertitur*, et rel. — quasi diceret: hoc malum quantum vel quam sit absurdum — subaudis: ipsum malum, facile advertitur. *Facile*, i. e. cito; *advertitur*, i. e. cognoscitur vel intelligitur; *quam absurdum*, i. e. quantum malum; *materia*, i. e. occasio; *aemulationes*, i. e. invidiae; *dissensiones*, i. e. discordiae; *exinordinationes*, i. e. deordinationes. Bene dicit *exinordinationes*, quia quod abbas ordinat, praepositus deordinat, et quod praepositus ordinat, abbas deordinat. Quod autem dicit *necesse est*, non dicit, ut necessitas sit, perire, sed *necesse est*, i. e. non potest aliter fieri. *Necesse est* adverbium est confirmantis. *Dum adulantur* pertinet ad monachos; cum dicit *partibus*, attinet ad abbatem et praepositum. *Partibus*, i. e. dum adulantur monachi alii abbati, alii autem praeposito, quia alii dicunt abbati: Tu melius disponis, quam praepositus; et iterum alii vadunt ad praepositum et dicunt: Tu melius agis quam abbas. Et quod pejus est, cum sint alii:[3] quod audiunt a praeposito, dicunt abbati, et iterum, quod ab abbate audiunt, dicunt praeposito. Istud vero, quod dicit *cujus periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores*, — ac si diceret: Inprimis ad illos episcopos vel abbates hoc malum respicit, qui illum

---

[1]) exordinationes. Cod. Fürstz.

[2]) et (?)

[3]) qui (?)

abbatem et praepositum ordinaverunt, vel etiam monachos, qui consenserunt. Deinde tunc ad abbatem et praepositum hoc malum respiciet, si illos salubriter ac caritatis studio non correxerint vel ordinaverint. *Expedire*, i. e. convenire vel advenire; *pendere*, i. e. constare.

Sequitur: *et si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat. Quod si aut locus expetit aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi praepositum.* Quod vero dicit *per decanos ordinetur*, prout intelligo, antiqua consuetudo fuit, ut in omni officio et obedientia monasterii semper erat[1]) unus decanus super illos decem monachos; v. gr. si grammatici erant, qui discebant, unus decanus erat, i. e. prior super illos; et si portarii, similiter unus super illos decanus erat; et si super infirmos, unus decanus erat super illos. Et quid plus? Semper in omnibus officiis unus decanus erat super illos fratres, qui erant deputati ad illam obedientiam. Et isti decani habebant curam de eorum necessitate corporali, et illi necessitatem eorum quaerebant ab abbate, et illi erant solliciti de eorum negligentia, sicut legitur in instituta patrum, quando ad mensam sedebant, quomodo illi decani faciebant signum, si aliqua necessitas quaerendi erat fratribus. Deinde, quando forte coquebant panes, ibant quatuor vel tres decani, prout necesse erat, cum fratribus; quando vero in horto ibant, quatuor decani cum decania sua ibant. Deinde non audebat ire de istius decania quis et ire ad illius decaniam et loqui, nisi jussus. Similiter et in capitulo semper decanus erat super decaniam suam et in omni loco, quo ibat decanus, cum decania sua ibat. Et erat magna sollicitudo; sed modo non fit. Nam ille circator, sicut dixi, quando circabat monasterium, decanum corripiebat de negligentia sui subjecti, sicut jam dixi, eo

[1]) esset. Ex Marten.

quod decanus cum sua decania legebat hic et alter decanus cum sua decania legebat illic. Item quod autem dicit: *si potest fieri, per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit* — ac si diceret: Quidquid ordinandum est in monasterio, decani debent ordinare, et decani ita debent disponere, sicut abbas constituerit. Et reddit causam, quare, cum dicit: *ut dum pluribus committitur, unus non superbiat* — ac si diceret: Ideo decani debent ordinare, quia, si unus solummodo ordinaverit, elatus efficitur in cogitationibus. Non dicit, ut superbiat ad abbatem, sed ne elatus in corde existat, cum videt, se solum regere monasterium. Quod autem dicit: *Quod si aut locus expetit aut congregatio petierit* — istud *aut* pro *et* ponitur in hoc loco, eo quod congregatio non debet petere nisi rationabiliter. Quod autem dicit *quemcunque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum ordinet* — quasi diceret: Quando elegerit abbas praepositum cum consilio timentium Deum, h. e. seniorum, [et] postmodum interroget omnes in capitulo, sicut superius diximus: seniorum tantum utatur consilio.

Sequitur: *Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia, quae ab abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut ordinationem faciens, quia quantum praelatus est ceteris, tantum eum oportet sollicite observare praecepta regulae. Qui praepositus si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbiae aut contemptor sanctae regulae fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater; si non emendaverit, adhibeatur ei correptio disciplinae regularis; quod si neque sic correxerit, tunc dejiciatur de ordine praepositurae, et alius, qui dignus est, in loco ejus subrogetur. Quodsi et postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet tamen abbas, se de omnibus judiciis suis Deo reddere rationem, ne forte invidiae aut zeli flamma urat animam.* Quod vero dicit: *Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia* et rel. — usque modo dixit, qualiter ordinetur praepositus, modo vero, postquam ordinatus est, constringit illum dicens: *illa agat*

reverentia, i. e. cum honore et timore Dei. Quod autem dicit *nihil contra voluntatem abbatis aut ordinationem faciens*, duo dixit: Potest esse voluntas abbatis, quod non est ordinatio; v. gr. ordinat abbas, quae agi debent. Quia nullus est mortalis, qui sic possit definire omnia in primis, ut postmodum non sit etiam necessitas, iterum melius ordinandi; tunc ille praepositus non agit contra ordinationem, cum ea custodit. Et similiter non agit contra voluntatem abbatis, si in aliis rebus, in quibus non potuit abbas definitionem ponere, si praepositus ita illa agat, prout abbatis voluntatem cognoverit. Quod autem dicit: *quia, quantum praelatus est, ita eum oportet sollicite praecepta regulae observare*, ita intelligitur, i. e. in cibo vel potu, in silentio, vel ubi potest, videlicet in lectione et obedientia, seu etiam in reliquis causis. Quod vero dicit *vitiosus aut elatione deceptus* — *vitiosus* attinet ad cibum vel potum, *elatio* autem attinet ad vestitum et ad equitandum. *Contemptor sanctae regulae* attinet ad silentium vel lectionem et cetera, quae regula dicit. Quod autem dicit *admoneatur usque quater* et reliq., bene dicit *usque quater*, quia sicut major est in honore, ita etiam plures habere debet admonitiones; v. gr. monachus duabus vicibus dicitur corripi, decanus tribus, praepositus quatuor. Istud vero, quod dicit *si non emendaverit*, *adhibeatur ei correptio disciplinae regularis* — quasi diceret: Si per quatuor vices fuerit admonitus et non se emendaverit, ducatur per gradus, h. e. publica correptio, excommunicatio, *nimiis jejuniis*, si dignus est, flagellum, deinde oratio, postea dejiciatur de ordine praepositurae, sicut ipse S. Benedictus dicit: *tunc dejiciatur de ordine praepositurae*, *et alius*, *qui dignus est*, *in loco ejus subrogetur*. Postea expellatur, sicut ipse S. Benedictus dicit: *Quod si et postea in congregatione* et rel., *etiam de monasterio expellatur*. Hoc vero, quod dicit: *Cogitet tamen abbas*, *se de omnibus judiciis suis Deo reddere rationem*, et rel., attendendum est, quia, ubi S. Benedictus de judicio dicit dando ab abbate, ipsi abbati quasi frenum mittit, cum dicit *quia in omnibus judiciis suis redditurus est Deo rationem*, sicut in hoc loco dicit. Et bene dicit

ne forte zeli aut invidiae flamma urat animam, quia forte ille praepositus est bonus homo et sanctae conversationis, et ideo dicit *ne zeli aut invidiae flamma urat animam.* Zelum enim et invidia unum significat; quamvis namque unum significet, tamen zelum attinet ad praeteritum malum, invidia vero ad futurum — ac si diceret: ne, quia videt illum bonum esse aut futurum esse, ideo ejiciat de monasterio. Sciendum est enim, quia cum abbas non fuerit in monasterio, eandem potestatem, quam abbas habet, debet habere praepositus, videlicet in arguendo vel in excommunicando seu etiam in flagellando atque in ceteris locis. Si praepositus non fuerit, debet habere decanus; si vero decanus non fuerit, debet habere ille, quem in suo loco constituerit. Et quod ita debet esse, ipse S. Benedictus dicit: *in quibus partiatur onera sua;* et iterum: nisi cui potestas ab abbate data fuerit, nulli liceat quemquam excommunicare.

Cap. LXVI.

DE OSTIARIO MONASTERII.

Ostium enim, sicut Cassiodorus dicit,[1]) ab obstando dictum est, quod, dum claudit, obstat intrantibus. Congruum ordinem tenuit B. Benedictus in eo quod prius dixit de abbate et postea de praeposito, et nunc subjungit de portario monasterii; ait enim: *Ad portam monasterii ponatur senex sapiens, cujus maturitas non sinat eum vagari.* — Quamvis enim scriptura divina senem pro sapiente dicat, tamen S. Benedictus in hoc loco vult, ut habeat et senectutem per aetatem et sapientiam per vitam; nam quare vult duo, manifestat inferius cum dicit: *ut sciat accipere responsum et reddere, cujus maturitas eum non sinat vagari.* In eo quod dixit: *sciat accipere responsum et dare*, attinet ad sapientem; et in eo quod dicit: *cujus maturitas eum non sinat vagari*, attinet ad aetatem. Et quia non omnis senex sapiens invenitur, ideo melius est, ut ponatur juvenis

[1]) Expos. in Psalm. 140. v. 3.

cum sapientia, quam senex cum aetate sine sapientia. Quod enim scriptura divina solet ponere senem pro sapiente, docet B. Gregorius in Moralibus libris, ubi dicit B. Job: *Videbant me juvenes et abscondebantur, et senes adsurgentes stabant*, hoc modo dicens: *Si historiae intendimus . . . . imperfecti reprehendunt.*[1] De hac etiam senectute mentis B. Ambrosius in passione S. Agnetis martyris mirificentissime docet dicens: *Noli infantiam corporalem ita in me despicere, ut putes me te habere velle propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus geritur, et Deus omnipotens mentes magis comprobat, quam aetates.*[2] *Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis in moribus; corpore quidem juvencula, sed animo cana.*[3]

Sequitur: *Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant, a quo responsum accipiant; et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, »Deo gratias« respondeat et benedicat, et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore caritatis.* Quod autem dicit: *Qui portarius cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant* et rel. — antiquitus enim illi qui coquinam abbatis faciebant, ipsi etiam erant portarii, quia non erat tunc multitudo hospitum venientium ad monasterium, et ideo illi duo poterant haec facere. Nunc autem quia multitudo hospitum venientium est, ita debet fieri: debent enim esse duo portarii, et nil aliud agere debent, nisi nunciare solummodo abbati aut priori. Si autem pauper fuerit, innuit illi, ut ad hospitale vadat. Et ideo duo debent esse, ut cum unus vadit ad officium, alter vero sedeat cum hospite, aut cum vadit ad manducandum, alter remaneat, qui responsum reddat supervenienti. Nam in nostra provincia solarium habetur super portam et oratorium ibidem. Et bene dixit

[1] Moral. lib. 19. in cap. 29. B. Job. v. 8. n. 26. (Migne, tom. 76. col. 114.)

[2] Epist. segregat. 1. n. 6. (Migne, tom. 17. col. 737. 738.)

[3] l. c. n. 1. (Migne, l. c. col. 735.)

ut aliquis pulsaverit vel pauper clamaverit, »*Deo gratias*« *respondeat aut benedicat* et rel.; intelligitur, quia pauper clamat, dives pulsat. Quod enim dicit: *benedicat et* »*Deo gratias*« *respondeat* — *benedicat* ad divites vel potentes attinet, *Deo gratias* ad pauperes. Notandum est, quia istud *benedicat* dicitur pro *benedic*, i. e. pro imperativo — quasi diceret: petat benedictionem et Deo gratias referat.

Sequitur: *Qui portarius si indiget solatio, juniorem accipiat fratrem. Monasterium autem, si possit fieri, ita debet constitui,*[1]) *ut omnia necessaria*, i. e. *aqua*, *molendinum*, *hortus*, *pistrinum vel artes diversae intra monasterium exerceantur*, *ut non sit necessitas monachis vagandi foras*, *quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem regulam saepius volumus in congregatione legi*, *ne quis fratrum se de ignorantia excuset.* Quod enim dicit *saepius volumus legi hanc regulam*, de traditione regulae dicit, quia nihil valet illa lectio, nisi fuerit ejus traditio adhibita. Istud vero, quod dicit *monasterium*, *si possit fieri* et rel., non vetat, ut omnino in tali loco sit, ut illa omnia congruentia habeat, quae dicit: i. e. aqua, molendinum et rel., eo quod dicit: *si possit fieri*; sed quominus necessaria reperiuntur ibi, minus debet illud monasterium aedificari. Si autem talis est jam ille locus, ut nil de his habeat, i. e. aqua, molendinum, pistrinum et rel., quae S. Benedictus dicit, nullo modo debet construi. Verumtamen sciendum est, quia ille, qui construit monasterium, debet illum locum providere et considerare congruentias et contrarietates illius loci ante, et omnia insuper debet constructor inspicere, si non est ille locus in tali loco, ubi impedimentum patiatur a rege aut a comite vel episcopo, veluti est locus, qui prope est de curte regis aut episcopi aut comitis, eo quod solet pro talibus personis impedimentum pati locus ille, aut certe ab aliis saecularibus, quarum consuetudinem habent quaedam loca, ubi feminae vel clerici aut laici causa officii faciendi veniunt. Deinde etiam debet considerari locus ille,

---

[1]) construi. Cod. Fürstz.

si est aqua, silva et cetera, sicut necessarium est monachis, ut non pro tali occasione sit necessitas foras frequenter eundi. Deinde etiam debet ille constructor monasterii tantum donare in illum locum de substantia sua, unde tot monachi, quot ibidem esse debent, possint suam necessitatem supplere, i. e. victum vel potum seu vestimentum servorum, quam etiam et hospitum atque infirmorum, ut non sit necessitas monachis quaerere aliquid ab aliis, unde necessitatem monasterii possit supplere, quia solet contingere pro elemosynarum datione, si forte non ita aut tantae datae fuerint res, ut eorum necessitas suppleri possit, murmurium oriri inter fratres pro non suppleta necessitate. Et hoc sciendum est, quia cum dicit *si possit fieri* — quasi diceret: si fieri possit, fiat, i. e. si ista, quae superius dixi, habuerit ille locus, h. e. aquam, molendinum, hortum et cet. quas[1]) ipse enumerat, tunc fieri potest. Si autem minus defuerit, videlicet aqua solummodo, potest fieri, si necessitas cogit; aut etiam si minus fuerit [i. e.] silva, et necessitas fuerit, potest fieri, quia dicit: *si possit.* Et hoc sciendum est, quia prius investigari debet locus, sicut diximus; qui omnia, quae diximus, habeat, tunc est optimum. Quod si nullo modo potest reperiri locus, qui omnia habeat, et necessitas fuerit, inibi fieri, sicut diximus, ubi omnia illa non habuerit, potest fieri, quia dicit: *si possit.* Quod si nulla de ipsis causis, quas supra diximus, fuerit in illo loco, ibi non debet fieri, quia illud non concedit, eo quod cum dicit: *si possit*, manifestat intentionem suam, debere fieri, etiam si omnia non habuerit; nam si omnia defuerint, tunc non intelligitur ejus intentio, ut in tali loco concedatur fieri. — *Porta* enim dicitur, sicut Isidorus dicit, quia potest vel importari vel exportari aliquid. Proprie enim porta aut urbis aut castrorum vocatur. — *Pistrinum quasi pilistrinum, quia pilo antea tundebant granum; unde et apud veteres non molitores sed pistores dicti sunt, quasi pinsores a pinsendis granis frumenti; molae enim usus nondum erat, sed*

---

[1]) quae (?)

granum pilo pinsebant. Unde et Virgilius: Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.[1] *Hortus* nominatur, quod semper ibi aliquid oriatur; nam cum alia terra semel in anno aliquid fert, hortus numquam sine fructu est.

Cap. LXVII.

DE FRATRIBUS IN VIA DIRECTIS.

Congruum ordinem tenuit in hoc loco B. Benedictus, eo quod prius dixit de intrantibus in monasterium, et nunc dicit de exeuntibus; ait enim: *Dirigendi fratres in via omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent, et semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat.* — Quia cognovit B. Benedictus, ut ille frater, qui de monasterio exit ad alia loca, ad lubrica loca pergere,[2] [et] ideo jubet, ut se orationi commendet abbatis vel fratrum, ut, cum prosecutus fuerit orationibus fratrum, absque offensione illud iter perageret. Sed notandum est, quam sollicitum voluit reddere monachum, ut non solum in monasterio voluit eum cautum esse, sed etiam in via. Et quia cognovit, non posse eum illud perficere iter sine offensione, ideo jussit illum orationi corporis monasterii commendari. Unde, quia cognovit, valde lubricum esse iter ad peccandum, idcirco specialiter etiam corpori monasterii jussit pro ipso monacho, qui foris dirigitur, orare. Unde tu, qui pergis, tempore egressionis tuae cum te in solo oratorii prosternendum vadis, oportet ita dicere: *Domine Jesu Christe! Tu scis fragilitatem meam: adjuva me in hoc itinere, quatenus hoc iter obedientiae meae valeam orationibus fratrum sine offensione peragere.* Et postea quantum potest, debet se sollicitum reddere.

Sequitur: *Revertentes autem de via fratres ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus, ne quid forte subripuerit in via visus aut*

---

[1] Etymol. lib. 15. c. 6. n. 4.

[2] pergeret (?)

auditus malae rei aut otiosi sermonis. — Animadvertendum est in hoc loco, quia sicut dedit superius judicium de aliis negligentiis, et sicut dedit etiam judicium de universis negligentiis, quas operatur monachus, sive quas non intelligit et non recordatur, sive etiam quas intelligit et non recordatur, sive quas intelligit et recordatur et forte negligit poenitere, ut in diebus Quadragesimae illas diluat; ita etiam nunc judicium dat de his negligentiis, quae visu aut locutione vel auditu committit monachus in via, quatenus, quod negligenter foris commisit, [ac] de his venia petita orantibus fratribus possit delere. Et notandum est, quia non aliorum sensuum fecit mentionem, sed visus et auditus atque otiosi sermonis, quia nullus sensus est tam lubricus et facilis ad peccandum, quomodo visus et auditus et os; quia saepe contingit: ea, quae nolumus, videmus et audimus et aliquando loquimur. Et hoc est, quod dixit *excessus.* Excessus est maxime, ubi non studio peccatur; nam si peccas non ex meditatione, sed solo opere, quamvis illud opus voluntarie et delectabiliter agis, excessus esse potest, quia sunt multa peccata, quae non ex cogitatione fiunt, quamvis etiam voluntarie fiant. Si vero cogitasti et ex cogitatione peccasti in opere, jam non est excessus, sed plus quam excessus. Item excessus enim est maxime, ubi non sponte peccatur, cum improvisu, i. e. quod non cogitavit antea nec cognovit, sicuti in visu, auditu atque locutione efficitur. Forte dicit aliquis callidus: quia quidquid foris commisi, in hac oratione dimittetur. Cui respondendum est: Nosce, frater, quia non aliud dicit S. Benedictus esse ignoscendum, nisi quod visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis excessum fuerit. Non dixit: si potum plus, quam debuit, percepit, aut donavit, quod non debuit, aut osculo illecebroso quemquam osculatus fuerit, et rel. Unde intelligere oportet illum, qui hoc dicit, quia solummodo excessus auditus aut visus aut otiosi sermonis illi per hanc veniam dimittitur; ceterum, sicut dixi, oportet per confessionem emendare abbati faciendam. Unde si venerit tali hora, antequam venia petenda est, debet confiteri abbati

eas negligentias. Si vero illi abbas adjecerit aliquos psalmos dicens: *Vade, frater, cane tantos psalmos et pete illam veniam, quam tibi praecepit S. Benedictus petere*, tunc credat, sibi etiam parci cetera. Cum enim abbati dicit, ita debet dicere: *Domine, tu cognoscis, quia S. Benedictus pro tribus rebus dixit veniam petere, i. e. auditus, visus, otiosi sermonis. Ego autem plus me cognovi deliquisse, et idcirco vobis illa confiteri volo;* et tunc illa, quae dixi, in ipsa oratione erunt dimissa. Si autem non potuerit abbati confiteri, antequam petat veniam, confiteatur postea, et sicut abbas constituerit, faciat, tantum ut confiteatur cetera, quae S. Benedictus non dixit. Deinde cognoscere debet ille, qui veniam petit, ut cum petit veniam, intente petat, quia Deus magis cor conspicit. Nam ille, qui veniam debet petere, cum ad veniam petendam vadit, ita debet orare in corde suo dicens: *Domine Jesu Christe, tu me cognoscis fragilem, et ideo praecepisti nobis servis tuis per famulum tuum S. Benedictum, pro negligentia auditus et visus atque otiosi sermonis veniam postulare; quapropter deprecor clementiam tuam ipso S. Benedicto intercedente non solum eas negligentias, pro quibus jussus sum veniam petere, sed etiam omnes praeteritas meas negligentias mihi in hac supplicatione mea parcere digneris.* Qualis enim distantia sit inter vias et semitas, Cassiodorus docet hoc modo in psalmo XXIV; ait enim: *Inter vias et semitas non parva distantia est. Vias enim dicimus, quas commeantium generali licentia pervagatur, quae dictae sunt a vehendo; semitae vero sunt, quae angusto calle diriguntur nec vulgo notae sunt sed occultis itineribus ambulantur; dicta est enim semita quasi semivia.*[1]) Sciendum est, quia illi, qui de via veniunt, si tempus est, ut non flectant genua, non flectant genua, sed sicut illi alii fratres curvi stant. Ad completorium ita faciant et isti, qui de via veniunt, quando debet dicere presbyter orationem, quae ad completorium attinet: Vadant enim ipsi fratres, qui de via veniunt, et stent in medio, ubi stare

---

[1]) Expos. in Psalm. 24. v. 3.

debent ad orationem petendam pro se ipsis orandam juxta tempus, quo dici[1]) debet sacerdos orationem completorii; et tunc debent se incurvari in medio ante altare. Deinde dicat ipse sacerdos: *Salvos fac servos tuos,* et cetera capitula ad illud opus pertinentia, i. e. ad illos fratres, qui de via veniunt, et postea subsequatur orationem et iterum: *Dominus vobiscum*, et postea dicere debet: *Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super nos.* Quamvis consuetudo est monasteriorum in Francia: etiam ille, qui fallit, sicut jam diximus, in illis diebus, quando genua non flectunt, ponunt genua in terra non prostrati. Et hoc notandum est, quia non dixit S. Benedictus: *ipsa nocte, qua redeunt,* sed de die, eo quod intentio S. Benedicti fuit, ut in die veniat monachus et non in nocte, quatenus per omnes canonicas horas, ante quas venerit, valeat negligentias suas abstergere. Unde pro hac causa in nostra terra consuetudo est, et debet etiam fieri, ut tali hora debet venire, ut etiam ad completorium paratus possit esse, si aliis horis non potest, ut hoc capitulum valeat implere, ne praevaricator suae professionis existat; aut certe, si non potest tali hora venire, aut vadit ad mansionem in alterum locum nostrum, si habemus, aut certe si hoc non potest, tunc maneat ad portam monasterii in illa nocte et ibi pro necessitate manducare illi praeparatur, sicut hospiti, aut sicut illi potest praeparari, ita tamen, si non possit in alium locum ire ad manducandum. Quod si potuerit alium locum habere, inhonestas est, ad portam monasterii manducare. Verum quia dicit regula de hospitibus suscipiendis: *et domus Dei sapienter a sapientibus administretur*, intelligunt, quia dormitorium, ubi monachi suscipi debent, habetur separatum a laicorum cubiculo, i. e. ubi laici jacent, eo quod laici possunt stare usque mediam noctem et loqui et jocari, et monachi non debent, sed magis silentium habere et orare. Ideo juxta oratorium illorum monachorum hospitum est dormitorium, ubi ipsi jaceant soli reverenter, et possint

[1]) dicere (?).

nocte surgere, qua hora velint, et ire in ecclesiam. Vasalli autem sui sint in alio loco, ubi laici sunt. Et tunc ille frater monasterii, qui tarde venit, in istorum dormitorio recipitur et ibi etiam manducat et dormit, quia unum sunt monachi. Quod si dormitorium monachorum hospitum non est juxta oratorium propter orationem faciendam, sed cum laicis, tunc domus Dei non sapienter a sapientibus ministratur. — Et hoc notandum est: si longa via vadunt veluti est ad regem aut etiam in aliquod longe, tunc in capitulum sive abbas seu ceteri quilibet ambulaverint, et ibi coram fratribus manifestetur locus, quo pergant; et in illo capitulo prius prosternuntur fratribus et commendantur orationibus et osculantur omnes, et tunc in oratorio prosternuntur et sic vadunt. Si autem non valde longe vadunt, solummodo in oratorio petant benedictionem. Illi vero, qui longe vadunt, omnes in capitulo fratres osculantur; illi autem, qui prope solummodo vadunt, non in capitulo, sed in oratorio satisfaciant, et cum revertuntur, quos poterint de fratribus osculari, osculantur. Et hoc notandum, quia si tres mansiones faciunt foras sive etiam in cella monasterii, cum revertuntur, veniam debent postulare. Hoc autem notandum est, quia [1]) sive quando vadunt sive quando veniunt, veniam noluerint petere, per regulares modos castigari debent.

Sequitur: *Nec praesumat quisquam referre alii, quaecumque foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subjaceat: similiter et qui praesumpserit claustra* [2]) *monasterii egredi vel quocumque ire vel quidpiam quamvis parvum sine jussione abbatis facere.* Quod enim dicit *plurima destructio est*, verum est, quia plurima destructio est in eo, quod talem causam potest monachus nuntiare, quam foris vidit aut audivit, veluti haeresim aut blasphemiam aut cetera alia similia, ut ille monachus, qui hoc audit,

[1]) quia, qui (?)
[2]) claustram (?)

contingat meditando hoc, quod audit, nunquam possit recuperari et in aeternum perire ex hoc potest. Quod vero dicit *si quis praesumpserit*, *vindictae regulari subjaceat*, ita etiam subaudiendum est, ubi dicit: *dum expletur opus Dei*, *prostrati solo oratorii ab omnibus petant orationem.* Reddit causam, quare, cum dicit *propter excessus;* et quid sit iste excessus, manifestat, cum dicit: *ne quid forte subripuerit in via visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis.* Disciplina regularis est, per gradus duci praedictos. *Similiter et qui praesumpserit claustra (am?) monasterii egredi* — subaudiendum est: *vindictae regulari subjaceat; vel quocumque ire* — *vindictae regulari subjaceat*, subaudiendum est; *vel quidpiam quamvis parvum sine jussione abbatis facere* — *vindictae regulari subjaceat*, subaudiendum est. Notandum est, quia talis debet esse claustra monasterii, ubi monachus ea quae necessaria sunt, valeat exercere, i. e. consuere, lectioni vacare et rel., et ubi custodia possit esse. Nec debet esse ita parva, ut cum aliquid vult operari monachus, occasionem invenerit murmurandi propter parvitatem, nec ita debet esse ampla, ut ibi occasionem possit invenire fabulandi cum aliquo. Verum illi, qui habent obedientiam foras eundi, suam claustram debent habere, i. e. suum terminum, v. gr. ille, qui calceamenta debet praeparare fratribus, suam claustram debet habere, h. e. suum terminum, h. e. ut tantum ad magistrum consutorem calceamentorum vadat. Similiter et ceteri, qui obedientiam habent foras eundi, ut tantum vadant, quantum constitutum habent locum eundi. Similiter etiam ille, qui hortum ad laborandum habet, in hortum solum vadat, quia hortus, quamvis in monasterio dicit esse, tamen non debet esse in claustra. Idcirco dixit, in monasterio esse hortum, eo quod non debet ibi esse accessus aliorum. Istud enim quod dicit: *quamvis parvum sine jussione abbatis facere*, ita intelligitur, i. e. ut nullam rem parvissimam sine jussione facere debent, sed in ipsa jussione ita considerandum est: i. e. si fuerit talis res, ubi certius cognoscis placere abbati, quamvis non interroges abbatem, potes facere, quia inten-

tionem ejus respicere debes. Si autem bona sit res, et cognoscis certius, non esse voluntatem abbatis, nullo modo debes illam facere. Sciendum est: si quilibet frater fuerit missus prope in obedientiam et [ille si] post completorium fuerit reversus in ipso die aut in altero, ita tamen, ut non sit illi opus petere veniam, potest introire in claustram monasterii, quia regula non dicit de tali, sed de illo dicit, qui veniam debet postulare. Sic enim dicit: *et in eodem die, quo reversus fuerit, per omnes canonicas horas* et reliq. *ab omnibus petant orationem propter excessus.*

Cap. LXVIII.

SI FRATRI IMPOSSIBILIA INJUNGANTUR.

Congruum ordinem tenuit in hoc loco B. Benedictus, quia, postquam dixit de fratribus in viam directis, [et] nunc subjunxit: *si fratri impossibilia injungantur,* eo quod forte in ipsa via contingit, ut aut gravia sint aut certe impossibilia; ac per hoc intelligitur, ut non solum si contingat, ut in via gravia aut impossibilia fuerint, debeat monachus suscipere, sed etiam in omnibus imperiis, quae imperantur a priore. Ait enim: *Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injungantur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Gravia* enim attinet ad dura, h. e. difficilia, quae vix possunt fieri, h. e. nisi cum grandi labore. *Impossibilia* vero attinent ad illa, quae nunquam possunt fieri. Inter impossibile et difficile Beda discernit in evangelii Marci[1]) expositione, hoc modo dicens: *Quod enim impossibile est, fieri omnino non potest; quod vero difficile, cum labore potest; potest enim fieri, sed cum maximo labore juvante Dei gratia.* Et bene dixit *cum omni mansuetudine,* i. e. non solum ore dicere debet,[2]) se nolle aut non posse suscipere, sed etiam in vultu non debet se significare resistere, ut sicut in corpore ostendit mansuetudinem, ita etiam in mente.

---

[1]) cap. X. v. 27.
[2]) non debet.

Sequitur: *Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus operis excedere, impossibilitatis suae causas ei, qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat non superbiendo aut resistendo vel contradicendo* -- quasi diceret: si viderit, nullo modo posse illa facere, tunc debet suggerere patienter et opportune. Notandum est enim: pro illis gravibus si vult suggerere, suggerat; si vero non vult, non suggerat, quia servorum Dei est; etiam pro alia obedientia non debent rogare priorem, ut non faciant ipsam obedientiam, eo quod intelligunt, se pro tali postulatione peccare, scientes, esse scriptum de Domino: *factus obediens usque ad mortem.* Nam de illis quae sibi impossibilia sunt, i. e. quae nullo modo potest implere, suggerere debet, quia forte talia sunt, quae necessaria sunt, ut fiant, ut, si ille non potest, adimpleat alius. *Opportune* enim attinet ad locum; *patienter*, i. e. cum humilitate. Opportune enim dicis, si suo loco dicis, h. e. in secreto. Quod autem dicit *non superbiendo aut resistendo vel contradicendo* — *superbiendo* attinet ad inflationem, *resistendo* autem attinet ad nil facere, *contradicendo* vero potest attinere, ut partem velis, partem illius obedientiae nolis facere. Sed tamen *superbiendo et resistendo vel contradicendo* ad unum finem vadunt.

Sequitur: *Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat junior, ita sibi expedire, et ex caritate confidens de adjutorio Dei obediat* — ac si diceret: Jam si cum humilitate suggesserit, et prior illi noluerit consentire, confidat de Dei adjutorio, faciat et non praetermittat, sed quantum potest facere faciat. Notandum est, quia pro impossibilitatis suae causis dicit S. Benedictus suggerere, de gravibus vero tacuit. Ista gravia ita consideranda sunt: si potest ille monachus illa peragere, perficere debet; quod si non potest, tunc efficitur illi impossibile; et quia impossibile illi est, tunc debet pro illis suggerere, ne damnum monasterii illi veniat. Istud enim capitulum ita tradidit in capitulo nostri monasterii:[1])

[1]) Haec annotavit notarius.

Superius enim B. Benedictus laudaverat bonum obedientiae cum humilitate, et illud bonum dixit esse primum gradum ascensionis ad coelum. Sed quia futurum erat, ut diceret aliquis: Grave est imperium abbatis, non possum implere, quod jubeor, ideo ex hoc capitulum istud facere studuit, quatenus sapiens consilium magis ac magis animus uniuscujusque monachi erga obedientiam versetur. Sed quis hoc capitulum valet implere, nisi mortuus? i. e. nisi ille, de quo Dominus dicit ad Moysen: *Nemo me videbit et vivet?* Ille implet, qui honorari non concupiscit, nec alicujus aestimationis haberi desiderat. Sed cum dicit *suggerere*, jubet *opportune et non superbiendo* et rel. Quid est *opportune*, nisi congruo tempore? i. e. eo tempore, quo possit animus prioris tuam suggestionem ita suscipere, sicut tibi et sibi expedit. Quod si tempore congruo non suggesseris, sed incongruo, et te et illum offendis; te, quia forte non aget tibi, sicut vis, illum eo, quod eum forte excitasti in iram. Quid est: *non superbiendo? superbiendo* dicis, quando dicis: *Hoc non facio*, aut: *Hoc non possum facere, quia ultra vires meas est negotium.* Et bene dicit *sciat sibi expedire*, i. e. convenire vel congruere — quasi diceret: nam pro hoc non dimittat obedientiam, quia, si in illis difficillimis rebus obedierit, hoc suae saluti convenit, eo quod suae saluti convenit, ut non solum in levibus obedientiis obediat, sed etiam in impossibilibus; et maxime ibi salus invenitur in adversa perferendo et agendo. Sed dicendum est, quid agere debet monachus, si pro hoc, quia non potuit facere, quod jussus fuit, forte injuriat eum abbas dicendo: *Quia potuisti et non fecisti*, et causatur ei. Debet etiam ille monachus in hoc tacite sufferre, et sit testis suae conscientiae secundum hoc, quod Job dicit: *Testis meus in coelis est.* Nam si patienter sustulerit, impletur in illo, quod Dominus dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Quod enim propter justitiam pateris, cum pro impotentia condemnaberis, in (illo) loco meritis coronaberis. Hic oritur quaestio, quare hic dixit: *si impossibilia injungantur*, cum superius dicat S. Benedictus: *secundum unius-*

cujusque qualitatem vel intelligentiam ita se omnibus conformet et aptet et rel. et iterum: *prout viderit unicuique expedire*, *sicut jam diximus* et reliq. Jam si impossibilia injungit, non *secundum qualitatem uniuscujusque* agit, aut *prout expedit.* Haec ratio ita solvitur: Forte ideo videntur esse gravia, [forte] quia solet contingere, quod priori possibile, juniori est impossibile; sive forte non intelligunt[1]) vires subditi, ideo jubet impossibilia facere discipulo. Altero modo ita solvitur in eo, quod dixit *secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam* et rel.: Contingit priorem, ut aliter injungat auditori, quod facere ipse non possit, et imperat, quod ipse discipulus [uoluerit vel] non potuerit custodire, et ideo prius debet discipulus ipsa impossibilia, quae sibi videntur esse, suscipere et, in quantum potest, etiam agere, et tunc postea debet priori suggerere. Sive etiam alio modo solvitur: ut prior talis sit, cui dicit Dominus — peccatori autem dixit Dominus: — *Quare tu enarras justitias meas?* et rel., et sic secundum libitum suum ea, quae impossibilia sunt, discipulo suo injungat et imperet.

Cap. LXIX.

UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALIUS ALIUM DEFENDERE.

Congruum ordinem tenuit B. Benedictus in hoc loco, in eo quod prius dixit, si gravia vel impossibilia injuncta fuerint, cum omni humilitate priori suo, qui sibi praeest, debere suggerere, et nunc subjungit: *ut non praesumat in monasterio alius alium defendere;* quia forte contingit, ut, cum alicui videatur quis gravia aut impossibilia jubere, defendere conetur. Et hoc notandum, quia non solum de tali defensione istud capitulum intelligendum est esse dictum, sed etiam de omnibus defensionibus, quae fieri possunt. Superius enim mortificaverat monachum jam, cum dixit: *nec voluntates proprias licet habere in propria potestate;* et deinde dicit, si fratri impossibilia injungantur, ut omnia obediat. Ergo si ita est, ut monachus pro se non audeat

[1]) intelligit (?)

quidquam loqui, multo minus pro aliis. Nam ille, qui aut se aut alium vult defendere, non est mortificatus; et si non est mortificatus, nec monachus est. — Sciendum est enim, quibus modis fit defensio: aliquando pro consanguinitate, aliquando pro patria, quia de una patria est, aliquando pro discipulatu, aliquando pro amicitia, aliquando pro vitio gulae, v. gr. si talis est, qui ante horam vult participare, aliquando pro altero vitio; et ideo de omnibus occasionibus defendendi intelligi debet, quia hoc non convenit mortificatis. Ait enim ita: *Praecavendum est, ne quavis occasione praesumat alius alium defendere monachum in monasterio aut quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate jungantur; nec quolibet modo id a monachis praesumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coerceatur.* — *Praecavendum*, i. e. valde cavendum. Per hoc quod dicit *quavis occasione*, omnem occasionem excludit. *Defendere* enim attinet ad apertam defensionem, *quasi tueri* ad occultam defensionem, i. e. non manifestam, sed coopertam verbis. Sunt enim alii, qui palam et manifeste defendunt alios; ut hoc non fiat, dixit *defendere;* et sunt alii, qui non audent manifeste defendere; defendunt ingeniose cum dulcibus verbis et aliis latenter, cogitantes, abbatem non intelligere, se causa defensionis hoc agere. Notandum est enim atque dicendum, quia, sicut offendit ille, qui defendit, ita etiam offendit ille, qui falso accusat; v. gr. adducit praepositus aut quilibet fratrum aliquem negligentem ad abbatem, et adsunt ibi quinque fratres; et cum corripit abbas negligentem, tunc jactat se unus causa defensionis dicendo fallacia, ut ille negligens non liberetur. Deinde secundus est, qui dicit veritatem; qui, quamvis veritatem dicat, tamen ideo dicit, ut ille negligens liberetur, habens voluntatem liberandi eum. Tertius est, qui interrogatur ab abbate; ille autem dicit veritatem, sed tamen ob hoc, ut ille negligens nec liberetur nec condemnetur, sed solummodo, ut juste corripiatur. Item est quartus, qui dicit veritatem, non ut liberetur, sed ut condemnetur,

quia intentio ejus est nocendi illum. Quintus est, qui falso dicit, ut ille negligens condemnetur, non ut liberetur. Quintus enim cum illo primo unum finem habent; quartus autem et secundus similiter unum finem habent, qui, si coram hominibus videntur liberi esse, tamen coram Deo detinentur. Solummodo ille tertius coram Deo et coram hominibus liber est a culpa. Hoc enim quod dicit *acrius coerceatur,* duobus modis intelligi debet: aut enim in ipso gradu, quo stat, durius debet argui, aut certe unum gradum transcendere.

Cap. LXX.

UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIUS ALIUM CAEDERE VEL EXCOMMUNICARE.

Bene, postquam dixerat: Praecavendum est, ut in monasterio non praesumat alter alterum defendere, [et] nunc dicit, caedere aut excommunicare non debere, ut, sicut constriuxit et vetuit defendere, vetaret etiam caedere aut excommunicare. Ait enim: *Vetetur in monasterio omnis praesumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut caedere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit* — quasi diceret: nullam occasionem habeat aliquis, aut excommunicare aut flagellare. Et bene dicit *omnis praesumptionis occasio*, et non dicit solummodo *praesumptio*, quia nisi occasio, h. e. materia peccati. i. e. unde peccatum illud potest oriri, ablata fuerit, non potest perfecte auferri peccatum. Per hunc enim locum, ubi dicit *passim*, docet, ut nec abbas aut ille, qui potestatem habet caedendi aut excommunicandi, debeat caedere passim aut excommunicare, nec etiam ille, cui non est commissum, similiter excommunicare vel caedere, quia *passim* intelligitur leviter vel praesumptive; sive etiam *passim* intelligitur: prout quis vult, sive vulgo vel ubique. De hoc adverbio, quod est *passim*, Servius in libro tertio Aeneidôs[1]) exponit, ubi Virgilius dicit hoc modo de Aenea haec:

[1]) Vers. 508—511.

Sol ruit interea et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos passimque in litore sicco,
Corpora curamus, fessos sopor irrigat artus.

Servius: *Sortiti remos*, per sortem divisi ad officia navigandi. *Telluris ad undam*, terrae, quae a navigantibus semper optatur. *Ad litus passim*, i. e. prout quis voluit. *Litore sicco*, ad discretionem illius, quod aqua adluitur. *Corpora curamus*, i. e. curam corporibus adhibemus. *Fessos*, fatigatos. *Sopor*, somnus. *Artus*, membra. — Tunc etenim abbas, sicut jam diximus, *passim*, i. e. leviter et praesumptive excommunicat vel caedit, cum non suó, i. e. congruo tempore sineque consilio excommunicat vel caedit. Sed cum excommunicat vel caedit, coram omnibus debet excommunicare vel caedere, sicut ipse S. Benedictus dicit. Simili modo quando parcere illi vult, quem excommunicavit, coram omnibus debet indulgere.

Sequitur: *Peccantes autem coram omnibus arguantur. ut ceteri metum habeant.* Bene dicit *peccantes autem coram omnibus arguantur* et rel., quia dignum est, ut ille, qui malum exemplum praebuit aliis, cum peccavit, debet etiam exemplum praebere humilitatis. Et hoc sciendum est. quia ita debet distingui, i. e. *peccantes autem coram omnibus*, et postmodum subjungendum est *arguantur*, deinde subaudiendum est: *coram omnibus*, i. e. ut sicut ille peccando coram omnibus malum exemplum praebuit, ita etiam coram omnibus arguatur praebens exemplum correptionis. [Quod enim dicit: *Vetetur* i. e. prohibetur vel intelligitur.] Ecce hic dicit S. Benedictus: *peccantes autem coram omnibus arguantur*, et superius dixit: *Si quis frater contumax aut inobediens aut superbus et rel. repertus fuerit, hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis.* Videtur enim ipse sibi S. Benedictus contrarius, cum hic dicit *peccantes autem coram omnibus arguantur*, et superius dixit, *ut admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis*; et si secrete, quomodo coram omnibus? et si coram omnibus, quomodo secrete?

Verumtamen haec sententia ita solvitur: i. e. si secreta fuerit culpa, admoneatur secrete, sicut superius dixit; si autem publica fuerit, arguatur publice, sicut hic dicit. Sed qualiter sive quando secrete admonere debet quis fratrem suum, B. Augustinus mirificentissime docet, dicens hoc modo: *Multum interest inter nudum et iniquum . . . . . . Ipsa bona longa sit.* [1])

Sequitur: *Infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis disciplinae diligentia adhibeatur ab omnibus et custodia sit, sed et hoc cum omni mensura et ratione. Nam in fortiori aetate qui praesumpserit aliquatenus sine praecepto abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinae regulari subjaceat, quia scriptum est: »Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.«* — Quod enim dicit *infantibus vero usque ad quintum decimum annum aetatis* et rel., subaudiendum est: ab omnibus illis, qui non indigent disciplina, sed disciplinam noverunt, disciplina teneatur. Nam non est consequens, ut illi disciplinam dent, qui indigent disciplina et nesciunt disciplinam. Et hoc notandum est, quia illis infantibus quindecim annos habentibus dixit, qui vitam cum annis concordant: nam ceteris etiam usque viginti vel eo amplius, donec intelligunt, semper diligentiam habeant et custodiam, nec locum suum in ullo loco teneant inter alios, nisi inter illos, cum quibus in disciplina et custodia sunt. Nam cum exierint de disciplina, locum suum accipiant, i. e. illum, quando in monasterium intraverunt. Quod autem dicit *et hoc cum omni mensura et ratione*, ad disciplinam attinet et non ad custodiam, quia custodia infantum nullam mensuram debet habere, eo quod regula dicit *ubi et ubi custodiam habeant.* Quod vero dicit *vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit* — quasi diceret: si in ipsis infantibus sine mensura et ratione disciplinam adhibuerit. *Exarserit*, i. e. exardescerit. Sicut enim stipula depascitur ab igne, ita et homo depas-

---

[1]) Sermo 82. cap. 2—11. n. 3—14. (Migne, tom. 38. col. 507 —513.)

citur ab ira, cum ab ea superatur, et ex hoc ultra mensuram agit tabescens ira. Istud vero quod dicit *regulari disciplinae subjaceat*, est per septem gradus ducendus. V. gr. si aliquis, qui non habet ministerium, videt aliquem male tractare librum, aut aliquem sermonem non recte proferre et cetera his similia, pro disciplina [autem] eum percusserit aut excommunicaverit, iste talis non in graviori culpa teneri debet, sed in leviori. Si vero aliquis per rixam aut pugno vel fuste percusserit aliquem sine discretione aut sine jussione abbatis, iste talis non in leviori tenendus est, sed in majori, h. e. noxa. Et hoc notandum est. quia, si talis magister infantum fuerit, qui quamvis nimis in ira accensus infantes aut percusserit vel excommunicaverit ultra mensuram aut certe male percusserit, tamen sollicitus est nimis super infantes, iste talis propter iram non est expellendus, sed magis tolerandus est et corripiendus et admonendus et rel. propter suam bonam sollicitudinem. Reddit enim causam, quare, cum dicit *quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*. Forte dicit quis: quare debeo flagellare infantem aut illum, qui indiget disciplina, cum ego nolo, ut alter me flagellet? Cui respondendum est: quia cuperes tu, qui jam intelligis, ut quilibet flagellasset te, cum non intelligebas. Quod autem dicit *in fortiori aetate*, ad superiorem sententiam respicit, ubi dicit *non praesumat quis alium caedere* et rel., eo quod illa est mater istius sententiae, et exinde nata est occasio dicendi postmodum etiam de infantibus.

Cap. LXXI.

UT OBEDIENTES SIBI SINT INVICEM FRATRES.

Quia venit B. Benedictus ad consummationem sui operis, ideo in eo virtute consummavit, a qua opus suum inchoavit. Ille opus suum a virtute obedientiae inchoavit dicens: *Ausculta, o fili, praecepta magistri, et inclina aurem cordis tui et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple*; et reddit causam quare, cum dicit: *ut ad eum per*

laborem[1]) *redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras;* et in virtute obedientiae consummavit, cum dicit: *Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem obediant fratres* et rel., quia mos est sanctorum doctorum, a qua virtute inchoant, in eadem consummant; v. gr. a caritate inchoant, in latitudine ejusdem caritatis opus suum consummant. Et bene B. Benedictus ab obedientia inchoavit, quia, sicut initium recedendi a Deo inobedientia est, ita etiam virtus obedientiae initium est convertendi ad Deum. Ait enim: *Obedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem obediant fratres, scientes, per hanc obedientiae viam se ituros ad Deum.* Quod vero dicit *ut obedientes sibi sint invicem fratres* — quasi diceret: O auditores mei! o discipuli mei! superius vos admonui, soli abbati bonum obedientiae exhibere; nunc autem dico vos admonens: bonum obedientiae non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam vobis invicem obedientiam exhibete!

Sequitur: *Praemisso ergo abbatis aut praepositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia praeponi* — quasi diceret: ergo si ita est, ut non solum abbati exhibenda est obedientia, sed etiam omnibus invicem praebenda, ergo praemisso abbatis imperio aut praepositorum vel decanorum omnibus sibi obediant: i. e. ut nullus debet dimittere abbatis imperium vel decani aut praepositi et obedire ceteris. *Praemisso*, i. e. anteposito. *Praeponimus*, i. e. supponimus. *Privata*, i. e. illorum, qui absque potestate sunt. Et est sensus, cum dicit: *Praemisso ergo abbatis imperio aut praepositorum, qui ab eo constituuntur, cui non permittimus privata imperia praeponi: de cetero omnes juniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine obediant*, i. e. pro nullius imperio monachi non debent postponere imperium abbatis, sed magis debent ei primitus obedire, et postmodum juniores prioribus suis

[1]) obedientiae.

debent obedire. In hoc loco quod dicit *praepositorum*, non est tantum intelligendum de illo praeposito, qui super decanos est et secundus ab abbate, sed de omnibus, qui praelati consistunt, intelligi debent praepositi, videlicet de decanis vel circatoribus in hoc loco nomine *praepositorum* intelligi debent et de omnibus, qui praeferuntur. Nunc videndum est, quare S. Benedictus dicit *bonum obedientiae non solum abbati exhibendum est, sed etiam sibi invicem obediant fratres*, vel quando debeant fratres sibi invicem obedire, cum ipse S. Benedictus nullum spatium donat obediendi? V. gr. a mane usque ad horam secundam vel tertiam aut paene quartam aut dicit laborare vel legere; deinde usque ad horam vel sextam aut decimam dicit vel legere aut laborare juxta rationem temporis, sicut ipse definivit, et postea dicit manducare. Ista quaestio duobus modis solvitur: Tunc enim obedientes sibi invicem sunt fratres, uno modo cum unus obedit in coquina, alter hospitibus servit, alius vero infirmis, aut cum tu cellararius es, omnibus obedientiam impendis. Similiter intelligendum est de ceteris obedientiis, aut certe intelligitur de voluntate etiam fratris: v. gr. si videris fratrem laborantem et dixerit tibi obedire, et tu non audes dimittere obedientiam a prioribus tibi injunctam, et volueris illi obedire, si auderes, — quamvis non possis, tamen coram Deo illi obedis, licet non obedias corpore propter obedientiam majoris, quam non audes dimittere, quia Dominus voluntatem tuam attendit. Altero modo solvitur haec quaestio, ut intra obedientiam abbatis aut praepositorum, si potest, debent sibi invicem obedire; v. gr. cum donat licentiam lavandi pannos decem fratribus vel quotquot fuerint, et postea est talis aut delicatus vel debilis, qui hoc officium non potest facere, tu autem si vides, quia potes tuum obsequium peragere, debes etiam intra ipsam obedientiam tibi injunctam, si tu cognoveris, vel ipse innuerit aut dixerit, ejus pannos lavare. Similiter cum calciarios injungitur tibi lavare, et tunc intra hanc obedientiam debes lavare, si cognoveris illum priorem, qui tibi injunxit, velle, aut si ipse senior innuerit aut certe dixerit

ejus calciarios lavare vel ungere; simili modo si injunctum tibi fuerit, coquinam facere cum tuo seniore, tu si illum rusticiorem laborem ibi feceris, quia alter non potuit, et forte plus quam ille alius obedientiam seniori tuo impendis. Et similiter in reliquis causis intelligendum est de cetero, i. e. de reliquo. — Attendendum est, quia non dicit solummodo *caritate*, sed *omni*, i. e. mentis et corporis. Simili modo cum dicit *sollicitudine*, subaudiendum est: *omni*. Caritas enim attinet ad dilectionem, videlicet Dei et proximi; sollicitudo vero attinet ad caritatem et ad locum.

Sequitur: *Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.* Et bene, cum obedientiae fecit mentionem, subjunxit: *si quis contentiosus fuerit, corripiatur*, quia nulli magis contentio congruit, quam inobedienti. Contentiosus enim est ille, i. e. quia[1]) quidquid agit, semper cum murmurio vel detractione agit, sive cum defensione mala atque ingenio.

Sequitur: *Si quis autem frater pro quavis minima causa ab abbate vel a quoquam priore suo corripitur quolibet modo, vel si leviter senserit animum prioris cujuscunque contra se iratum vel commotum quamvis modice, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Iratum* enim attinet ad majorem iram, *commotum* vero attinet ad modicam iram. Quaeri etenim potest in hoc loco: Jam, quia scimus, ut si minor a priore correptus fuerit, debet veniam petere, nunc videndum est, si major a minore reprehensus fuerit, quid illi faciendum est, utrum minori suo debeat veniam petere necne? Utique veniam petere debet suo minori, quia quantum apud Deum attinet, ille minor prior esse videtur, eo quod in illa hora melius intelligit quam major, licet minor sit tempore vel aetate; et ille major, quia reprehensibilis est ante Dei judicium, minor esse cognoscitur. Et notandum est, si talis fuerit ille minor, ut debeat praecellere, debet ascendere, quia, ne ista ratio videatur esse confusa, ideo superius jussit S. Benedictus, secundum meritum vitae

[1]) est ille, qui. Cod. Divion. ex Marten.

debere abbatem ordinare, et propterea abbas debet ita disponere et ordinare, ut haec ratio possit suo ordine servari. Hoc vero notandum est, quia cum quis petit veniam, debet ille, cui petit, statim dicere ei surgere, eo quod, ubi dicit *tamdiu prostratus jaceat, usque dum benedictione sanetur illa commotio*, subaudiendum est: statim ei debet dicere surgere. Si autem noluerit ei dicere surgere, aut certe si tanta fuerit negligentia, ut possit statim parcere, et non pepercerit, tunc, quia non pepercit, ducendus est per gradus, i. e. admoneatur secrete, si secreta fuerit culpa, deinde objurgetur publice, sicut jam superius dictum est, deinde si noluerit parcere in se peccanti et veniam dare, debet poni in ultimo loco, donec discat veniam tribuere aliis in se peccantibus et veniam petentibus. Post vero cum emendaverit hoc vitium, tunc revertatur in suum locum.

Sequitur: *quod qui contempserit facere, aut corporali vindictae subjaceat aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.* Sed hic quaeri potest: quid est, quod hic S. Benedictus dicit *si contumax fuerit, de monasterio expellatur,* cum superius idem ipse dicat *si quis contumax aut inobediens* et rel., admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis; si non emendaverit, objurgetur publice et rel. Quomodo enim expellendus est contumax, si admonendus est? vel quomodo admonendus, si expellendus est? Haec quaestio ita solvitur: Sciendum est namque, quia est alia contumacia, quae nullo modo unquam vult adquiescere, et altera est contumacia, quae si ad tempus contumax fuerit, i. e. si ad tempus noluerit adquiescere, tamen postmodum poenitens dicit, se velle acquiescere. Et tunc ille contumax expellendus est, qui nullo modo vult acquiescere regulae disciplinae; et ille contumax admonendus est, qui si ad tempus dicit, nolle suscipere disciplinam, postmodum poenitens dicit, se velle suscipere. Sciendum est enim, quia contumacia diversis modis fit, quamvis ad illos duos, quos superius diximus, fines venit. V. gr. sunt quinque fratres: unus quidem, quia peccavit secrete, cum secrete admonetur, dicit: *non mihi curae est, quod dicis, quia nolo suscipere*

regularem disciplinam; iste talis quamvis ita dixit, tamen postmodum aut illi aut certe abbati, cum nunciatur, jactat se in terram dicens: *mea culpa est, quia peccavi; nunc paratus sum suscipere, quidquid placuerit vobis judicare:* iste admonendus est et ducendus per gradus. Item secundus frater cum peccat secrete, admonetur secrete, quia secrete peccavit; et cum admonetur dicit: *non mihi curae est, quod dicis, quia nolo regularem disciplinam suscipere,* et cet. sicut consuevit facere superbus. Simili etiam modo dicit, cum ante abbatem admonetur. Deinde ducitur in publicum, simili modo dicit etiam in capitulo. Iste talis expellendus est, si jam grandis de saeculo conversus est in monasterio, quia ipse sponte venit; si autem infans ibi nutritus fuerit et quia vult ad pejorem conversationem ire, i. e. in saeculo, iste non debet expelli, sed in carcerem mittendus est, donec se emendaverit, etiam usque ad mortem. Item tertius frater peccat secrete, et cum secrete admonetur, dicit similiter, sicut superius diximus; similiter etiam ante abbatem dicit. Deinde cum venerit in capitulum et ibi poenitens dixerit: *mea culpa est, quia peccavi; volo suscipere judicium, quod vobis placet dare:* iste talis non expellendus est. Item quartus est frater, qui dum in publico arguitur, quia forte publice peccavit, aut certe in secundo vel tertio gradu est, et rel. et dixerit: *hanc disciplinam nolo suscipere nec regulae subdi volo*, et perseveraverit in hac resistentia, iste talis expellendus est, ita tamen, si jam grandis conversus est, sicut dixi; si autem infans ibi nutritus fuerit, non est expellendus, sed in carcerem mittendus est. Item quintus est frater; dum publice corripitur, sive quia in aliquo gradu est, sive quia publice peccavit, dicit, se nolle suscipere disciplinam, sed tamen postmodum jactat se in terram poenitens dicens, se velle suscipere: iste non est expellendus. Hoc etiam notandum est, quia ille post secretam admonitionem et publicam correptionem debet excommunicari et si in hac excommunicatione contumax fuerit, i. e. si dixerit se nolle suscipere excommunicationem, et postmodum petierit ex hoc petens

veniam pro causa, qua debuerat excommunicari, excommunicetur et pro contumacia sua publice corripiatur. Si vero postea, cum nimiis jejuniis debet constringi, [et] ibi repertus etiam fuerit contumax, et poenitens petierit veniam pro causa, qua debet constringi, constringatur nimiis jejuniis et pro contumacia sua excommunicetur. Quod enim dicit *vindicta corporali subjaceat* et rel., duobus modis intelligitur, i. e. in nimiis jejuniis et in flagellis. Ac per hoc non est hic contrarium, quod hic dicitur *quod si facere contempserit*. Si fuerit secreta admonitio, et ille noluerit petere veniam, tenenda est sententia illa, qua dicit: Si quis frater contumax aut inobediens — i. e. secundum illam sententiam admonendus est frater semel et bis secrete; deinde publice non objurgetur, sed tantum aut nimiis jejuniis affligatur aut verberibus coerceatur secundum qualitatem personae. Deinde si imprimis publice correptus noluerit veniam petere, tunc secundum hunc locum intelligi debet, h. e. aut nimiis jejuniis statim aut flagellis castigetur, si talis fuerit persona. Quod autem dicit *si contumax fuerit, de monasterio expellatur*, h. e. si talis fuerit, qui regularem omnimodo, sicut jam diximus, noluerit suscipere disciplinam, de monasterio expellatur, et in ista expulsione debet attendi persona, sicut saepe jam dictum est, i. e. si jam grandis venerit de seculo, tunc debet expelli; si vero parvus fuerit nutritus in monasterio, non debet expelli sed mitti in carcerem, quia melius est, ut in carcere sit quam ad saeculum, i. e. ad pejorem conversationem vadat. Quod enim si tantae malitiae fuerit, in carcere mittendus sit frater, manifestat S. Benedictus superius in vigesimo septimo capitulo, ubi dicit: *Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat.* Numquid non melius est, secundum salutem animae mittere in carcerem, qui recte et rationabiliter ab infantia nutritus est, quam post bonam nutrituram te perdere, sicut regula vetat, dimittendo te ad saeculum ire, ut male vivas? Ac per hoc duobus modis mittendus est monachus in carcerem: uno modo, si in gra-

viori culpa tenetur, i. e. cum separatur a mensa et ab oratorio; altero vero modo, sicut hic diximus, si contumax fuerit, i. e. si disciplinam regularem suscipere noluerit et nullo pacto adquiescere voluerit dicendo: non mihi curae est de regula; — ita tamen, si ille in monasterio nutritus fuerit, sicut jam diximus.

Cap. LXXII.

DE ZELO BONO, QUEM DEBENT MONACHI HABERE.

Notandum est enim, quia suo loco B. Benedictus hoc capitulum dixit. Ille enim cognovit, magnas res per invidiam decrescere et parvas per concordiam crescere. Ideo, postquam dixerat *ausculta, o fili, praecepta magistri*, et dixerat, qualis debeat esse abbas, et de instrumentis bonorum operum, et de humilitate et de officiis divinis et de discretione judiciorum et de reliquis virtutibus, ne bonum, quod dixit, per discordiam solveretur, dixit hoc capitulum, cujus clavis est: *De zelo bono, quem debent monachi habere.* Ait enim: *Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, et ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitiis et ducit ad Deum et ad aeternam vitam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi, i. e. ut honore se invicem praeveniant, infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent.* Zelus enim, qui in bono ponitur, intelligitur vis, i. e. amor mentis, et zelus malus intelligitur invidia. Istud *ergo* superius respicit — ac si diceret: Si ita est, ut zelus bonus separet a vitiis et ducat ad Deum, ergo hunc zelum ferventissimo amore exerceant monachi. *Ferventissimo*, i. e. ardentissimo. Zelus enim bonus est amor virtutum et horror vitiorum. zelus malus est amor vitiorum et horror virtutum. Zelat quis mulierem suam, ut integra sit, et si corrupta fuerit, deprehendatur. Et sic homo in bono zelat alteram personam, ut sana sit, et si negligens fuerit, cognoscatur. Et reddit causam, quomodo debeant monachi exercere hunc zelum, cum subdit: i. e. honore se invicem praeveniant, infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent. Infirmitas

corporis multis modis venit. Infirmitas enim mentis duobus modis: aut est naturalis, aut est, quae postea venit. Sed in hoc loco per infirmitates mentis commotio animi intelligitur; et hoc est quod B. Paulus apostolus dicit: *Alter alterius onera portatę, et sic adimplebitis legem Christi.* Tunc enim alter alterius onera portamus, cum sive infirmitates corporis seu pravos mores patienter toleramus.

Sequitur: *Obedientiam certatim sibi impendant, nullus, quod sibi utile judicat, sequatur, sed quod magis alii, caritatem fraternitatis casto impendant amore. Certatim*, i. e. cum certamine vel studiose. Et bene hic obedientiae fecit mentionem, quia illa obedientia est bona, quae cum zelo Dei fit. Quod vero dicit *nullus quod sibi utile judicat, sequatur, sed quod magis alii* — subaudiendum est: utile, vel quod placet, quasi diceret: non debet aliquid hoc agere, quod sibi placet et utile sibi esse judicaverit, sed quod aliis placuerit et utile fuerit. *Judicat*, i. e. aestimat vel credit. Istud *alii* quod dixi: *placet* — ad intentionem S. Benedicti respice, et sic poteris intelligere; non enim de omnibus dicit *placet*, sed de abbate aut illa persona, qui praeest in loco ejus; nam de aliis non est intelligendum, *placet* dixisse. Et bene dixit *caritatem fraternitatis casto impendant amore*, quia caritas fraternitatis est sine ulla retributione, sive impensa, sive impendenda. Quod vero dicit *sincera caritate*, ita intelligitur:[1]) tunc est sincera caritas, quando non est corrupta, h. e. quando pro solo amore Dei fit; nam tunc est corrupta, quando non est pro amore Dei facta. Et ista corrupta in duobus modis dividitur, h. e. uno modo fit corrupta caritas, quando aut amore carnali aut propinquitatis aut timore aut remunerationis[2]) fit. Altero modo fit corrupta, quando simulate fit, h. e. hypocrisis, i. e. cum non ex toto corde fit. Ideo dixit *caritate sincera*, quia est et

---

[1]) Locus hic anticipatur, dum ad sequentem regulae versum ponendus erat.

[2]) remuneratione Cod. Fürstzell.

caritas falsa, h. e. simulata. Duobus enim modis intelligitur sincera: sive ut non sit falsa, sive etiam, quamvis pro amore Dei fit, perfecta, integra et sine intermixtione debet esse. Sciendum est enim, quia melius est per ablativum dicere *casto impendant amore*, quam per accusativum: amorem. Quod enim pro nulla retributione humana diligendus est proximus, docet B. Augustinus in tractatu epistolae Joannis evangelistae,[1]) hoc modo dicens: *Dilectissimi, si cor nostrum non male senserit, fiduciam habemus ad Deum. Quid est: »Cor non male senserit?« Verum nobis responderit: quia diligimus, et germana dilectio est in nobis, non ficta, sed sincera, salutem fraternam quaerens, nullum emolumentum exspectans a fratre, nisi salutem ipsius.*

Sequitur: *Deum timeant, abbatem suum sincera et humili caritate diligant, Christo omnino nihil praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat.* Bene dixit *Deum timeant.* Ut ea, quae superius diximus, possint fieri, subjunxit *Deum timeant,* quia, qui Deum timet, nihil negligit. In tanto enim se manifestat quisque Deum timere, in quantum non negligit. Quod vero dicit *abbatem suum sincera et humili caritate diligant*, ita intelligitur: Tunc enim abbatem suum sincere diligunt, cum quidquid boni abbas fecerit, illis placuerit. Quod enim dicit *Christo omnino nihil praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat* — diverse enim praeponitur Christo: tunc enim praeponitur Christo, quando ejus praeceptum contemnens vitium aliquod perpetratur,[2]) quod diligit; item tunc praeponitur Christo, quando diligendo hominem plus, quam debet, contemnens praeceptum Christi pro amore illius hominis vitium perpetrat; vel tunc praeponitur Christo, quando etiam Christi praeceptum pro amore vanae gloriae humanae agit. Pariter enim ad vitam aeternam perducere est: nullum excludere, sed omnes ducere.

---

[1]) Cap. III. v. 21. (Migne, tom. 34. col. 2021. n. 4.)
[2]) perpetrat (?)

Cap. LXXIII.

DE HOC QUOD NON OMNIS OBSERVATIO JUSTITIAE IN HAC REGULA SIT CONSTITUTA.

Superius enim dixerat S. Benedictus auditori suo *ad te ergo nunc meus sermo dirigitur*, et fecerat illum intentum; et ex hoc ille relinquens omnia adhaesit ejus doctrinae et coeperat intente audire. S. vero Benedictus coepit dicere de generibus vel vita monachorum et de abbate et de reliquis rationibus et pervenit ad hunc locum, ubi dixit *de eo quod non omnis observatio justitiae in hac sit regula constituta*, scilicet pro duabus causis: quia cognovit se tam vita quam doctrina imparem aliis sanctis esse, causa suae humilitatis dixit, et ne suus auditor, qui postquam observaverit ista quasi de plenae justitiae observatione in superbia erigeretur. Nunc vero quasi interrogasset auditor ejus dicens: Ecce pater! tu me superius provocasti ad te audiendum dicens: *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur;* et ego, qui putavi, te omnem justitiam me docere, relictis omnibus adhaesi tuae disciplinae; cur ergo voluisti hanc regulam scribere, si inibi omnis justitiae observatio non continetur? Ille autem quasi respondens dicit: *Regulam autem hanc descripsimus, ut eam observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere*, — quasi diceret aliis verbis: Quia tu eras homo feralis quasi bestia et non habebas aliquod initium convertendi ad Deum, et mores tui erant incompositi, [et] propterea hanc regulam scribere studui, ut tui mores aliquo modo compressi honestatem habeant, et initium conversationis tibi significemus habere. *Aliquatenus*, i. e. aliquomodo. Nunc vero quasi respondens iterum videtur auditor interrogare S. Benedictum dicens: Jam postquam hic non est omnis justitiae observatio, quid ergo faciendum est mihi? et ubi requirenda est ipsa perfectio? Ille autem quasi respondens dicit: *Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinae sanctorum patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem per-*

fectionis. *Ceterum*, i. e. reliquum — quasi diceret: si magis vult quis agere, festinet ire ad doctrinam sanctorum patrum.

Sequitur: *Quae enim pagina aut quis sermo divinae auctoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitae humanae? aut quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad creatorem nostrum? Nec non et collationes patrum et instituta et vita eorum et regula sancti patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis et male viventibus atque negligentibus rubor confusionis est.* — Quod enim dicit *quae pagina aut quis sermo divinae auctoritatis veteris ac novi testamenti* — attinet ad libros veteris et novi testamenti. Quod autem dicit *aut quis liber sanctorum catholicorum patrum* — attinet ad expositiones veteris et novi testamenti; catholicus enim est ille, cujus liber a catholica ecclesia recipitur. Et bene post historiae libros et expositiones ejus nunc dicit *collationes patrum.* Collationum enim tria volumina sunt: unum volumen continet septem collationes, aliud septem, tertium autem decem, qui fiunt insimul viginti quatuor libri. *Instituta* enim ideo dicitur, quia ibi institutum est de cibis et potibus atque vestimentis monachorum; necnon etiam ibi constitutum est, qualiter debet pugnare unusquisque contra unumquodque vitium, quo impugnatur. *Vita* enim eorum attinet ad illos libros, ubi de eorum miraculis dicitur. Quod autem dicit *sed et regula sancti patris nostri Basilii* et reliq. — ista omnia, i. e. scriptura veteris et novi testamenti et expositio earum et collationes et instituta et vitae patrum, ista omnia instrumenta sunt virtutum monachorum bene viventium et obedientium; nobis autem desidiosis et negligentibus et male viventibus sunt rubor confusionis. *Desidiosis*, i. e. pigris et negligentibus. Istud quod dicit *quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum*, ita intelligitur, quasi diceret: illi libri sunt instrumenta bonis, unde sciant perficere bona opera et relinquere

mala, malis autem confusio. V. gr.: sunt duo homines, qui laborant habentes aequaliter omnia, i. e. boves et cetera opera, quae ad cultum terrae pertinent: unus illorum est studiosior in laborando et, cum laborat, colligit exinde fructus plurimos; alter vero est, qui pro pigritia sua non laboravit et non habet fruges, quas colligere debeat; eo quod non laboravit, ideo non recolligit. Vide modo unde ille laudatur, quia habuit et laboravit, inde iste magis vituperatur ad comparationem illius, quia habuit sicut ille omnia et tamen pro pigritia sua noluit laborare. Secundum hunc sensum dicit B. Gregorius in sua homilia, ubi dicitur:[1]) *Cum audieritis proelia et seditiones* et rel. et pervenit usque ad id, quod dicit: »*Contingent haec vobis in testimonium*«: *In testimonium videlicet quorum? nisi eorum, qui aut persequendo mortes inferunt aut videndo non imitantur? Mors quippe justorum bonis in adjutorium est, malis in testimonium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant.* Similiter etiam in hoc loco intelligendum est, quia quantum electi homines apud Deum gloriosiores et laetiores sunt pro eo, quia vitam sanctorum atque doctrinam audierunt et imitari studuerunt, tantum negligentes et pigri cum majore verecundia atque confusione ante Deum existunt pro eo, quod exempla sanctorum doctrinamque non solum imitari, sed etiam audire noluerunt.

Sequitur: *Quisquis ergo ad patriam coelestem festinas, hunc minimam inchoationis regulam descriptam adjuvante Christo perfice. Minimam* cum dicit, subaudiendum est: ad comparationem doctrinarum patrum, quasi diceret: Quicunque es, qui ad patriam coelestem festinas, istam minimam doctrinam prius implere stude, et tunc demum, i. e. deinde vel deinceps seu postremum ad majora, quae supra memoravimus, doctrinae virtutumque culmina Deo protegente pervenies. Notandum est enim, quia ordinem congruum tenuit in hoc loco S. Benedictus. Sicut enim dixit

---

[1]) Hom. 35. in Evang. lib. 2. n. 2.

superius: doctrinae sanctorum patrum et paginae aut sermo novi et veteris testamenti et collationes patrum et instituta et regula S. Basilii, hic[1]) dicit *doctrinae*, eo quod doctrina ad illa omnia superiora attinet; *virtutumque culmina* attinet ad vitam illorum. Et notandum est, quia illi dicitur venire, qui nondum venit. In hoc loco patet licentiam donare S. Benedictus perficientibus hanc minimam legem [et] ad majora ire. Ubi notandum est: si illis concedit egredi S. Benedictus, qui pro perfectione sua volunt exire de monasterio, multo magis concedit etiam illis, qui in loco periculoso constituti sunt et tumultuoso atque inordinato, et ibi professionem suam non possunt implere, ad alia loca ire, i. e. aut ad solitudinem aut ad aliud strictius monasterium. Forte dicit aliquis: Quomodo hoc possum cognoscere, ut isti tales egrediantur de monasterio? Cui respondendum est: Si isti, qui sponte exit, conceditur egredi, qui si ibi etiam voluisset stare, non periculosum esset illi, magis conceditur etiam illi, qui ob liberationem animae suae vult exire, posse exire, quam illi, qui si ibi voluisset stare, non esset illi periculosum; ut, quia ibi non potest salvare, salvetur in alio loco.

Explicit traditio, quam Hildemarus monachus exposuit super regulam S. Benedicti et tradidit discipulis suis.

Facientibus haec regna patebunt superna. Amen.

---

[1]) ita hic.

Index rerum.

(Numeri romani significant paginas praefationis, numeri arabici paginas commentarii.)

A.

B.

C.

D.

E.

F.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

W.

Z.

Errata corrigenda.

Pag. 7. lin. ultima lege: *perfecte* pro: *pefecte.*
„ 26. „ 2. a supra „ *somno* „ *somna.*
„ 98. „ ultima „ *justitia* „ *ustitia.*
„ 239. „ 4—5. semel deleantur bis dicta vocabula: »*cum principibus suis*«.
„ 292. „ 9. ab infra deleatur signum interrogationis post vocabulum »*Nativitate*« positum.
„ 364. „ 3. a supra lege: *discedere* pro *discere.*
„ 465. „ 2. „ „ *liberae* „ *libere.*
„ 470. „ 2. „ „ *ille* „ *illi.*
„ 471. Cap. XLVI. lin. 3. lege *oratorio* „ *oratoria.*
„ 495 lin. 6. ab infra „ *mens* „ *meus.*
„ 515. „ 9. a supra lege *provinciam issent* pro *provincia missent.*
„ 527. „ 15 ab infra „ *laudare* pro *laudere.*
„ 546. „ 3. a supra „ *in superioribus* pro *in senioribus.*
„ 563. „ 2. „ „ *aeternam* pro *etiam.*
„ 563. annotat. 2. lege *Episcopus Bergamensis def. c. 867.*
